




LIBRARY
717 102



FONTES

IURIS ITALICI MEDII AEVI

IN USUM ACADEMICUM


COLLEGIT, PROLEGOMENA PRAEMISIT, GLOSSARIUM ADDIDIT

GUIDO PADELLETTI

IN ACADEMIA ROMANA IURIS PROFESSOR.

VOLUMEN I.

QUO CONTINENTUR: EDICTA REGUM OSTROGOTHORUM,
EDICTUM REGUM LANGOBARDORUM, CAPITULARE ITALICUM,
EXPOSITIO AD LIBRUM LEGIS LANGOBARDORUM.



AUGUSTAE TAURINORUM
SUMPTIBUS
ERMANNI LOESCHER

MDCCCLXXVII.

Augustae Taurinorum, ex typis V. Bona.

Guido Padelletti lecturis s.

Fontes ac monumenta iuris Italici, quae per medium aevum sunt, ut ad nostram fere aetatem singulares fortunae vicissitudines subirent, compluribus causis factum esse arbitror. Primum illa aetas, quam hodie medii aevi nomine appellare consuevimus, arte critica et sensu quodam historico tantopere carebat, ut omnium, quae scripta essent, auctoritas pari veneratione acciperetur, neque ullum iudicium adhiberetur verane an commenticia traderentur. Neque Iustiniani imp. Digesta cum reperirentur, Ictorum mentes acuerant aut veluti iudicandi exemplar proposuerant: quae quo tempore inventa sunt, et ipsum imperatorium nomen, quod praescribebatur, oculos praestringebat, et propter Pisani codicis praestantiam, quoniam alii libri msc. vel nulli vel perpauci erant, vix arte critica opus esse videbatur. Quod autem ante Iustinianum prudentes et principes ius condiderant, id totum et negligebatur et ignorabatur.

Quae ratio cum esset iuris Romani, eandem reliquorum fontium iuris fuisse non est mirum. Nam si qui privati homines, ut scholarum vel fori usui subvenire viderentur, novas antiquissimarum legum editiones adornabant, nec verba satis cu-

rabant nec a quo quidque et quo quidque tempore scriptum esset, perpendebant, recentioribus autem libris qualicumque modo repetitis ac propagatis ab iudicibus iurisque doctoribus satis laudis inveniebant, tantumque haec vel inscitia vel negligentia tempore invaluit, ut germanae ac verae leges tenebris obrutae iacerent. Quod autem in Ps. Isidori decretalibus insigni fraude factum est, idem, quia nulla erat ars critica, in multis fontibus iuris civilis per medium aevum evenit. Velut Langobardicas leges et capitularia a Walcauso, si non dolo malo, at perversitate iudicii vel negligentia corrupta atque interpolata esse constat; velut regum Francicorum capitularia nunquam publice a notariis regiis collecta, sed privatim in regno Italiae in varias collectiones redacta sunt, quae non modo temporum ordinem regumque nomina perturbarent, sed etiam fictas leges immiscerent; velut libros feodorum opus omnino privatum fuisse et tamen pro lege publice valuisse notum est.

Restitutis autem litteris cum ars quaedam critica extitisset hominesque docti etiam in iuris prudentia versarentur, Italicum tamen medii aevi ius diu pari fortuna oppressum doctorum industria atque eruditione caruit: ipse Graecae Romanaeque antiquitatis splendor, quem tunc petebant, tantum aberat ut medii aevi tenebras illustraret, ut etiam obscuriores efficeret. Nihil enim delectabat nisi quod ad classicam quam dicunt antiquitatem pertineret, Langobardorum vero et Francorum in legibus tantae barbariae sordes inhaerere videbantur, ut nemo inveniretur qui Laurentium Vallam vel Angelum Politianum imitari iurisque vere Italici vel historiam persequi vel fundamenta constituere vellet. Neque hoc dicimus, ut viros doctos vituperemus: suae enim aetatis morem sequebantur, a quo ipsi Icti, qui vetus ius Romanum in coelum efferre solebant, non dissentiebant: sed ad quantam inscitiam iudiciique levitatem illa legum Germanicarum Italicarumque contemptio saepe proces-

serit, vix credimus. Cuius quidem rei et insigne et recens exemplum praebuit Gravina, vir alioquin clarissimus antiquitatisque nostrae peritissimus, qui in libro *De origine iuris civilis* (I, § 39) omnes Germanicas leges *pudendas seu potius barbarici ingenii libidines* appellat, quodque Italia *pro Romani splendore atque humanitate iuris belluinas atque ferinas immanesque Longobardorum leges* acceperit, queritur.

Ut igitur nostrorum hominum de fontibus iuris Italici medii aevi studia critica recenseamus (nam de externorum studiis quaerere et magnae operae est et a proposito nostro alienum), post longum temporis spatium ad Lud. Antonium MURATORIUM, Italicae eruditionis decus et ornamentum, devenimus. Nam Carolus SIGONIUS vir alioquin et doctissimus et de historia Italiae per medium aevum optime meritus ad iuris Italici monumenta propius non accessit, solosque regum Langobardicorum prologos atque epilogos legum, non paucis omissis, in libro *De regno Italiae* edidit. MURATORIUS autem recte ab initio studiorum suorum viderat quantum divitiarum ille historiae medii aevi et amplissimus et incultus campus occultaret. « Sive enim nos (ita ille in Antiq. Ital. praefatus est) ab « antiquissimis Italis aut a Romanis sive a Gothis, Lango- « bardis, Francis et Germanis descendamus, semper gentis « nostrae historiam persequimur quoties res gestas et mores « investigamus barbarici aevi: et par voluptas est genealogiam « continuatam maiorum nostrorum perspectam habere. Hisce « duplicem caussam adde quae nostri temporis eruditos, cal- « carium ad instar, solicitare possit ut ad expiscanda et illu- « stranda inferioris quoque aevi monumenta alacrius insur- « gant. Altera est, Romanae rei eruditionem, ex quo tot de « ea prodiere volumina, vix novi argumenti quidquam nobis « reliquisse, nisi nova antiquitatis fragmenta effodiantur.....

« Contra barbarica saecula gravissimis adhuc laborant tene-
« bris, atque ager iste paucos cultores hucusque nactus spem
« uberis messis excolendi fecit. Romanae eruditionis ager poene
« universus iam occupatus est: at in isto non levis pars adhuc
« primo occupanti patet. Si gloria ex novitate praesertim ex-
« surgit, hercle ad eam certior hac via est gressus. Accedit
« et altera causa. Nam tot ritus non solum sacri sed et do-
« mestici et politici nobis in usu sunt, quorum origo non Ro-
« manis temporibus tribuenda est sed barbaricis. Ergo non
« eruditionis dumtaxat amplificandae gratia sed spe etiam re-
« ferendae voluptatis et famae conquirendae iuvabit adhibere
« quam possumus, lucem obscuris iis saeculis et quid maiores
« nostri egerint, accurate expiscari ut praesentium fontes et
« caussas uno tempore et cum delectatione teneamus ».

Nec verbis tantum sed assidua et egregia opera MURATORIUS omnibus praeivit: nam fere nulla iuris Italici aut publici aut privati pars est, in qua ille non pro reliqua qua excellebat doctrina vel solida cognitionis fundamenta iecerit vel insignibus monumentis primum editis et subtilissime recensitis difficillimos locos illustraverit. Testatur id editio legum Langobardicarum quae si illam aetatem et subsidia, quae tunc praesto erant, respicias, optima existimanda est: testantur innumera monumenta, chartae, diplomata, privilegia, statuta, quae in Estensibus et in Italicis antiquitatibus in lucem prodierunt.

Quam autem viam MURATORIUS munitam ac planam reliquerat, cum multi magno labore atque industria persequerentur, nemo tamen tantum magistrum assecutus est. Sed elucet in primis F. Paulus CANCIANIUS, qui non tantum Italicis, sed omnibus gentium Germanicarum legibus edendis insignem operam dedit, atque in libro, cui titulus *Barbarorum leges antiquae*, eam collectionem proposuit, quae, si hodie optimis legum Germanicarum recensionibus prope inutilis facta est,

illa tamen aetate Lindenbrogii et Georgischii collectionibus certe non superabatur. Compluria praeterea a Cancianio proferebantur, quae ignorata aut inedita iacerent, quo in genere laudis ad eius nomen praecipue L. Dolleonius canonicus Bellunensis et Ph. Trevisanius adiungendi sunt, qui codicis Veronensis legum Langobardicarum a Dolleonio detecti varias lectiones, glossas et formulas cum Cancianio communicaverunt. Ipse quidem castigatiorem contextum constitutionum regni Siciliae edidit, tum notabilem codicem legis Romanae, qui Utinensis dicitur, librum consuetudinum imperii Romaniae et capitulare nauticum Venetum anni MCCLV primus emisit, ut, quamquam iuris minus peritus erat, magnam tamen eruditionis atque industriae laudem meruisse videatur.

Post Cancianium autem nemo apud Italos extitit, qui amplissimam collectionem legum Germanicarum et Italicarum denuo pararet: nam quae monumentorum historiae patriae collectio edita est iussu Caroli Alberti regis Sardiniae, fines eius regni non est egressa. Qui autem singulas iuris Italici partes colerent eiusque monumenta pro suis quisque viribus aut pro sui quisque saeculi ingenio ederent atque illustrarent, extiterunt multi. Ac primum quidem regum Langobardicorum legibus melius evenit. Quae historiae pars cum obscurissima sit locosque difficillimos de statu Romanorum barbarorumque imperio, et de nationis Italicae origine contineat, nostrorum hominum ingenia et olim mire exercuit et nunc exercet. Neapolitanis quidem scriptoribus codex Cavensis, quo edictum Langobardicum continetur, iam pridem innotuerat. Nam Camillus Peregrinus in appendice ad historiam principum Langobardicorum de edicto et de Cavensi codice disputavit, et Arechis Adelchisque capitularia, item pacta principum Beneventanorum edidit. Nostra vero aetate Carolus Troya, vir egregius et de Langobardorum historia optime meritus, ex quodam apo-

grapho codicis Cavensis leges ineditas Ratchis et Ahistulfi primus emisit, postea accuratissime ex ipso archetypo leges Langobardicas omnes et glossarium exscripsit: quibus in codice diplomatico Langobardico adornando ita usus est, ut leges ordine temporum inter chartas aliaque monumenta disiectas proponeret. His studiis semel excitatis ne in ceteris quidem Italiae partibus defuerunt, qui leges et reliqua historiae monumenta illustrarent, codicesque msc. in tabulariis inquirerent ac repertos magna diligentia describerent, uti Petrus Capei, Carolus Promis, Amedeus Peyron. Sed horum laudem bene merendo de legibus Langobardicis longe superavit Carolus Baudius a Vesme, vir exquisitae doctrinae atque eruditionis. Is enim edictum Langobardicum edens (cf. quae edicto praemisimus) primus veram germanamque faciem restituit, verba ad fidem optimorum codicum critica arte recensuit, praefationem denique adiecit, in qua utrum solidam eruditionem an subtilissimum iudicium magis admirere, dubitare liceat.

De legibus, quae sub regum Francicorum et Germanicorum imperio regno Italiae datae sunt, fere nulla extat apud nos critica quaestio, si editionem Muratorianam capitularis Italici excipias et Dom. Carlinii de pace Constantiae disquisitionem. At constitutiones, quas Fridericus II Imp. in regno Siciliae promulgavit, virorum doctorum maxime Neapolitanorum studia exercuerunt saepiusque editae sunt. Prima enim editio Neapoli per Sixtum Riessingerum a. 1475 typis prodiit: posteriores omnes mendis innumeris laboraverunt praeter illam quam Caietanus Carcanius Neapoli a. 1786 paravit. Hic enim latinum contextum ex prima editione exhibuit primusque graecam versionem ex codice Parisiensi adiecit, ut clarissimus auctor historiae diplomaticae Friderici II, Huillard Breholles, a Carcanii editione sibi non esse discedendum existimaret. Nec nostros silentio praetermittendos putamus, qui de codicibus

msc. constitutionum disputaverunt: in quo numero praeter Carcanium fuerunt PECCHIA in historia civili et politica regni Neapolitani, GREGORIUS in prolegomenis ad ius publicum Siciliae, ORLANDUS in codice nuper edito legum et diplomatum Siculorum, CAPASSUS denique qui in actis academiae Pontanianae a. 1869 de historia constitutionum Fridericianarum erudite disseruit.

Verumtamen nulla aetas nostrae historiae est, quae eruditorum ingenia tantopere occupaverit quantopere illa medii aevi altera pars, qua civitates Italiae, maxime Langobardiae et Tusciae, post annum millesimum mercatura atque artibus auctae elataeque sese comitum marchionum episcoporum potestati subtraxerunt, suique iuris factae suas leges, suos magistratus, suas separatim res publicas consecutae sunt. Haec quidem nobilissima pars historiae nostrae est, et si res domi ac militiae praeclare gestas, et si litterarum splendorem, et si mercaturam late patentem artesque mire excultas consideres. Singulae igitur, quae tunc floruerunt, civitates ingentem in tabulariis suis servant monumentorum copiam, quae, quamvis vel hominum vel temporis iniuria imminuta sit, tamen patriae municipiorumque historiae studiosis inexhaustam prope materiam quaerendi praebeat: quare factum est, ut qui sui municipii domesticas quasi res investigaret, saepe in monumenta ad ius pertinentia incideret, quae separatim fere solebat edere. Ea monumenta erant praecipue privilegia civitatibus concessa, constitutiones vel a principibus acceptae vel ab ipso populo latae, antiquae consuetudines forenses, leges collegiorum, instrumenta denique iudiciorum negotiorumque civilium. Excellere autem ex hac tanta copia ac varietate censeo statuta si quae sunt publica vel communis quod dicitur, quibus magna pars iuris municipalis privatique, saepe etiam civilis sapientiae continetur, praesertim si ad vetustiora tempora spectent legumque ipsa

verba incorrupta servent. Eiusmodi igitur monumenta maiore quodam studio a viris doctis iure investigata sunt, in quibus colligendis multorum opera, unius, qui regeret ac duceret, consilio opus esse non inepte quidam iudicarunt. Quo in genere imprimis Carolo Alberto Sardiniae regi magna laus tribuenda est, qui anno 1833 sodalitium *curatorum historiae patriae studiis promovendis* instituit, in quo doctissimum quemque ex Subalpinis, Liguribus Sardisque esse voluit. Quibus auspiciis effectum est, ut ad annum 1838 decem collectiones de iure municipali clarissimarum urbium Subalpinae provinciae atque Liguriae in lucem prodirent cura A. Cibrarii, I. B. Raggii, L. Sauli, P. Dattae, F. Sclopisii, qui idem de magnitudine horum studiorum atque de originibus communium Italicorum erudite atque eleganter disputavit. Quod insigne exemplum cum ceterae Italiae provinciae ob temporum difficultates hominumque incuriam sequi non potuissent, viri docti, qui Venetias a. 1847 convenerant, quanta futura esset utilitas collectionis omnium Statutorum communium Italiae, publice exposuerunt, opus autem, quod inter peritissimos eius rei viros partiti sunt, propter discordias civiles exequi non potuerunt.

Eodem tamen tempore a quibusdam praeclaris viris alia quaerendi atque investigandi fundamenta posita sunt. Primus enim F. Bonainius, vir doctissimus, anno 1851 statuto vicecomitatus Vallis Ambrae edito indicem amplissimum statutorum civitatum Italicarum adiecit, quem, cum iamdudum desiderassemus, Savignius in historia iuris Romani per medium aevum a nostris poposcerat. Hoc indice, quamvis imperfecto, et Bonainius de huiusmodi studiis optime meruit et alios excitavit qui indicem bibliographicum statutorum locupletarent. Hi sunt F. Berlan, vir magnae eruditionis et industriae, qui anno 1858 Venetiis libellum edidit, cui titulus est « *Statuti Italiani, Saggio bibliografico* »: F. Ferro, Ictus, Petrus

ROTA, Iohannes SFORZA, quorum suae quisque provinciae statutorum, Tarvisianae, Bergomatis, Lunensis indicem edidit: A. VALSECCHI, iam in academia Patavina antecessor, qui a. 1862 statuta, quae in sua extabant bibliotheca, illustrare coepit necdum absolvit: postremo Aloysius MANZONI, qui nuper in volumine primo operis « *Bibliografia statutaria e storica Italiana* » statutorum Italicorum locupletissimum indicem summa diligentia composuit. Erant etiam qui, patriis legibus edendis operam darent, paucisque annis compluria ex antiquioribus statutis prodierunt: quae si singillatim perscribere vellemus, longa enumeratio legentibusque fieret ingrata. Sed quoniam praestantissima certe nomina nostrorum hominum quibusque iuris Italici fontibus edendis bene meruerint, commemorare decet, imprimis BONAINIUM laudabimus qui statuta Pisanae civitatis a duodecimo usque ad quartum decimum saeculum incredibili peritia atque elegantia edidit illustravitque. Ad cuius laudem prope accedunt F. POLIDORIUS et L. BANCHIUS in editione statutorum Senensis provinciae, quibus nunc *constitutum* civitatis Senensis, quod alter eorum edit, brevi accedet. Tum F. BERLAN singulari mentione dignus videtur esse, qui statuta Varisii et Origii, librum consuetudinum Mediolani primus edidit et nunc Pistoriensibus statutis operam dat. Nec Thom. GAR, v. cl., praetermittendus est, qui ceteris laudibus et illam addidit quod Tridentinae provinciae statuta antiquiora in lucem protulit. Tum diligentissimam nunc editionem statutorum Bononiensium Aloys. FRATIUS inter monumenta historica Aemiliae et Romaniae parat. Nec ea sodalitia studiis historiae patriae provehendis minorem meruerunt laudem quae vetustiora statuta communis Lucensis, Ferrariensis, Parmensis, Placentini edenda curaverunt. Padua quidem sollertem editorem antiquiorum statutorum Andream GLORIAM v. cl. habuit. Neque inferioribus Italiae provinciis defuerunt, qui mo-

numenta civitatum proferrent, Nic. ALIANELLIUS, magistratus eruditissimus, qui syllogen consuetudinum et statutorum civitatum Neapolitanae provinciae inchoavit, Aloys. VOLPICELLA, qui de Barii, Trani, Surrenti consuetudinibus disputavit: Vitus denique LAMANTIA, qui consuetudines complurium civitatum Siciliae ad ius civile pertinentes collegit. Denique earum legum editores laudandi sunt, quae ad mercaturam spectantes in variis Italiae partibus medio aevo obtinuerunt. De quo fontium genere iam Michael DE IORIO, insignis Ictus Neapolitanus et AZUNIUS, vir clarissimus, copiose disseruerant; nostra autem aetate Thom. GAR celebrem illam *tabulam Amalphitanam* detexit et a. 1844 protulit: quem Aloys. VOLPICELLA secutus est, qui a. 1849 tabulam illam denuo recensitam exhibuit et de antiquis consuetudinibus maritimis civitatis Trani docte disseruit: nuper autem Nic. ALIANELLIUS regni Neapolitani leges maritimas omnes quae innotuerunt collegit doctisque praefationibus instruxit. Urbium quoque maritimarum mediae atque superioris Italiae, ex quibus Venetiae, Pisae, Genua maxime inclaruerunt, monumenta ad mercaturam pertinentia ab viris doctis saepius edita atque illustrata sunt: ex quorum numero capitulare nauticum Venetum a CANCIANIO primum editum commemorare placet, imprimis autem leges atque statuta Pisanae civitatis, cuius *constitutum usus*, brevia consulum curiae mercatorum curiaeque maris BONAINIUS cum laudabili studio in lucem protulit.

Superest ut de chartarum et diplomatum collectionibus pauca adiiciamus, quae quantum ad iuris historiam recte intelligendam conferant, qui eas quamvis leviter inspexerit, nemo ignorat. Sed harum collectionum prope ingens est numerus nec omnium, qui in eo doctrinae genere elaborarunt, nomina hic locus capit. Qui quidem clarissimi sunt quoniam omnibus, qui historicae disciplinae rudimentis imbuti sunt, innotuerunt, potius

honoris quam notitiae caussa laudare placet MARINIUM, MURATORIUM, TIRABOSCHIUM, TROYAM, LUPUM, ODORICUM, FUMAGALLIUM, VERCIUM, AFFÒ, CARLIUM, FANTUTIUM, TARLATIUM, BRUNETTUM, FLAMINIUM A BURGO, GALLETTIUM, THEINERIUM, IOHANNEM DE IOHANNE, DE CAESARE, PATRES ORDINIS SANCTI BENEDICTI qui codicem diplomaticum Cavensem edendum curant, editores monumentorum Lucensium et Neapolitanorum, Paschalem denique THOLAM, PORRO-LAMBERTENGHIUM, CURATORESQUE qui monumentis historiae patriae edendis praesunt.

Haec fere a centum et quinquaginta prope annis a nostris viris doctis de iuris Italici fontibus inventa, elaborata, scripta sunt: nam si qui commemoratione digniores silentio praeteriti sunt, id nostrae inscitiae tribui, non de illorum laude detrahi cupimus. Quae studia universa quasi sub uno conspectu posita si diligenter examinentur, facile inveniamus, quamvis scriptorum industria laboresque laudandi sint, multa tamen in arte critica edendi et scientia interpretandi desiderari. Adde ipsorum virorum doctorum, maxime iuris peritorum, qui his studiis operam navarunt, pro rei magnitudine et difficultate paucitatem insignem. Quod ne cui forte post nostram longam operum et scriptorum enumerationem perperam dictum esse videatur, verissimum esse ii omnes intelligent, qui nostra cum externarum gentium, maxime Germanorum, studiis conferant, apud quos historiae et iuris quae inter se sunt coniunctissimae disciplinae iam diu miro modo florent multorumque assidua industria atque concordia amplificantur. Quorum exemplum proferimus non ut nostrorum hominum studia parvi faciamus inepteque domesticas spernamus laudes, sed ut recte de nobis studiisque nostris existimemus et iuventutem nostram excitemus. Multa enim sunt iuris Italici monumenta, quae, si forte edictum regum Langobardicorum excipias, accuratiorem edi-

tionem et subtiliorem interpretationem requirant: multa quae in nostris externisque tabulariis et bibliothecis inedita iaceant, in quibus recensendis edendisque ab externis superari magnum sit dedecus.

Intelligo equidem intelligetque qui academias nostras norit, ac maxime perspexerit, quomodo historia et ius hic tradi soleant, horum studiorum restitutionem vix sperari posse. Nam historia, si paucos excipias, sic fere consuevit enarrari, ut lectiones tantum eloquentiae et saepe vaniloquentiae docentium inserviant, nec exercitationibus de fontibus et monumentis ullum tempus sepônatur; iuris vero disciplinae non ea est in academiis cum studiis humanitatis et historiae coniunctio qua ad iuris prudentiam evehendam opus sit. Etsi enim numquam defuerunt nec hodie desunt qui et litterarum eruditionem et historiae scientiam, etiam philosophiae lumen ad ius explicandum conferant, tamen culta, quae olim dicebatur, iurisprudentia nunc nulla est. Plerique enim, ut etiam cum offensione aliqua vere loquamur, quia illa iuris sapientiae firmissima auxilia vel spreverunt vel non satis cognoverunt, pragmaticorum magis quam Ictorum munere funguntur; multique clari viri inveniuntur, qui, quod vix credendum est, academias vitae necessitatique, non litteris colendis augendisque institutas esse existiment. Quid igitur mirum, adolescentes nostros ab nemine ad paullo altiora studia excitatos illud unice magni aestimare, quod ad legum interpretationem et ad quotidianum usum fori pertineat? Contingit sane nonnumquam ut aliquis iuris peritus suo ingenio a parietum et luminum iure ad iuris historiam perductus sese ad studium antiquiorum monumentorum applicet. Eorum autem conatus saepe vel derelinquuntur vel frustra fiunt: nam ad historica maxime studia ingeniorum assidua quadam quasi conspiratione opus est.

Quodsi propter eas quas dixi caussas ab iuris peritis ad iuris

monumenta recte edenda non multum auxilii sperari potest, tamen de his studiis apud nos non omnino desperandum esse intelligimus. Historia enim iuris Italici nuper novis legibus a Rogerio Bonghio, viro praestantissimo, de ordine studiorum academicorum propositis dignitatem suam certosque fines recuperavit. Nam adhuc quidem illa disciplina, si tres vel quatuor academias excipias, cum iuris quam vocant ἐγκυκλοπαιδείᾳ coniuncta erat atque ita tradebatur, ut multum temporis iuri Romano, minimum Italico daretur; erant etiam qui de Indorum, Persarum, Aegyptiorum iure auditoribus narrarent. Nunc non tantum iuris historia ab illa, quacum male coniuncta erat, disciplina separata est, sed ad ius Italicum redacta, i. e. ad id ius, quo gens nostra ab interitu imperii occidentalis ad nostra fere tempora usa est. Libros etiam de iuris Italici historia si non numero at pondere augeri videmus: ex quibus scripta Francisci Schupfer, amici et collegae carissimi, historiamque iuris Italici, quam Antonius Pertile antecessor Patavinus edit, commemorare placet. Itaque finibus huius disciplinae constitutis iam sperare licet fore, ut adolescentes, qui ad iuris studium accedunt, nostri iuris historiam cum quodam amoris ardore amplectantur, studiorumque hoc genus, quod non tantum arte historica sed iuris universi scientia indiget, per iuris peritos rursus excitetur.

Qua spe moti hanc collectionem fontium iuris Italici medii aevi edere instituimus. Qua tametsi non id quod cupimus effici intelligimus, tamen nec novas recensiones atque editiones parari posse videbamus et satis esse putabamus, si eorum quae extarent cognitio aperiretur atque inter iuris studiosos propagaretur. Verebamur etiam, ne, si plura recepissemus, crescente libri volumine adolescentes deterrerentur, studiaque, quae paullatim alenda sunt, impedirentur. Utilem igitur hanc qualemcumque syllogen fore existimamus, et professoribus, qui,

si novis legibus de ordine studiorum obtemperare suamque disciplinam fructuosam efficere velint, privatis exercitationibus leges atque consuetudines, a quibus tanta pars iuris nostri fluxit, studiosis explicare debent; et adolescentibus ipsis, qui monumenta per magnas collectiones dispersa nec sine magno incommodo investigare nec sine magna pecunia comparare possunt; et historiae denique nostrae universae studiosis, qui, ubi quidque prodatur vel emendate legatur, saepe cum magno suae scientiae detrimento ignorant.

Quamquam in collectione, quae absoluta esse nec potest nec debet, delectus est difficilis, multumque nos in singulis et rebus et monumentis dubitasse, qui periti erunt, intelligent. Neque hoc loco rationes nostras explicabimus, quaedam iam in iis, quae de singulis fontibus praemissa sunt, significavimus. Pauca tantum de ipsis monumentorum, quae recepimus, generibus addenda sunt. Exclusimus igitur quidquid non regno Italiae aut eius provinciis scriptum est: abesse iussimus omnes iuris canonici fontes, quippe qui et propriis collectionibus contineantur et ad ius ecclesiae, non ad Italicum pertineant; tum Germanicas leges, ut Salicam vel Alamannicam, quae etsi per Italiam aliquamdiu obtinuerunt, tamen raro et in paucis civilibus negotiis in usu fuerunt; denique eas regum et imperatorum Germanicorum constitutiones, quae vel ad universum imperium pertinent vel non Italiae aut Siciliae regno scriptae sunt. Quae si quis comparandi caussa cognoscere volet, collectiones iuris canonici vel legum Germanicarum, maxime *monumenta Germaniae historica*, adeat. Hos fines cum constituissemus, primo hoc quod nunc prodit volumine edicta regum Ostrogothorum, a quibus barbariae aetas initium cepit, comprehendimus, tum leges regum Langobardicorum principumque Beneventanorum, capitulare quod vocant Italicum, quo leges regum Francorum eorumque successorum ad initium saeculi XI continentur; quibus

accedunt formulae iudiciorum et commentarium eiusdem saeculi, quibus fere iuris prudentia Langobardica continetur. Haec primam quasi medii aevi partem explent, qua Langobardorum ius per plerasque Italiae provincias obtinuit, nam Franci pauca immutarunt. Altera vero aetas magnam in iure publico privatoque conversionem attulit, et ob imperium a Francis ad Germanicos reges translatum et ob restitutionem iuris Romani quod pro lege generali in scholis atque iudiciis constitutum Germanicas leges consuetudinesque paullatim delevit. Hanc maxime aetatem monumenta alterius voluminis complectuntur i. e. leges a regibus et imperatoribus Germanicis in regno Italiae promulgatae, tum regni Siciliae, in quo inde a Normannis quodam modo separata fuit res publica, leges, imprimis constitutiones a Friderico II Imp. conditae: tum libri feodorum: denique ex vetustioribus privilegiis ac statutis civitatum Italicarum excerpta ad municipale ius intelligendum imprimis apta, item leges nonnullae de iure mercaturae in variis Italiae partibus natae.

His duobus voluminibus collectio nostra nunc quidem absolvetur: quae si viris doctis iuventutique studiosae placuerit, tertium ex omni genere chartarum de iure publico privatoque, de iudiciis, de variis negotiis civilibus diligenter compositum adiiciemus, quam partem ad ius Italicum medii aevi penitus intelligendum imprimis fructuosam esse existimamus. His interim quae offeruntur ut studia nostra adiuventur patriique moris scientia augeatur, vehementer cupimus.

Scripsimus Romae, a. MDCCCLXXVI.

PS. Nostra editio edicti Theoderici regis iam e praelo exierat, cum recentissimae editionis notitia ad nos pervenit, quam Frid. Bluhme in primo fasciculo quinti voluminis legg. Monum. Germ. histor. pag. 145 seqq. curavit. Is autem fa-

sciculus, quo praeter edictum Theoderici leges etiam Saxonum et Thuringorum continentur, titulo adhuc caret, et quamvis iam superiore anno in lucem prodiisset, ad nostras tamen bibliothecas nondum pervenerat. Quare quod viri eruditissimi adnotationibus in locis uti non potuimus, valde dolemus: verba quidem ipsa, cum nullum novum codicem Bluhmius adhibere potuisset, ex Pithoeana editione repetere cogebatur.

Hoc primum volumen collectionis nostrae dimittere non possumus, quin clarissimo collegae et amico Julio FICKER, antecessori Oenipontano, quod mihi semper doctrina atque consilio praesto fuit, et iuveni ornatissimo ac studiosissimo Caesari NANI Taurinensi, quod plagulas summa diligentia correxit, gratias quam maximas agamus.

Scrips. Romae mense Februar. a. MDCCCLXXVII.

INDEX.

Edicta Theoderici et Athalarici

Regum Ostrogothorum.

Cum Odoacer Italia potitus patriciatum tantum et praefecturam dioecesis Italiae a Zenone imp. orientali accepisset, Theodericus, Ostrogothorum rex, aliam et regni sui confirmandi et Italiae obtinendae rationem iniit. Nam quamvis tantam imperatoris orientalis reverentiam prae se ferret ut compluribus legationibus missis pacem ab eo peteret, atque quod unum semper sub antiquis principibus fuisset utrarumque rerum publicarum corpus omnibus discordiis sublatis conservandum esse scriberet (Cassiodor, Variar. I, 1), tamen et Italiae regem se nominari iussit, quo ipso nomine non barbaris modo, verum etiam Romanis se imperare significavit et omnino id egit, ut suae gentis virtutem cum Romanorum humanitate ac moribus coniungendo paullatim novam nationem efficeret. Quam ob rem Ostrogothos suos nequaquam tamquam victores dominari, sed, quasi militarem quendam novi populi ordinem efficerent, et quietem pacis tueri et bella externa defendere voluit (Cassiod. Var. VII, 3; VIII, 3; IX, 4; XII, 5; edict. § 32), Romanos autem vetera suae rei publicae instituta et assuetas dignitates magistratusque et municipiorum antiquam rationem retinere passus est. Etenim tametsi non satis constat, quatenus barbaris antiquas consuetudines seu *belagines*, quarum Iornandes de rebus Get. 11 meminit, inter se usurpare licuerit, hoc tamen non est dubium, quin ius Romanum Theoderici quoque tempore pro communi omnium iure valuerit. Id regum Ostrogothorum edicta aperte demonstrant, quae et ius Romanum leviter immutatum proponunt et gentium Germanicarum consuetudines complures cum privatas tum iudiciarias vel non habent vel tollunt.

Theoderici autem regis edictum anno D conditum ac promulgatum esse plerique existimant: quae opinio cum nullis firmis argumentis nitatur, ita tamen certa est, ut id ineunte saeculo sexto propositum esse constet. Codices quidem mss. duo, quibus edictum continebatur, qui ad nostram prope aetatem pervenerant, iam vel perierunt vel latent. Edidit autem primus P. Pithoeus in appendice editionis principis operum Cassiodori (Parisiis apud Nivellum a. MDLXXIX), tum saepius qui leges Germanicas collegerunt, inter quos Cancianum nostrum in leg. barbar. ant. I, 1 sq. commemorare placet. Nostra quidem aetate in eodem monumento recensendo elaboraverunt Fr. Rhon (commentatione ad edict. Theod. Halae 1816), quem F. Walter (in corp. iur. Germ. III, 381 sq.) secutus est, denique F. Dahn (in libro qui inscribitur *Die Koenige der Germanen,* IV), qui commentarium copiosissimum ac doctissimum addidit. Neque negligendi sunt, qui hoc edictum illustrarunt, Savigny in historia iuris Rom. med. aevi (II, 172 edit. Germ.), Bethmann-Hollweg in historia processus civilis romano-german. I, 269.

Athalarici regis edictum ab Cassiodoro in Variar. lib. IX, 18 receptum, quo anno promulgatum sit, nullo certo argumento persequi licet. Sed nostro tempore ediderunt cum Cassiodori operum editores tum qui vel leges Germanicas collegerunt vel historiam et ius Ostrogothorum enarrarunt, inter quos imprimis nominandi sunt Manso (hist. regni Ostrogoth. Vratislaviae 1824), Gretschel (ad edict. Athalar. reg. Ostrogoth. commentat. Lipsiae, 1828), F. Dahn l. l.

Formulas autem ab Cassiodoro (Var. lib. VI et VIII) servatas, quas Cancianus noster in leg. barb. repetivit, nos quidem non sine causa recipere noluimus. Earum enim maxima pars ad imperii occidentalis officia et dignitates ab Theoderico conservatas pertinet neque eo ipso in genere quidquam novi exhibet. Quae autem formulae ad nonnullas regni Ostrogothici novas dignitates pertinent, eas propter Cassiodori turgidam ac prope intolerabilem eloquentiam ne volumen nostrum nimis augeretur merito spernendas esse putavimus. Quare quattuor tantum formulas atque epistolas, quas ad iurisdictionem inter Romanos et barbaros illustrandam imprimis aptas esse videremus, recepimus. Quamquam quod nos, ne nostri libelli angustos fines transgrederemur, fecimus, iuvenibus non praescribimus, quos tantum abest ut ab Cassiodori formulis deterrere cupiamus, ut iis, qui Ostrogothorum ius penitus cognoscere studeant, non solum formulas illas sed totum Variarum opus diligenter examinandum esse existimemus.

EDICTUM THEODERICI REGIS. (*)

Querelae ad nos plurimae pervenerunt, intra provincias nonnullos legum praecepta calcare. Et quamvis nullum (l. nullus) iniuste factum possit sub legum auctoritate defendere, nos tamen cogitantes generalitatis quietem et ante oculos habentes illa, quae possunt saepe contingere, pro huiusmodi casibus terminandis praesentia iussimus edicta pendere: ut salva iuris publici reverentia et legibus omnibus cunctorum devotione servandis, quae Barbari Romanique sequi debeant super expressis articulis, edictis praesentibus evidenter cognoscant.

I. Priore itaque loco statuimus ut si iudex acceperit pecuniam, quatinus adversum caput innocens contra leges et iuris publici cauta iudicaret, capite puniatur (1).

II. Iudex si pecuniam contra statum aut fortunas cuiuslibet ut sententiam proferret, acceperit et ex hac re sub iusta fuerit examinatione convictus, in quadruplum quod venalitatis studio accepit, exsolvat, illi profuturum contra quem redemptus docebitur tulisse sententiam (2).

III. Iudex quod immerito provincialibus rapuerit, amissa dignitate qua male usus est, in quadruplum reddat, his duntaxat, quibus immerito constat ablatum: et si defunctus fuerit, ab eius heredibus haec poena poscatur (3).

IIII. Officium cuiuslibet iudicii, quod quid ultra quam iussum est exegerit, in quadruplum sub fustuaria poena cogatur exsolvere iis, quibus inlicite monstrabuntur ablata.

(*) Indicem capitulorum brevitatis gratia omisimus.
(1) Cf. Paul. recept. sentent. V, 23, 10; Dig. XLVIII, 8, 1, 1.
(2) Cf. Paul. cit. (3) Cf. Cod. Theod. IX, 27, 3. 4. 1.

V. Sententia non praesentibus partibus dicta nullius momenti sit, nisi adversus eum prolata doceatur, qui tertio conventus et edictis sollemniter inclamatus adesse contempserit (1).

VI. Ad officium sollicitudinemque iudicis pertinet, ut ea scripto lata definiant, quae apud se aguntur, sententia: et in executionem mitti iubeant, quod fuerit iudicatum (2).

VII. Iudex discussis utriusque partis suggestionibus atque documentis id solum iudicare debet, quod iuri et legibus viderit convenire.

VIII. Sine competentis iudicis praecepto nullus ingenuorum sustineat detentionis iniuriam, aut ad iudicium deducatur vel in privata habeatur cuiuslibet praesumptione custodia.

VIIII. Si quis autem aliquid eorum admiserit, ad violentiae poenam, quae capitalis est, se non dubitet esse rapiendum.

X. Qualemcumque cuiuslibet rei possessorem conveniri iudiciaria auctoritate decernimus et expectari semper iustae cognitionis eventus. Quod si quis qualemcumque possessorem possessione deiecerit, amissionem pro tanta praesumptione vel bonae litis incurrat, reformata scilicet possessione, quam occupaverit, fructus quoque duplos pro tanta temeritate persolvat. Quod si illam possessionem occupaverit, quae eidem minime debebatur, hanc poenam habeat, ut et rem cum fructibus in eo statu domino reddat invasam et aestimationem rei pervasae subire cogatur fisci viribus profuturam. Cuius decreti iusti atque legitimi omnes per provincias iudices et urbe venerabili constitutos vel eorum officia iubemus esse custodes: ita ut si aliquid extiterit, quo se putent exigendae multae superius comprehensae pares esse non posse, relationem ad scrinia nostra transmittant, ut a nobis, si ratio poposcerit, districtius vindicetur (3).

XI. Quod si possessor pulsatus legibus non reddiderit rem petitam et sub cognitionis eventu adversus eum legibus fuerit lata sententia, a die, qua per auctoritatem conventus est et dedit responsum, expensas litis vel sumptus victus exsolvat. Hoc remedio fiet, ut in mala causa nullum litigare delectet.

XII. Qui per triginta annos quamlibet rem iugiter possidere fuerit adprobatus, neque publico neque privato nomine patiatur aliquam penitus quaestionem. Tali autem possessori etiam auctorum proauctorumque suorum tempora secundum legem proficere debere censemus: illud adiicientes ut si intra (al. ultra) triginta annos

(1) Cf. Dig. XLIX, 8, 1, 3. Paull. V, 5a, 6. 7. Cod. VII, 43, 9.
(2) Cf. Cod. Th. IV, 17. (3) Cf. Cod. Th. IV, 22, 3.

(al. annorum) mota lis (al. mortalis) fuerit nec finita, superveniens conclusio XXX annorum eandem sine aliqua dubitatione consumat. quia cuivis satis credimus abundeque sufficere, intra XXX annos et actiones suas rite componere et eas publico iudicio vel privata definitione peragere; ita ut circa pupillarem aetatem privilegia antiquis vel novellis legibus concessa serventur, vel circa eos, qui ex quo competere poterant, post vicesimum et quintum annum intra tricesimum suas legibus proposuerint actiones. Cui casui quinquennii beneficium novella lege probamus adiectum (1).

XIII. Qui alterum quolibet crimine putaverit accusandum, non prius audiatur nec de exhibitione aliquid iubeatur, nisi se praemissae inscriptionis vinculis obligarit et istud caverit apud competentem iudicem, se eam poenam subiturum, si non probaverit quod intendit, quam possit reus convictus secundum leges excipere: et usque ad eventum iudicii, tam reus quam accusator aequali custodiae sorte teneantur, nisi forte aut minora sint crimina, in quibus fideiussor praeberi debeat aut reus adeo nobilis vel splendidi honoris sit, ut suae committi debeat dignitati (2).

XIIII. Sub alterius nomine nullus accuset, quia improbum iudicamus, ut quis alienae utilitatis vel voluntatis quasi sub specie accusationis executor existat (3).

XV. Qui percussorem ad se venientem ferro repulerit, non habetur homicida: quia defensor propriae salutis videtur in nullo peccasse (4).

XVI. Qui ad possessionem alienam violentus advenerit cum multitudine congregata, si aut ipse aut aliquis ex eodem numero, casu, dum repellitur violentia, occisus fuerit, is qui per necessitatem hoc fecit, a metu poenae liber habeatur.

XVII. Raptorem ingenuae mulieris aut virginis, cum suis complicibus vel ministris, rebus probatis iuxta legem iubemus extingui, et si consenserit rapta raptori, pariter occidatur (5).

XVIII. Si parentes raptae aut curator eius, quae minore aetate rapta est, exsequi et vindicare talis facti culpam forte neglexerit, pactum, quod non licet, de hoc crimine faciendo, poenam patiantur exilii.

XIX. Servus vero, si querelam de raptu dissimulari a dominis et pactione crimen senserit definiri atque iudiciis prodiderit, libertate donetur (6).

---

(1) Cf. Cod. Th. IV, 14, 1. Valentin. III Nov. XXVI.
(2) Cf. Cod. Th. IX, 1, 19. 11.
(3) Cf. Cod. Th. IX, 1, 15.
(4) Cf. Cod. IX, 16, 3.
(5) Cf. Cod. Th. IX, 24, 1.
(6) Cf. l. l. § 4.

XX. Raptum intra quinquennium liceat omnibus accusare: post quinquennium vero nullus de hoc crimine faciat quaestionem, etiam si intra supra scriptum tempus egisse aliquid de legibus doceatur: maxime cum et filii de hoc matrimonio suscepti exacto quinquennio legitimorum et iure et privilegio muniantur (1).

XXI. Si quis ancillam alienam aut originariam violenter cum multitudine congregata rapuerit, si ingenuus est, raptoris poena feriatur, quia violentiae crimen admittit: si servus est aut colonus et sua hoc tantum voluntate commisit, simili ratione puniatur (2).

XXII. Si vero conscio conductore aut iubente aut conhibente (l. connivente) vel non prohibente hoc fecerit, etiam conductor ipse tamquam facti reus simili poena feriatur. Si autem domino sciente vel iubente hoc fecit, eandem possessionem, de qua raptor egressus est, fisco profuturam dominus incunctanter amittat (3).

XXIII. Si quis intestatus mortuus fuerit, is ad eius successionem veniat, qui inter agnatos atque cognatos gradu vel titulo proximus invenitur, salvo iure filiorum ac nepotum.

XXIIII. Fiscus tunc agat, quando nec parentum nec filiorum nec nepotum nec agnatorum nec cognatorum nec uxoris et mariti quae succedat extare comperitur persona, secundum legum veterum constituta: ita ut fiscus quotiens locum successionis invenerit vel aliqua sibi competentia repetit, actionem, remota titulorum vel officii praesumptione proponat, quia tunc fiscus unam quamque rem merito potest et sine oppressionis alienae iniuria vindicare, dum (l. cum) intercedente sententia pro ipso fuerit iudicatum. Nobis enim, sicut et principes voluerunt, ius cum privatis volumus esse commune (4).

XXV. Unumquemque possessorem fisci nomine apud competentem iudicem statuimus debere pulsari (5).

XXVI. Clericos religiosasque personas intestatas deficientes, quotiens defuerit qui iure succedat, locum Ecclesiae suae secundum leges facere debere praecipimus (6).

XXVII. Curialis si sine successore, quem leges vocant, intestatus defecerit, excluso fisco curiae suae locum faciat (7).

XXVIII. Faciendorum testamentorum omnibus, quos testari leges permittunt, damus late licentiam: ita ut septem aut quinque testes

(1) Cf. Cod. Th. tit. cit. 3.
(2) Cf. Cod. IX, 13, 1.
(3) Cf. l. l.
(4) Cf. Var. V, 24.
(5) Cf. Cod. Th. X, 10, 27. 30. 31.
(6) Cf. Cod. Th. de bon. cler. 5, 3.
(7) Cf. Cod. Th. de bon. Dec. 5, 2.

ingenui ac puberes in conspectu testatoris, uno tempore, eodem rogante subscribant (1).

XXIX. Quod si testator aut literas ignorando aut per necessitatem vicinae mortis propriam subscriptionem non potuerit commodare, tunc octavus testis pro testatore adhibeatur huiusmodi, de cuius fide dubitari omnino non possit: scituris testibus et scriptore praecipue testamenti, quod si quis falsitatis extiterit, sub cognitione decursa se supplicium evadere non posse, quod circa falsarios legum dictat auctoritas (2).

XXX. Sciat autem scriptus heres vel legatarius aut libertus, quod si eis conhibentibus (l. conniventibus) aut scientibus tale aliquid temptatum fuerit, se non solum emolumento ipso vel fructu eius scripturae esse privandos, verum etiam falsi poenam declinare non posse. In hoc reatu erit quisquis operam aut studium faciendis adhibuerit talibus testamentis : cum voluntates velimus esse liberas mortuorum et nihil ibi sibi aliena debeat praesuasio vindicare (3).

XXXI. Ne quis voluntatem suam facere volenti (l. volentem) aut testes quolibet nomine deterreat aut contradictor existat; cum, si quid actionis fuerit, eam legibus adversum haeredem possit exercere.

XXXII. Barbaris, quos certum est reipublicae militare, quomodo voluerint et potuerint, faciendi damus licentiam testamenti, sive domi sive in castris fuerint constituti (4).

XXXIII. Is qui ab intestato defuncti sperat hereditatem, si volentem testatorem prohibeat facere testamentum, tanquam ab indigno eius hereditas auferatur (5).

XXXIIII. Nemo aut Romanus aut Barbarus rem petat alienam, quam si per subreptionem impetraverit, non valebit, et eam se non dubitet cum fructibus redditurum: salvo eo quod super hac parte superiora nostra edicta ius sanciunt.

XXXV. Is qui quasi sub specie utilitatis publicae, ut sic necessarie faciat, delator exsistit, quem tamen nos execrari omnino profitemur, quamvis vel vera dicens, legibus prohibeatur audiri: tamen si ea, quae ad aures publicas detulerit, inter acta constitutus non potuerit adprobare, flammis debet absumi (6).

XXXVI. Si quis ad nuptias non legitimas adspiraverit, legum

---

(1) Cf. Ulpian. XX, 1. Inst. II, 10, 2. Dig. XXVIII, 1, 21, 2: 3. 5. Cod. VI, 23, 9.
(2) Cf. Cod. Theodos. II, 16, 3.
(3) Cf. Dig. XLVIII, 10, 6.
(4) Cf. Dig. XXIX, 1, 1 pr.
(5) Dig. XXIX, 6. Cod. VI, 34.
(6) Cf. Cod. Th. X, 10.

censuram penitus non evadat; qui nec iustum matrimonium nec filios se habere sciat legitimos (1).

XXXVII. Intra annum mortis mariti nulla ad secundus nuptias migret: sed nec furtim se misceat illi, cuius post annum erit uxor futura, quia leges videtur circumscribere voluisse. Idcirco utramque personam stupri ream esse praecipimus. Quam querelam damus tantum filiis et propinquis, ut quod in talibus causis legibus competit, exsequantur (2).

XXXVIII. Adulteri et adulterae, intra iudicia convicti, interitum non evadant; ministris eiusdem criminis aut consciis pariter puniendis (3).

XXXIX. Qui ut adulterium fieret, domum vel casam praebuit, quive mulieri, ut adulterio consentiret, suasit, capite puniatur (4).

XL. Qui falsum nesciens allegavit, ad falsi poenam minime teneatur (5).

XLI. Qui falsum fecerit, vel sciens falso usus fuerit, aut alterum facere suaserit, aut coegerit, capitali poena feriatur (6).

XLII. Qui varium (al. vanum) aut falsum testimonium dixerint, aut utrique parti prodiderint, in exilium dirigantur (7).

XLIII. Nullus ad potentem Romanum aut Barbarum proprias quolibet titulo transferat actiones. Quod si fecerit, iacturam litis iurgator incurrat, et is qui susceperit, medietatem pretii rei aestimatae fisco cogatur inferre. Qua poena teneri praecipimus etiam eos, qui rem in lite positam in huiusmodi crediderit (l. crediderint) transferendam esse personam; quoniam volumus, ut remota persona potentioris, aequa iurgantes sorte confligant. Litigantibus vero post caussae terminum, largiendi quod vicerint, cui voluerint personae, concedimus potestatem (8).

XLIIII. Nullus se potens Romanus aut Barbarus tanquam defensor aut suffragator negotio misceat (9).

XLV. Nullus alienae rei vel suae titulos prorsus adfigat: cum soli fisco hoc privilegium, his quae possidet iure vel corpore, videatur esse concessum (10).

XLVI. Is qui in ea re quam possidet, iudicis praeceptione conventus, titulum potentis nomine adfixum adversario suo crediderit

(1) Cod. V, 5, 6. Gai. I, 64.
(2) Cf. Cod. Th. III, 8, 1.
(3) Cf. Cod. Th. IX, 40, 1.
(4) Cf. Dig. XLVIII, 5, 8.
(5) Cf. Paul. I, 12, 3. Cod. IX, 22, 20.
(6) Cf. Paul. IV, 7, 2. Dig. XLVIII, 10, 2. Cod. Th. IX, 19, 2.
(7) Paul. V, 15, 5: Cf. Dig. XXII, 5, 16.
(8) Cf. Cod. Th. II, 13, 1. Dig. IV, 7.
(9) Cf. Cod. Th. II, 12, 6. Cod. II, 17 (18).
(10) Cf. Cod. Th. h. t. et Gothofredi commentarium.

opponendum, eius possessionis aut casae, quam sub hac fraude vindicare temptaverit, amissione puniatur: nec repetendae actionis, etsi competere possit, habeat facultatem (1).

XLVII. Ille vero qui possessa ab aliis praedia titulis occupaverit, capite puniatur.

XLVIII. Libertos originarios, vel servos, dominos aut patronos suos eorumque liberos deferentes, in quolibet negotio prohibemus audiri: quia huiusmodi personae neque in civilibus neque in criminalibus caussis contra patronos aut dominos eorumque liberos, etiamsi pro his dicant, vocem possunt habere legitimam; quos in huiusmodi facto deprehensos, in ipso actionis exordio gladiis oportet extingui (2).

XLIX. Hoc etiam de familiaribus servari deberi censemus, qui cuiuslibet familiaritati vel domui inhaerentes, delatores aut accusatores emerserint: excepto tamen crimine maiestatis.

L. Occultis secretisque delationibus nihil credi debet: sed eum qui aliquid defert, ad iudicium venire convenit; ut si quod detulit, non potuerit adprobare, capitali subiaceat ultioni (3).

LI. Donationes sub hac solemnitate praecipimus celebrari. Quod si cuiuslibet pretii res mobilis fortasse donetur, vel certe mancipium, sola traditione largientis sit perfecta donatio; quae tamen scripturae fide possit ostendi, cui testium subscriptio adiecta monstretur (4).

LII. Si vero praedium rusticum aut urbanum quisquam libero arbitrio conferre voluerit, scriptura munificentiae etiam testium subscriptionibus roborata gestis municipalibus allegetur; ita ut confectioni gestorum praesentes adhibeantur tres curiales, aut magistratus, aut pro magistratu defensor civitatis cum tribus curialibus aut duumviri vel quinquennalis (5): qui si defuerint, in alia civitate, quae haec habuerit, allegationis firmitas impleatur, aut apud iudicem eiusdem provinciae, quod donatum fuerit, allegetur.

LIII. De traditione vero quam semper in locis secundum leges fieri necesse est, si magistratus, defensor, duumviri aut quinquennalis forte defuerint, ad conficienda introductionum gesta tres sufficiant curiales: dummodo vicinis scientibus impleatur corporalis introductionis effectus (6).

LIIII. Passim matrimonia dissipari non patimur. Ideo uxor a

---

(1) Cf. Cod. Th. II, 14, 1.
(2) Cf. Cod. Th. IX, 6, 3.
(3) Cf. §§ 13, 36 et Cod. Th. X, 10.
(4) Cf. Cod. Th. VIII, 12, 1. 3. 5. 6 et Ed. Ath. 8.
(5) De hoc loco v. praeter Cod. Th. h. t. 8, Savigny hist. iur. Rom. § 23.
(6) Cf. Cod. Th. h. t. 1, 2. 8.

marito, aut maritus ab uxore, nisi probatis caussis, quas leges comprehendunt, omisso repudio, a iugali vinculo non recedant. Caussae autem debent esse divortii: Si maritus aut homicida, aut maleficus, aut sepulchrorum violator ab uxore in examine fuerit adprobatus. Maritus quoque his criminibus convictam merito dimittat uxorem, si adulteram, si maleficam, vel etiam quam vulgus adpellat aggagulam, in iudicio potuerit adprobare. Quibus edoctis, maritus, et dotem lucretur, et sponsalitiam recipiat vel sibi habeat largitatem, et tituli utriusque proprietatem secundum leges filiis eum iubemus servare communibus. Pari etiam modo, si mulier maritum superioribus criminibus involutum a iudicatione convicerit, et dotem recipiat, et sponsalitiam lucro habeat largitatem. Cuius tamen sponsalitiae tantum donationis proprietatem liberis communibus etiam ipsa conservet: nubendi vero, vel non nubendi licentiam pro constitutis veteribus sortiatur (1).

LV. Omnes appellationes suscipiant ii provinciarum iudices, a quibus provocari potest: quando optimae conscientiae conveniat etiam superfluam appellationem sine dubitatione suscipere, dum de appellationis merito sacer possit perpensis legibus cognitor iudicare. Quod si iudex sua absentia procuravit, ne appellatorios libellos accipiat: in locis celeberrimis, qui appellare voluerit, libellum de absentia iudicis de sua appellatione habere debere censemus. Iudex autem, qui aut suscipere appellationem contempserit, aut certe in custodiam dederit, aut verberaverit, aut aliquo dispendio laeserit appellantem, decem librarum auri amissione feriatur, quas fisci compendiis cura sacri cognitoris praecipimus aggregari; officium quoque, cuius interest, mulctae legitimae subiacebit (2).

LVI. Abactor animalium vel gregum atque pecorum alienorum, sive ea de stabulis, sive de pascuis abegerit, gladio puniatur, et in quadruplum amittentis damno de eius substantia consulatur. Quod si servus aut originarius fuerit, dominus pro his conventus, legibus, si maluerit, aut, ut supra diximus, satisfaciat, aut impetitos ad poenam mortis iudici publico tradere non moretur (3).

LVII. Abactor si usque ad unum equum, duas equas, totidemque boves, et usque ad decem capras, et quinque porcos tulisse tam de stabulis, quam de pascuis fuerit adprobatus, sive per surreptionem, sive ea violenter abduxerit, severissime puniatur: quidquid vero intra suprascriptum numerum animalium vel porcorum (l. pecorum) a

---

(1) Cf. Cod. Th. III, 16, l. 2.
(2) Cf. Cod. Th. tit. de appellat. passim.
(3) Cf. Dig. XLVII, 14, l. Paul. V. 18.

quocunque sublatum fuerit, tanquam furtum sub quadrupli poena solvatur (1).

LVIII. Qui bovem, vel equum errantem, vel aliud pecus abduxerit, furti magis reus tenendus est, et in quadruplum animalia vel pecora sublata restituat: nisi ea ab eo die quo invenerit, septem diebus continuis in publicis celeberrimisque locis, aut ante praetorium iudicis, proposuerit; hoc enim facto nullius poenae damna sustineat (2).

LIX. Qui ingenuam virginem per vim corruperit, si idoneo patrimonio gratulatur, et est genere nobilis, eandem accipere cogatur uxorem; ita ut ei sponsalitiae titulo largitatis quintam partem patrimonii sui noverit conferendam. Quod si iam habens uxorem ista commiserit, tertiam partem patrimonii sui illi, quam per vim corruperit, sub idonea et sollemni scriptura dare cogatur; ut illa quae per eum iacturam pudoris incurrit, honestum possit invenire coniugium. Si autem nullo patrimonio aut nobilitate fulcitur, oppressor et violator pudoris ingenui, supplicio adficiatur extremo (3).

LX. Si quis viduae stuprum violenter intulerit, cuiuslibet loci corruptor adulterii poena depereat (4).

LXI. Si quis (ins. *servus*) vero etiamsi cum volente et adquiescente vidua hoc crimen admiserit, flammis ultricibus exuratur: illa quoque adulterii poena damnanda, quae non erubuit servili subiacere libidini (5).

LXII. Si matrona vidua alicuius libidine volens corrupta sit, stuprum admittitur; nisi forte vilis vulgarisque sit mulier. Cum his enim viduis adquiescentibus si quis concubuerit, quas artis operam, aut ministerii laborem publice exercere constiterit, hoc crimine nec ipse nec illae teneantur obnoxii (6).

LXIII. Si servus alienus aut originarius ingenuam virginem per vim corruperit, aut stuprum viduae per vim intulerit, convento domino, rebus discussis atque patefactis, capite feriatur.

LXIIII. Ancillam alienam virginem vel originariam, cuiuslibet aetatis, quisquis ingenuus, nulli tamen quolibet modo obnoxius civitati, corruperit, si dominus voluerit, aut corruptor ipse rogaverit, et apud gesta professus fuerit, mansurus in domini mulieris potestate, eius quam vitiavit contubernium non relinquat, nec, eadem mortua, discedendi habeat facultatem. Quod si dominus ancillae non con-

(1) Cf. Paul. cit., Dig. h. t. 2.
(2) Cf. Dig. cit. 1.
(3) Cf. Moys. V, c. 22, v. 23—29.
(4) Cf. § 63.
(5) Cf. Cod. Th. IX, 9, 1. Nov. Anth. I.
(6) Cf. Paull. II, 26, 11. Cod. IX, 9, 28 (29).

senserit, aut ille profiteri noluerit, tunc aut huius meriti duo mancipia domino tradat, eius iuri profutura, si eius substantia patiatur: aut si hoc implere non potuerit, caesus districtissime fustibus vicinae civitatis collegio deputetur; quod iudex eiusdem loci, periculi sui memor, implere et custodire debet (1).

LXV. Quotiens se ancillae ingenuus, aut originarius, aut servus forte miscuerit, necesse est, ut omnis matrem sequatur agnatio, id est, filii omnes ad dominum ancillae pertineant.

LXVI. Quoties vero se originariae servus alienus ingenuusve miscuerit, nihilominus omnes filii matrem sequantur (2).

LXVII. Si vero originarius alienus se originariae fortasse coniunxerit, duas filiorum partes originarii dominus, et tertiam sobolis originariae dominus consequatur (3).

LXVIII. Originaria ex quo de ingenuo solo discesserit, intra vicennii spatia repetatur. Quod si originaria, exemptis viginti annis, domino sub hac praescriptione perierit, simul eius agnatio, intra viginti annos suscepta a domino mulieris servato novellae legis tenore non pereat (4).

LXIX. Quisquis curialem, aut collegiatum, aut servum, per triginta annos possederit, qui nullam patriae suae (al. patriam suam) collationem subiisse monstratur, eos praediorum dominis iubemus adquiri: quia in nullo tricennalis legis saluberrimum constitutum sub qualibet patimur occasione turbari: quam sive adversus privatum, sive adversus fiscum, suam, quemadmodum leges praecipiunt, obtinere convenit firmitatem. Et quia frequenter scimus tales calumnias in perniciem dominorum, conniventibus rusticis aut curialibus excitari, quo conlationem praestitisse dicantur: hoc eatenus valebit, si sciente possessionis domino, et non reluctante, aut certe procuratore, conductoreque eius, cum dominus in transmarinis fuerit regionibus constitutus, conlationem (al. consolationem) praestitam, fuerit adprobatum (5).

LXX. Si servus cuiuslibet nationis ad quamlibet Ecclesiam confugerit, statim domino veniam promittente reddatur: nec enim ultra unum diem ibidem residere praecipimus. Qui si exire noluerit, vir religiosus archidiaconus eiusdem Ecclesiae vel presbyter, atque cle-

(1) V. Nov. Valentin. tit. XXX.
(2) Cf. Dig. I, 5, 19. Cod. XI, 48 (47), 16.
(3) Cf. Cod. Th. V. 10, 1, et Novell. Valentin. tit. XXX.
(4) Cf. Cod. Th. eod. § 3, Nov. cit.
(5) Cf. Nov. VII Majorian.

rici eundem ad dominum suum exire compellant, et domino indulgentiam praestanti sine dilatione contradant. Quod si hoc suprascriptae religiosae personae facere forte noluerint, aliud mancipium eiusdem meriti domino dari cogantur: ita ut etiam illud mancipium quod in Ecclesiae latebris commoratur, si extra Ecclesiam potuerit comprehendi, a domino protinus vindicetur.

LXXI. Si quis in caussa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convolaverit, archidiaconus eum compellat egredi, ad edenda legibus ratiocinia sua: aut si hoc facere noluerit, eius substantiam, quam ad Ecclesiam detulit, sine mora contradat. Quod nisi fecerit, quanti interest utilitatis publicae, archidiaconus cogatur exsolvere (1).

LXXII. Testamenta, sicut leges praecipiunt, allegentur: hoc modo fides voluntatis alienae titubare non poterit.

LXXIII. Auctoritates quorumlibet iudicum, vel praecepta cuiuslibet sedis ac potestatis, sola publica servata civilitate exequantur officia: et conventum sufficiat promittere, se ad iudicium esse venturum, nihil ultra praesumat apparitor. Et illius sedis apparitor executiones suscipiat, unde praecepta manaverint. Quod si alterius miles, alterius iudicis auctoritatem exsequi forte temptaverit, amissionem cinguli fustibus caesus incurrat: litigator autem negotium incunctanter amittat (2).

LXXIIII. Si petitor improbe litem cuiuscunque rei alteri forte commoverit, et fuerit sub iusta examinatione convictus, ex die plantati solemniter iurgii, sumptus et litis expensas, quas se pulsatus immerito sustinuisse docuerit, a petitore recipiat, sub aestimatione scilicet iudicis, aut bonorum virorum ex delegatione noscentium: quorum iustitiae et deliberationis erit, quales sumptus litis et expensas eum, qui importune alterum ad publicum deduxerit examen, redhibere conveniat (3).

LXXV. Qui etiam armatis hominibus, ferro, fuste, lapide, de possessione quemquam, domo, villa expulerit, expugnaverit, obsederit, clauserit, aut si forte propter hanc rem homines suos praestiterit, locaverit, conduxerit, turbam, seditiones, incendium fecerit, ad violentiae poenam, quae est superius adscripta, teneatur. Si quis autem sepeliri mortuum, quasi debitorem suum adserens, prohibuerit, honestiores bonorum suorum partem tertiam perdant, et in quinquennale

---

(1) Cf. Cod. Th. IX, 45, 3. 1.
(2) Cf. Dig. II, 4, 18. 21.
(3) Cf. Dig. V, 1, 79 pr.

exilium dirigantur: humiliores caesi fustibus, perpetui exilii damna sustineant (1).

LXXVI. Illi res occupata per violentiam, intra annum momenti, iure, salva proprietatis caussa, reddetur, qui eandem rem, quam alterius praesumptione perdidit, nec violenter, nec abscondite, nec precario possidet (2).

LXXVII. Si servi de irrogata violentia convicti fuerint, aut certe confessi, et hoc domini praecepto factum sub iusta et diligenti cognitione constiterit, domino ad violentiae poenam retento, pervasa reddantur, servis nihilominus extremo supplicio puniendis, si violentiam eos sua temeritate commisisse claruerit (3).

LXXVIII. Qui ingenuum plagiando, id est sollicitando, in alia loca translatum aut vendiderit, aut donaverit, vel suo certe servitio vindicandum crediderit, occidatur.

LXXIX. Qui ingenuum in servitute tenet, nec conditioni potest obnoxium comprobare, et calumniae et iniuriarum reus teneatur adstrictus (4).

LXXX. Qui mancipium alienum sollicitaverit, tres alios eiusdem meriti, et ipsum domino cum peculio suo reddat. Quod si quis a quolibet bona fide suscipitur quo se dicat ingenuum, suscipientis haec debet esse cautela, ut eum ducat ad gesta, et se profiteatur ingenuum: quo facto dum a domino servus aut originarius postulatus fuerit et probatus, solus sine retinentis incommoditate reddatur.

LXXXI. Si quis nesciens a plagiatore mancipia comparaverit, reatu plagii non potest obligari (5).

LXXXII. Si ingenuus distrahatur, nullum praeiudicium sui status incurrit, nisi forte tacendo de ingenuitate sua, emptoris ignorantiam maior aetate circumvenerit. Nam de plagio adversus venditorem pro defensione vel iniuria agere potuit (l. poterit ?): nisi pretium quod pro eo datum fuerit, cum suo voluerit venditore partiri. Tunc enim praeiudicium conditionis incurret, quod sibi ipse dissimulando et consentiendo peperit (6).

LXXXIII. Qui ingenuum celaverint, vendiderint, vel scientes comparaverint, humiliores fustibus caesi in perpetuum dirigantur exilium; honestiores confiscata tertia parte bonorum suorum, poenam patiantur nihilominus quinquennalis exilii (7).

---

(1) V. Paul. V, 26, 3, cf. Dig. XLVIII, 6, 3 pr.: 6. 4. 5 pr. De poena cf. § 9.
(2) Cf. Paul. V. 6. Gai. IV, 154.
(3) Cf. Cod. Th. IX, 10, 4.
(4) V. Cod. IX, 20, 10?
(5) V. Cod. IX, 20, 10?
(6) Cf. Cod. VII, 18, 1. 6.
(7) Cf. Dig. XLVIII, 15, 6, 2.

LXXXIIII. Quisquis servum, sive colonum alienum, sciens fugitivum susceperit, aut occultaverit, ipsum domino cum mercedibus et peculio eius, et eiusdem meriti alterum reddat. Quod si secundo aut tertio eundem fugitivum idem, apud quem fuerat, suscipiendum esse crediderit, praeter ipsum, cum mercedibus, tres alios domino eius tradat. Mancipium tamen ipsum, ne propter capiendum lucrum callide et dolose a domino ad domum eius, qui susceperat, immissum fuerit, oportet in examinatione torqueri: ut si per interrogationem in questionem positi constiterit a domino suo ad domum alterius fraudulenter immissum, fisci protinus compendiis adplicetur (1).

LXXXV. Servos sollicitatos ab altero, vel furto ablatos, si scientes alii susceperunt, non tantum de his susceptis conveniri et eos reddere debent, sed etiam ad poenalem actionem furti detinendi sunt (2).

LXXXVI. Qui servum alienum invito domino apud se tenuerit, furti est actione pulsandus (3).

LXXXVII. In fuga positus servus nec vendi, nec donari potest (4).

LXXXVIII. Si abactor, sollicitator ac fur, antequam per auctoritatem iudicis convincatur, mortuus fuerit, heredes eius pro delicto auctoris sui in nullo teneantur obnoxii, nisi ob earum tantum rerum repetitionem, quas ad eos pervenisse constiterit.

LXXXIX. Si quis sibi, ut aliquem terreat, militiam confinxerit, vel adsumpserit quam non habeat potestatem, viliores fustibus caesi perpetuae relegationis mala sustineant, honestiores exilii patiantur incommoda (5).

XC. Qui testamentum, codicillum, tabulas, rationes, gesta, libellos, cautiones, epistolas in fraudem alterius, quocumque loco deleverint, mutaverint, subiecerint, subrepserint, incenderint, raserint; aut aes, argentum, vel ferrum inauratum scientes pro auro dederint, vel vendiderint, vel supposuerint; quique pro argentum stannum subiecerint; vel exteriorem circulum solidi praeviderint, quive ut id fieret, jusserint operamve dederint, poenam sustineant falso (l. falsi) crimini constitutam (6).

XCI. Qui testibus pecuniam dederit, ut falsum testimonium dicant, vel certe quod sciunt taceant, aut non exprimant veritatem, vel iudici praemium dederint, ut sententiam contra iustitiam dicat, vel non iudicet, humiliores capite puniantur, honestiores bonorum suorum amissione multentur (7).

---

(1) Cf. Cod. VI, 1, 4.
(2) Cf. Dig. XI, 3, 11, 2. Cod. VI, 2, 6.
(3) Cf. Cod. cit.
(4) V. Cod. IX, 20, 6.
(5) Cf. Paul. V, 25, 12.
(6) Cf. Paul. V, 25, 1. 5.
(7) Cf. Paul. V, 25, 2.

XCII. Si sponsa persuasa ab sponso ad eius domum non tradita venerit, sponsus raptoris crimine non teneatur (1).

XCIII. Invitus pater familiam suam in matrimonium nulli dare compellatur.

XCIIII. Parentes qui cogente necessitate filios suos alimentorum gratia vendiderint, ingenuitati eorum non praeiudicant; homo enim liber pretio nullo aestimatur (2).

XCV. Nec pro pignore filii a parentibus alicui dari possunt: et si sciens creditor ingenuos pro pignore a parentibus susceperit, in exilium dirigetur. Operas enim tantum parentes filiorum, quos in potestate habuerint, locare possunt (3).

XCVI. Qui in libertate degens ad servitutem vocatur, rei partes sustinet: ideo petitori eius, vel illi qui se dominum dicet, incumbet servum suum docere. Si vero ex possessione servitutis in libertatem reclamet, defensori eius necesse est liberum comprobare (4).

XCII. Qui casam, domum, aut villam alienam inimicitiarum caussa incenderit: si servus, colonus, ancilla, originarius fuerit, incendio concremetur: si ingenuus hoc fecerit, restituat quidquid dispendii acciderit per illud, quod commovit, incendium; aedificiumque renovet, et aestimationem insuper consumptarum rerum pro poena talis facti cogatur exsolvere; aut si hoc sustinere pro tenuitate nequiverit, fustibus caesus perpetui exilii relegatione plectatur (5).

XCVIII. Ex eo vero incendio, quod incaute servus aut colonus in domini sui agro supponit, si vicini forte arbores frugiferas, aut sylvas, vineta, vel segetem laeserit, sive aliud quodlibet dispendium adtulerit, aut aestimatione habita dominus eius, per quem vicino damnum continget, sarciat atque compenset: aut ipsum qui ignem supposuit, si hoc magis elegerit, pro facti culpa tradat iudici puniendum (6).

XCIX. Qui hominem sine audientia, et sine potestate vel iurisdictione iudicis competentis, immerito iusserit vel suaserit occidi, tanquam reus homicidii occidatur (7).

C. Servus alienus in alterius caput torqueri non potest: nisi delator, aut accusator, cuius interest probare quod intendit, pretium eius, quantum dominus taxaverit, inferre paratus sit (8).

---

(1) Cf. Cod. Th. IX, 24, 1. Caus. 36, qu. 2.
(2) Cf. Paul. V, 1, 1. Vatic. fr. 26. 33. 34. Cod. Th. V, 8, 1.
(3) V. Paul. l. c.
(4) Cf. Dig. XL, 12, 7, 5. Cod. VII, 16, 5.
(5) Cf. Paul. V. 20, 2.
(6) Cf. Paul. V, 20, 3. 4.
(7) Cf. Paul. V, 23, 11. 26, 1.
(8) Cf. Paul. V, 16, 3.

CI. Qui servum ideo comparavit, ne adversus se torqueretur, restituto pretio, resoluta venditione, adversus eum qui fraudulenter emerat, debet subiici quaestioni (1).

CII. Si servus ad hoc fuerit manumissus ne torqueatur, quaestio de eo nihilominus haberi potest (2).

CIII. Ubi quod facinus commissum dicitur, ibi deferendum et vindicandum est. Hi enim qui accusantur, de provincia ad aliam provinciam transferri non debent, ne per longum iter eripiantur, aut fugiant: nec interest si ingenui, vel liberti, vel servi sint, qui aliquid criminosum commisisse dicuntur (3).

CIIII. Qui effodiunt terminos, vel exarant limites, finem scilicet designantes, aut arbores terminales evertunt; si servi sunt aut coloni, et sine conscientia vel iussu domini fecerint, (ins. morte) puniantur. Si vero hoc imperante domino factum esse constiterit, idem dominus tertiam partem bonorum suorum perdat, fisci iuribns profuturam: servo ipso aut colono nihilominus capite puniendo (4).

CV. Eos terminos observandos, quos duorum fundorum dominus inter utrumque praedium, cum ex his unum alienaret, servari debere constituit; non eos qui singulos fundos antiqua institutione separabant (5).

CVI. Quotiens aliquod negotium consensu litigantium, aut sententia iudicis, sacramentis fuerit diffinitum, retractari non poterit: nec de periurio agere cuiquam vel movere permittitur quaestionem (6).

CVII. Qui auctor seditionis vel in populo vel in exercitu fuerit, incendio concremetur.

CVIII. Si quis pagano ritu sacrificare fuerit deprehensus, arioli etiam atque umbrarii, si reperti fuerint, sub iusta aestimatione convicti, capite puniantur; malarum artium conscii, id est malefici, nudati rebus omnibus, quas habere possunt, honesti perpetuo damnantur exilio; humiliores capite puniendi sunt (7).

CIX. Si servus aut colonus domino nesciente violenter aliqua rapiat, dominus eius intra annum in quadruplum, post annum in simplum convenietur. Aut pro noxia certe, si hoc magis elegerit, ipsum servum vel colonum noverit ad poenam iudici contradendum: ita ut, quod ad eum ex ipsa servi violentia pervenisse constiterit,

(1) Cf. Paul. V, 16, 7.
(2) Cf. Paul. eod. 9.
(3) Cf. Cod. Th. IX, 1, 10, 16.
(4) Cf. Paul. V, 22, 2.
(5) Cf. Dig. X, 1, 12.
(6) Cf. Dig. XII, 2, 31, 7. XLII, 1, 1, 56.
(7) Cf. Cod. Th. XVI, 10, 6, 23.

reddat. At si conventus eum fugisse dixerit, executionem eius conquerenti dedisse sufficiat (1).

CX. Qui sepulchrum destruxerit, occidatur (2).

CXI. Qui intra urbem Romam cadavera sepelierit, quartam partem patrimonii sui fisco sociare cogatur: si nihil habuerit, caesus fustibus civitate pellatur (3).

CXII. Damnatorum ex quibuslibet criminibus bona filiis primum ac parentibus, vel propinquis usque ad tertium gradum proficiant; quod si eos non habuerint, fisco omnia solvantur (4).

CXIII. Si curialis damnatus filios reliquerit, totum, quod dimisit, ipsi capiant: si non habuerit filios, ad curiam eius perveniant facultates; excepta caussa maiestatis, in qua omnium damnatorum bona nec ad filios, si habeant, sed ad solum fiscum, secundum legum cauta, necesse est pervenire.

CXIIII. Si addictos damnatosque iudiciis clerici vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad poenam, vel ad dispendia teneantur, quae sententia in convictos prolata statuisse monstrabitur: et si conniventia iudicis vel conludio hoc claruerit perpetratum, quinque auri libras idem iudex cogatur exsolvere (5).

CXV. Qui pecuniam fisco vel publicis rationibus competentem furandi studio tulerit, eam reddat in quadruplum.

CXVI. Qui sciens ex rapinis aliqua a raptore, id est a fure servanda susceperit, eadem qua raptor poena teneatur (6).

CXVII. Servus si furtum fecerit, vel damnum cuilibet dederit, nisi eius dominus hoc pro sua qualitate reddere vel sarcire paratus sit, noxae eum dare cogitur: quod et de animalibus faciet, si alicui damna generaverint (7).

CXVIII. Si propter furtum servi dominus conventus furem ipsum magis tradere, quam defendere eum in iudicio voluerit, illa etiam, quae ad eum ex ipso furtu pervenisse constiterit, pariter debebit exsolvere (8).

CXIX. Si quid de taberna vel stabulo perierit, ab his qui locis talibus praesunt, vel qui in his negotiantur, repetendum est, ita ut praestent sacramenta de conscientia sua suorumque: et si hoc fecerint, nihil cogantur exsolvere, aut certe quantum petitor iuraverit se in eo loco perdidisse, restituant.

---

(1) Cf. Cod. III, 41, 4.
(2) Cf. Nov. Valentin. XXII.
(3) Cf. Cod. Th. IX, 17, 6.
(4) Cf. Cod. Th. IX, 42, 2.
(5) Cf. Cod. Th. IX, 3, 5.
(6) Cf. Cod. VI, 2, 14.
(7) Cf. Paul. II, 31, 7. I, 15, 1.
(8) Cf. Dig. IX, 4, 33.

CXX. Si servus furtum fecerit, et manumissus a domino fuerit, vel venditus alteri, vel donatus, caussam de furto tum ipse manumissus dicat, vel ille qui eum emit, aut cui donatus est. Noxa enim semper caput sequitur. Et non solum is qui furtum fecit, sed etiam is cuius opera vel consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur (1).

CXXI. Si procuratori, vel conductori, sive colono, vel servo alicuius, invito vel nesciente domino, mutuam pecuniam quis dederit, nec ipsi domino, nec rei eius aliquod praeiudicium comparetur: sed ex peculio servi vel coloni, considerata vel servata prius indemnitate domini, consulatur petitionibus creditoris (2).

CXXII. Amittant repetitionem debiti creditores, qui cautiones debitorum suorum potentibus tradiderint, et per eos magis exactionem mutuae pecuniae voluerint procurare (3).

CXXIII. Capiendorum pro suo arbitrio pignorum unicuique licentiam denegamus: ita ut, si probabile fuerit, hoc agendi iudicis praestet auctoritas.

CXXIIII. Creditor si debitori suo res sibi non obligatas violenter rapiat, intra annum criminis admissi conventus, sub poena quadrupli praesumpta restituat: post annum vero in simplum debebit exsolvere. Quod etiam de fructibus violenter ablatis servari debere legum ratio persuadet (4).

CXXV. Si quis de Ecclesiis, id est locis religiosis, homines traxerit, vel aliquid violenter crediderit auferendum, capite puniatur (5).

CXXVI. Nullus post haec curialium, sive tabulariorum aut susceptorum, in Ecclesia residens pictatia (l. pittacia) delegationis emittat, sed si quem fisco debitorem novit, exponat eum extra Ecclesiam constitutus, aut certe deleget facturus cum eo, qui se debitorem negaverit, publice rationem. Quod si mutuum quis, cum sibi delegatur, et se non debere clamaverit, violenter crediderit exigendum, in quadruplum extorta restituat.

CXXVII. Delegari nemo debet invitus: sed si is, qui a creditore suo delegatur, consensum delegationi praebens, debere se fateatur, et redditurum spondeat, quod promisit, cogatur exsolvere (6).

CXXVIII. Filius in potestate patris positus, vel servus, aut colonus, si a patre, vel domino, in qualibet culpa nón defendantur de

---

(1) V. Paul. II, 31, 8: 10.
(2) Cf. Cod. Th. II, 31, 1. 32, 1.
(3) Cf. Cod. Th. II, 13, 1, et supra §§ 43—47.
(4) Cf. Dig. IV, 2, 14, 1: 2: 7.
(5) V. Cod. I, 12, 2.
(6) V: Cod. VIII, 42 (41), 1. 6.

ipso delicto vel crimine, tradendi sunt iudici competenti: nisi forte filiusfamilias ipse defendere pro delicto, quo impetitur, in iudicio se voluerit (1).

CXXIX. Qui per mendacium, vel subreptionem aliquid impetraverit, nec ipsi prosit, nec alterum laedat (2).

CXXX. Quod promissum fuisse constiterit, ut fur comprehendatur, merito debetur, et oportet exsolvi (3).

CXXXI. Qui de debito in iudicio convicti vel condemnati fuerint, intra duos menses a die latae sententiae solutionem procurare debent: quod si non fecerint, per auctoritatem iudicis ad eius petitionem qui vincet, capi eorum pignora debent et distrahi: ut quod sententia iuste lata constituit, possit impleri (4).

CXXXII. Qui possessor ad iudicium venit, non est cogendus dicere unde tenet, nec onus ei debet probationis imponi: quia hoc magis petitoris officium est, ut rem, quam repetit, doceat ad se pertinere (5).

CXXXIII. Mulier etiamsi per cautionem alienum debitum se redditurum spondeat, non tenetur (6).

CXXXIV. Amittat sortem debiti creditor, qui ultra legitimam centesimam crediderit a debitore poscendum (7).

CXXXV. Fideiussor qui redimendo pignora eius debitoris, pro quo fidem dixerat, a creditore liberavit, oblata sibi debita pecunia, restituere pignora debitori compellatur (8).

CXXXVI. Si quisquam rem suam nesciens a possessore conduxerit, nihil sibi praeiudicat: sed de proprietate ipsius agere poterit (9).

CXXXVII. Si quis nesciens alienam aream esse, aedificium in ea construxerit, sumptus quos fecit, recipiat: sed amittat quam in solo alieno fecerat mansionem (10).

CXXXVIII. Si una res a duobus temporibus diversis comparetur, ille potior erit et dominium eius magis acquiret, cui traditam fuisse claruerit (11).

CXXXIX. Auctor venditionis etiamsi privilegium habeat sui iudicis, tamen defensurus venditionem suam, forum sequatur emptoris (12).

CXL. Qui de re comparata pertulerit quaestionem, ipsi petitori respondere compellitur, nec ad auctorem suum proponentem repellit:

---

(1) Cf. Dig. IX, 4, 33, 34.
(2) Cf. § 33.
(3) Cf. Paul. II, 31, 24. Dig. XIX, 5, 15.
(4) V. Dig. XLII, 1, 31. Paul. V, 5, 4.
(5) Cf. Cod. Th. XI, 39, 12.
(6) Cf. Dig. XVI, 1.
(7) Cf. Cod. Th., Cod. J. et Dig. tit. de usuris.
(8) Cf. Cod. VIII, 41, 21. VIII, 14, 21.
(9) Cf. Cod. IV, 65, 25.
(10) Cf. Dig. XLI, 1, 7, 10: 12.
(11) Cf. Cod. Greg. III, 2, 4.
(12) Cf. Dig. V, 1, 49.

quem necesse est ad hoc tantum ipse commoneat, ut factum suum in iudicatione (al. in inditione) defendat.

CXLI. Quicunque fugere solitum vendiderit ignoranti, si emptorem quoque fugerit, et pretium venditor reddat et damna sarciat, quae per eundem contigerit fugitivum (1).

CLXII. Liceat unicuique domino ex praediis, quae corporaliter et legitimo iure possidet, rustica utriusque sexus mancipia, etiamsi originaria sint, ad iuris sui loca trasferre, vel urbanis ministeriis adplicare, ita ut et illis praediis adquirantur, ad quae voluntate domini migrata fuisse constiterit, et inter urbanos famulos merito censeantur: nec de eiusmodi factis atque ordinationibus, velut sub oppositione originis, quaestio ulla nascatur. Alienare etiam supradictae conditionis liceat dominis, absque terrae aliqua portione, sub scripturae adtestatione, vel cedere, vel vendere cui libuerit vel donare (2).

CXLIII. Circa Iudaeos privilegia legibus delata serventur: quos inter se iurgantes, et suis viventes legibus, eos iudices habere necesse est, quos habent observantiae praeceptores (3).

CXLIIII. Quicunque susceptores fuerint fiscalium titulorum, in emittendis possessorum securitatibus nomina singularum possessionum, professionem earum evidenter designent: acceptam quoque pro earum functione exponant pecuniae quantitatem. Quod si aliquis professionem locorum, nomina, summamque perceptae pecuniae, in securitatibus a se factis comprehendere forte noluerit, et huius culpae reus in iudicio fuerit adprobatus, quadruplum eius pecuniae, quam possessor se dedisse probaverit, eidem cogatur exsolvere. Quod etiam circa discussores similiter convenit custodire, si de quibus titulis reliquas summas a praesumptoribus vel reliquatoribus exegerint, in securitatibus emittendis signare noluerint (4).

CXLV. Si quis Barbarorum tertio competentis iudicis auctoritate conventus, et edictis solemniter inclamatus, ad iudicem, cuius praeceptione conventus est, venire neglexerit, merito sub discussione caussae sententiam excipiet contumaciae, adeo ut iudicetur de quo conventus est, perdidisse negotium: dummodo tertio quemlibet capillatorum fuisse conventum, aut cautionis ab eodem emissae fides ostendat, aut ingenuorum vel honestorum testium dicta confirment,

(1) Cf. Paul. II, 17, 11.
(2) Cf. Gothofredi paratitl. ad tit. IX et X. Cod. Th. de fugit. colon. et Var. IV, 33.
(3) Cf. Cod. Th. tit. de Judaeis et Theod. et Valentin. nov. III.
(4) Cf. Cod. Th. XII, 6, 18.

quibus manifeste clareat, auctoritate pulsatum, contemsisse dare responsum nec voluisse ad iudicium convenire.

CXLVI. De frugibus ab aliquo ex fundo cuiuslibet sublatis, tam colonus, quam dominus, quia utriusque interest, agere potest (1).

CXLVII. Placita bona fide et definita venditio a venditore rescindi non potest: sed pretium, quod ab emptore debetur, repetendum est (2).

CXLVIII. Servi aut coloni ab hostibus capti et reversi, domino restituantur: si non sunt ante ab altero, vendentibus hostibus, in commercio comparati (3).

CXLIX. Si quis exactorum, vel susceptorum, maiorem mensuram, vel maius pondus adhibuerit, dum fiscales traduntur species, quam publicae ordinationis moderatio antiquitus provisa constituit, ad iudicem continuo cum ipsis mensuris et ponderibus deducatur: ut si fuerit de eorum iniquitate convictus, inde quadruplum pro utilitate illius, quem gravavit, màle susceptarum specierum damna sustineat. Quod etiam circa negotiatores observari deberi censemus, in commerciis si iniusta pondera vel mensuras adhibuisse fuerint adprobati (4).

CL. Nulli liceat invito domino, (al. invitus rustico) rustico alieno operas aut obsequium imperare, nec eius mancipio aut bove uti, nisi hoc forte idem rusticus aut conductor ipsius, vel dominus sua voluntate praestiterit. Qui contra fecerit det pro unius rustici, vel unius bovis diurna opera, quam praesumpsit, auri solidum unum.

CLI. Sive seges aliena, sive quaelibet arbor cuiusque dolo deiecta fuerit, aut aliquid damni provenerit, in quadruplum eius nomine, qui hoc fecerit, addicatur (5).

CLII. Si alienus servus ab aliquo vel rusticus occidatur, in potestate habet dominus eius aut criminaliter de obnoxii morte agere, et homicidam capitaliter accusare; aut de damno certe amissi mancipii civiliter actionem proponere, ita ut pro uno servo occiso duos tales recipiat (6).

CLIII. Uxor pro marito non debet conveniri: res eius aut sponsalis munificentia pro mariti obnoxietate poscatur, legum prudentia et moderatione servata (7).

CLIIII. Die Solis, qui Dominicus nuncupatur, sed et diebus Paschalibus, nullum praecipimus conveniri; qui contra fecerit, sacrilegii reus habeatur.

(1) V. Paul. II, 31: 30. Dig. XLVII, 2, 14, 2. 26, 1.
(2) Cf. Cod. IV, 44, 3.
(3) Cf. Cod. VIII, 50 (51), 10.
(4) Cf. Cod. Th. XI, 8, 3 pr.
(5) Cf. Paul. II, 31, 25.
(6) V. ex. c. Cod. Th. IX, 20, 1.
(7) Cf. Cod. IV, 12, 1. 2.

Haec quantum occupationes nostrae admittere, vel quae nobis ad praesens occurrere potuerunt, a cunctis (al. victis) tam Barbaris, quam Romanis, sumus profutura complexi: quae omnium Barbarorum, sive Romanorum debet servare devotio. Quae comprehendere nos vel Edicti brevitas, vel curae publicae non siverunt, quoties oborta fuerint, custodito legum tramite terminentur. Nec cuiuslibet dignitatis, aut substantiae, aut potentiae, aut cinguli vel honoris persona, contra haec, quae salubriter constituta sunt, quolibet modo credat esse veniendum, quae ex novellis legibus ac veteris iuris sanctimonia pro aliqua parte collegimus: scituris cognitoribus universis ac iura dictantibus, quod si in aliquo haec edicta fuerint violata, se proscritionis deportationisque poena merito esse feriendos. Quod si forsan persona potentior, aut eius procurator, vel vice dominus ipsius, aut certe conductor, seu Barbari, seu Romani, in aliquo genere caussae praesentia non permiserint edicta servari, et iudex, cuius intererit, obsistere aut vindicare aut obviare non potuerit, in nostram illico, si sibi consulit, instructa ex omnibus relatione dirigat, deposita totius formidinis suspicione, notitiam. Hac enim sola ratione a culpa esse poterit absolutus. Quia quod pro omnium provincialium securitate provisum est, universitatis debet servare devotio.

EXPLICIT EDICTUM THEODERICI REGIS.

EDICTUM ATHALARICI REGIS. (1)

Provide decrevit antiquitas, universitatem edictis generalibus admoneri, per quae et delictum omne corrigitur et excedentis verecundia non gravatur. Cuncti enim sibi aestimant dici, ubi nullum constat exponi: et similis fit innocenti, quem contigerit sub communione purgari. Hinc et nostra vere pietas custoditur, dum feriato gladio nascitur metus, et provenit sine cruore correctio. Commovemur enim

(1) Cassiod. Var. IX, 18.

placati, minamur otiosi, et clementer irascimur, quando vitia sola damnamus. Diu est, quod diversorum querelae nostris auribus crebris susurrationibus insonarunt, quosdam, civilitate despecta, affectare vivere belluina saevitia, dum regressi ad agreste principium ius humanum sibi aestimant feraliter odiosum. Quos nunc apte iudicavimus comprimendos, ut eo tempore inimica bonis moribus crimina persequamur, quo hostibus reipublicae divina virtute resistimus. Utrumque quidem noxium, utrumque pellendum: sed tanto gravius grassantur vitia, quanto magis probantur interna. Unum recumbit in altero, facilius quippe inimicorum acies cadunt, si nostro aevo delicta subducimus.

I. Primum humano generi noxiam pervasionem, sub qua nec dici potest civilitas nec haberi, severitate legum et nostra indignatione damnamus; statuentes, ut sanctio divi Valentiniani adversum eos pessime neglecta consurgat, qui praedia urbana vel rustica, despecto iuris ordine, per se suosque praesumpserint expulso possèssore violenter intrare: nec aliquid de eius districtione detestabili volumus temperatione mitigari; insuper addentes, ut si quis ingenuorum ad satisfaciendum legi superius definitae idoneus non habetur, deportationis protinus subiaceat ultioni, quia plus debuit cogitare iura publica, qui se noverat alibi non posse sustinere vindictam. Iudices igitur competentes, ad quos potest admissum facinus pertinere, si invasorem eum possint amovere, pertulerint tenere praesumpta, et adepti cinguli honore priventur et fisco nostro tantum fiant obnoxii, quantum praesumptor potuisset addici: in auctoribus tamen facinoris manentibus constitutis. Quod si quis in tantam raptatus amentiam tyrannico spiritu iuri publico parere neglexerit, viribusque praepotens (al. praeposteris) destinati officii spreverit paucitatem, relatione iudicis nostris auribus notabilis ingeratur, ut indulta executione saionum ultionem sentiat vigoris regii, qui obedire noluit cognitori (1).

II. Et quia summis principibus iuris communione vivendum est, si quis, legum ordine praetermisso, nomine publico titulos praesumpserit affigere, in tantum possidenti fiat obnoxius, quantum sanctio superius memorata testatur. Merito enim et sacrilegii poena percellitur, qui iniquo pervasionis pondere ausus est maiestatem regii nominis ingravare. Litis quoque expensas iudicio superatus exsolvat, quod hinc dantur fomenta detestabilis iurgii, cum improbi vincuntur

(1) Cf. Ed. Th. 16. 75. 76. Valentin. III. Nov. XIX de invasor. (in Corpor. iur. anteiustin. bonn. pag. 1298).

illaesi, nec dolet calumniantibus pudoris damnum, si evaserint dispendia facultatum (1).

III. Si quis autem de nostris scriniis aliquid crediderit promovendum (al. promerendum) adversario suo, quantum ad causam eius pertinet, de consecuta serie iussionum nihil aestimet supprimendum. Ni fecerit, caveat impetratis, vel, si aliquod ex eo agere tentaverit, nihilominus habeatur infirmum, quia illos solos volumus uti beneficiis nostris, quos non cognoscimus studere versutiis (2).

IIII. Qui suasione plectenda matrimonia dividere nititur aliena, ipsius coniugium habeatur illicitum: ut magis contigisse sentiat sibi, quod in altero malignus exercere tentaverit. Si vero pro coniunctionibus (praesentis coniunctionis?) caritate privatur, futurum matrimonium illi iure denegamus, quia non meretur iugalis reverentiae praemia consequi, qui in genialis tori ausus est divisione grassari. Sed ne aliquos huius sceleris reos ultio nostra derelinquat, illos, quos spes non habet praesentis coniugii vel futuri, si quid in alienos thalamos dolosa machinatione praesumserint, facultatum suarum media portione priventur, statim fisci iuribus applicanda. Si vero prohibente pauperie in aliquorum substantia nequiverit vindicari, poena relegentur exilii, ne, quod dictu nefas est, ideo videantur comminationem iuris publici evadere, quia vilissimae noscuntur subiacere fortunae. Sed haec de sollicitatoribus affectus alieni pietas nostra decrevit (3).

V. Ceterum in adulteriis totum districtissime volumus custodiri, quidquid divali potuit commonitione decerni (4).

VI. Uno tempore duabus nemo copuletur uxoribus, quia se noverit rerum suarum amissione plectendum. Nam aut libido est, et recte perfrui non sinitur, aut cupiditas, et iure nuditate damnatur.

VII. Si quis autem superflua turpique cupidine, coniugali honestate despecta, ad concubinae elegerit venire complexus: si ingenua fuerit, iugo servitutis cum filiis suis modis omnibus addicatur uxori, ut illi se per honesta iudicia sentiat subdi, cui per illicitam libidinem credidit posse praeponi. Quod si ad tale flagitium ancilla pervenerit, excepta poena sanguinis, matronali subiaceat ultioni, ut illam patiatur iudicem, quam formidare debuisset absentem.

VIII. Donationes nullius terror extorqueat: nullus acquirere per fraudem vel execrabilem lasciviam concupiscat. Sola enim honestas merito capit lucrum de legibus. In allegatione iustissimae largitatis

(1) Cf. Ed. Th. 45. 47. 74.
(2) Cf. Ed. Th. 34. 129.
(3) Cf. Variar. II, 10. 11.
(4) Cf. Ed. Th. 38.

illam districtionem volumus custodiri, quam pro veritate sollicite legalis sanxit antiquitas. Sic enim, ut ipsa testatur, et fraudi non patebit occasio, et veritati maior crescit auctoritas. Alioqui nulli praecipimus videri firmum, quod ipse conditor non implendo, quae leges vel iura praecipiunt, fecit incertum (1).

IX. Maleficos quoque, vel eos, qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum severitas insequatur, quia impium est, nos illis esse remissos, quos coelestis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas est, creatorem vitae relinquere, et sequi potius mortis auctorem? Turpis actus ex toto sit a iudicibus alienus. Nemo faciat, quod iura condemnant, quia decretali poena plectendi sunt, qui se prohibitis excessibus miscuerunt. Quid enim in aliis damnent, si ipsi se inhonesta contagione commaculent? (2).

X. Sit etiam sub divitibus tuta mediocritas. A caedis temperetur insania. Nam praesumtio manuum actus probatur esse bellorum, maxime in eis, quos tuitionis nostrae munit auctoritas: si quis autem contra facere improba praesumtione tentaverit, violator nostrae iussionis habeatur.

XI. Appellari a subiecto (al. suspecto) iudicibus ordinariis in una causa secundo non patimur; ne quod ad remedium repertum est innocentis, asylum (al. auxilium) quodammodo videatur esse criminosis. Si quis vero vetita iterare tentaverit, negotio privatus abscedat (3).

XII. Sed ne pauca tangentes reliqua credamur noluisse servari, omnia edicta, tam nostra quam domni avi nostri, quae sunt venerabili deliberatione firmata, et usualia iura publica sub omni censemus districtionis robore custodiri, quae tanto munimine se tegunt, ut nostra quoque iurisiurandi interpositione cingantur. Quid per multa discurrimus? Legum usualis regula et praeceptorum nostrorum probitas ubique servetur.

---

(1) Cf. Ed. Th. 51. 52.
(2) Cf. Ed. Th. 108. Cod. Th. IX, 16, 4.
(3) Cf. Ed. Th. 55. Cod. Th. IX, 38.

EX FORMULIS ET EPISTOLIS,

QUAE APUD M. AUR. CASSIODORUM EXTANT.

Formula Comitivae Provinciae (1).

Quamvis omnium dignitatum officia a manu secludantur armata et civilibus vestibus videantur induti, qui districtionem publicam docentur operari: tua tamen dignitas a terroribus ornatur, quae gladio bellico, rebus etiam pacatis, accingitur. Vide quo iudicio fueris evectus, quando aliis vigorem fascium videas esse creditum, tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectum. Rem cruentam dederunt animo pacato, ut et noxii nimium metuerent et laesi de optata ultione gauderent. Alioqui culparentur priores, si temperata omnia non fecissent. Sed cum te intelligas ad moderamen electum, humanum facile non concupiscas exitium. Reus qui dicitur et probetur. Scito puniendi remedium datum tibi pro salute multorum. Arma ista iuris sunt, non furoris. Haec ostentatio nimirum est contra noxios instituta: ut plus terror corrigat quam poena consumat. Non enim cogitur ferro succidere robustam, qui adhuc teneram verbis curvat audaciam. Civilis est pavor iste, non bellicus: quem tu sic facies esse gloriosum, si habere non probetur excessum. Habes etiam et ferrum, nihilominus incruentum. Claudantur nexibus catenarum, quas levium criminum pulsat invidia. Cunctator esse debet qui iudicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vita transactum non patitur immutari. Signa tua abactores timeant, fures pavescant, latrones perhorreant; innocentia tantum laeta respiciat, dum sibi auxilia venisse credit, quae legum disciplina transmisit. Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius conditur, ubi aurum suscipitur. Tu te inermem reddis, si a virili animo cupiditate recesseris. Quocirca per Indictionem illam Comitivae tibi in illa provincia tribuimus dignitatem: ut ad titulos tuos pertinentia civilitate potius laudabilis exequaris: nec quisquam presumas facere, nisi quod privatus possis legibus vin-

---

(1) Variar. lib. VII, 1

dicare. Ipsa est enim recta administratio, quae et sine potestate defenditur: ut tunc probetur fuisse iustus, quando ei quae mavult obiicere possit inimicus. Nec tamen spes nostra velut fastiditate deseritur: nam si bene provinciarum administrationibus praesidetis, honores vos amplissimos sperare leges merito censuerunt (al. consenserunt). Unde iam videtur pene debitum, quod vobis a tanta auctoritate ultro noscitur fuisse promissum (al. esse provisum).

Formula Comitivae Gothorum per singulas provincias (1).

Cum Deo iuvante sciamus Gothos vobiscum habitare permixtos, ne qua inter consortes, ut assolet, indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus, illum sublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare: si quod etiam inter Gothum et Romanum natum fuerit fortasse negocium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit aequabili ratione distringere. Inter duos autem Romanos, Romani audiant, quos per provincias dirigimus, cognitores: ut unicuique sua iura serventur et sub diversitate iudicum una iustitia complectatur universos. Sic pace communi utraeque nationes, divinitate propitia, dulci otio perfruantur. Scitote autem, unam nobis in omnibus aequabiliter esse caritatem: sed ille se animo nostro amplius commendare poterit, qui leges moderata voluntate dilexerit. Non amamus aliquid incivile, scelestam superbiam cum suis detestamur auctoribus. Violentos nostra pietas execratur. In causa possint iura, non brachia. Nam cur eligant quaerere violenta, qui praesentia probantur habere iudicia? Ideo enim emolumenta iudicibus damus, ideo tot officia diversis largitatibus continemus, ut inter vos non sinamus crescere, quod possit ad odium pertinere. Unum vos amplectatur vivendi votum, quibus unum esse constat imperium. Audiat uterque populus quod amamus. Romani vobis sicut sunt possessionibus vicini, ita sint et caritate coniuncti. Vos autes Romani magno studio Gothos diligere debetis, qui et in pace numerosos vobis populos faciunt et universam Rempublicam per bella defendunt. Itaque destinato a nobis Iudici vos convenit obedire: ut quidquid pro conservandis legibus censuerit, modis omnibus impleatis: quatenus et nostro imperio et vestrae utilitati satisfecisse videamini.

(1) Variar. lib. VII, 3.

Sunhivado V. S. Theodericus Rex (1).

Laborum tuorum longa servitia et exploratae fidei multa documenta, hoc nobis iudicium tradunt, ut qui tuos animos moderatus es, nunc alienis moribus praeferaris et praestes provinciae disciplinam, qui privatus amasti continentiam. Is enim potest alios bene regere, qui se studuit sub decore tractare. Sannitarum itaque supplicatione permoti, hoc remedio credimus laborantibus subveniri, si spectabilitatem tuam iuberem ad finienda iurgia (al. sumenda negocia) proficisci. Unde nunc enitere, ut tam bono iudicio laudabili respondeas instituto, aptumque te nobis praebe mandatis, qui hactenus propria sponte placuisti. Intra itaque provinciam Sannii, si quod negocium Romano cum Gothis est aut Gotho emerserit aliquod cum Romanis, legum consideratione definies; nec permittimus indiscreto iure vivere, quos uno voto volumus vindicare. Censebis ergo in commune, quae sunt amica iustitiae: quia nescit personas respicere, qui meram cogitat aequitatem.

Gildiae V. S. Comiti Syracusanae Civitatis Athalaricus Rex (2).

Provincialium Siculorum nobis est suggestione declaratum, quaedam a tua potestate fieri, unde eorum fortunae videantur affligi. Quod ideo leviter accepimus, quia ipsi vindicari praeterita noluerunt. Constat enim esse dubium, quod concedit adversarius: et percelli non potest iure, cui mavult querelosus ignoscere. Sed ut suspiciones iniquas futuris casibus abrogemus, observanda iugiter praesenti iussione decernimus ut nec isti aliquid de futuro metuant nec tu per ignorantiam quae dicuntur incurras. — Duorum negocia Romanorum, etiam his invitis, ad tuum diceris creare iudicium. Quae si cognoscis facta, ulterius non praesumas: ne dum vis iudicium incompetenter quaerere, reatum potius videaris invenire. Memor enim prius esse debes edicti, qui inter alios mavis a te sequenda constitui. Alioqui tota tibi decernendi auctoritas tollitur, si a te illa regula minime custoditur. Ordinariis iudicibus administrationum suarum potestas illibata servetur: cognitores suos legitima turba comitetur. Observationum illarum non mordearis invidia. Gothorum laus est civilitas custodita.

---

(1) Variar. lib. III, 13. (2) Variar. lib. IX, 14.

Tota ad vos fama confluat, si vobis rarius litigator observet. Vos armis iura defendite, Romanos sinite legum pace litigare. — Quocirca sublimitatem tuam iussis praesentibus credimus admonendam: quia excedere nolumus quos amamus: nec aliquid de talibus sinistrum patimur dici, per quos aliorum mores putamus esse corrigendos (al. debere corrigi).

Edictum regum Langobardorum.

Capitulare Italicum.

Expositio ad librum legis Langobardorum.

In hoc libro adornando cum consilium longe diversum sequeremur ab iis, qui iuris Langobardici fontes in virorum doctorum usum collegerunt, rationem seligendi aliam iniri oportebat. Illi quicquid supererat, merito complectebantur, nimirum edictum et libros legis Langobardorum, qui *Concordiae* et *libri Papiensis* et *Lombardae* nomine vulgo appellantur, quibus, si verborum formam rerumque ordinem excipias, eaedem fere leges continentur. Nobis, qui iuvenibus consuleremus, legum regni Langobardici interpretationisque, qualis primis medii aevi saeculis fuit, cognitionem et brevissimam, quantum fieri poterat, et exactissimam proponere sufficiebat. Ideo re diu multumque perpensa, primum edictum regum Langobardicorum, et quidem veram ac genuinam eius formam, recepimus, deinde capitulare, item antiquiorem eius formam, tum formulas iudiciarias, postremo expositionem ad librum legis Langobardorum. Omisimus igitur emblemata illa et glossas marginales, ineptosque versus, quae in collectione, quae vulgo Walcausina dicitur, irrepserunt, de qua collectione cf. Boretius in praefatione ad librum Papiensem cap. V (Monum. Germ. hist. IV Leg.). Quodsi cui hic delectus vel hac vel illa de causa improbabitur, in re tamen maximae et difficultatis et dubitationis plena, longe eum et uberiorem et studiosis utiliorem esse arbitramur quam Muratorii et Canciani editiones, idque satis habemus. Nunc de fontibus, quos edidimus, singillatim breviter disputandum est.

Ante regem Rotharenem Langobardos nullis legibus scriptis usos esse constat. Id et ipse rex (cap. 386 Edicti) testatur et Liutprandus

(cap. 77, 133) de antiquis *cawerfedis* seu *cawarfidis* tradit, quae nihil aliud sunt nisi consuetudines et iura non scripta, quae iudiciorum usu et testimonio prudentiorum propagabantur. Idem Paulus Diaconus confirmat his verbis: « Hic Rothari rex Langobardorum leges « quas sola memoria et usu retinebant, scriptorum serie composuit « codicemque ipsum *edictum* appellari iussit » (Hist. Langob. IV, cap. 44). Edictum igitur Rothareni in codice membranaceo exaratum fuisse videtur, ubi iis, qui deinceps quid edicere vellent, spatium scribendi superesset. Ita omnes Grimowaldi, Liutprandi, Ratchis et Ahistulfi leges uno et eodem volumine continebantur, ipsumque *Edicti* nomen, quod quasi edictorum corpus significaret, inde videtur esse repetendum.

Leges autem Langobardicas veluti pro fundamento prope universi iuris Italici diu valuisse notissimum est, maxime in quibusdam inferioris Italiae provinciis, ubi usque ad sextum decimum saeculum iuris communis vim habuerunt et in usu forensi fuerunt (Vid. ex. c. I. Ferretum in addit. ad Bartoli libell. de contrariet. iuris Roman. et Langob. Venet. 1541: et V. Maxillam ab Atella in comment. sup. consuetud. civitat. Barens. Patavii, 1550). Sed forma earum legum post interitum Langobardicae dominationis valde mutata est. Nam germanum quidem Edictum post Iacobum Columbi scriptorem saeculi XIII a nemine usurpatum aut citatum esse videtur. Restitutis demum in Italia litteris viri docti vetustissimas leges Langobardorum ex tenebris eruere coeperunt editionesque earum parare. Itaque post Heroldinam anni 1557 in edendo edicto elaboravit magnus Muratorius noster in rer. Ital. SS. I, 2. Mediol. 1725 (cuius editionem Georgisch in Corp. iur. German., col. 913 sq., Canciani nonnullis rebus additis in leg. barbar. ant. I. Walter in Corp. iur. Germ. I, 670 sq. repetiverunt); tum Carolus Troya v. cl., qui in Ephemeridibus « *Progresso delle Scienze* », Neapol. 1832, et postea in historia ital. vol. IV, Ratchis et Ahistulfi leges edidit: Baudi a Vesme, vir summae doctrinae, qui antiquissimorum codicum mss. ope novam et optimam editionem universi edicti curavit, quae primum Aug. Taurin. a. 1846, iterum in historiae patriae monumentis editis iussu Caroli Alberti regis, a. 1855, prodiit: denique Bluhme, Germanus, Ictus illustris, qui omnium codicum mss. qui extarent ratione habita Edictum diligentissime recensuit in monumentis Germ. histor. legg., tom. IV, anno 1868. (Cf. Baudi a Vesme praef., pag. XLIX sq. et Bluhme praef. pag. CXIII sq.) — Quod ad nostram editionem attinet, edicti antiquissimam formam a Baudio et Bluhmio restitutam, uti iam dixi-

mus, repetere maluimus quam illam recentiorem libri Papiensis, quae varie correcta est. Accedit quod multae edicti partes, prologi et epilogi regum, ipsius edicti capita quaedam a libro Papiensi absunt. — Addidimus autem ex Bluhmii editione principum Beneventanorum leges et pacta, ex quibus multa, quae ad historiam iuris Italici pertineant, discimus.

De codicibus mss. edicti conferendi sunt Merkel. histor. iur. Langobard. (in III volum. editionis Italicae Savignianae historiae iuris Rom. med. aev.), Baudius a Vesme l. l., pag. xv sq., Bluhmius l. l., pag. xii sq. — Scriptorum autem, qui de regum Langobardicorum legibus vel de industria vel strictim disputaverunt, tantus est numerus, ut tantum meliorum hoc loco mentionem facere possimus. Excellunt inter Italos Muratorius (Rer. Ital. SS. I, 2), Giannone (lib. IV et V hist. regni Neapol.), Troya (Della condizione de' Romani vinti da' Longobardi, 2ª edizione, Milano, 1844), Sclopis (in Ephemer. Francogall. *Revue historique*, a. 1857), Schupfer (Istit. polit. longobardiche, pag. 156 sqq.), Pertile (histor. iur. Ital., § 13): inter externos Davoud-Oghlou (*Histoire de la législation des anciens Germains*, II), Rozière (*Mémoires sur l'histoire du droit des Lombards*, a. 1864), Savigny (l. l. II, 209 sqq. edit. german.), Merkel. l. l., Boretius (Die Kapitularien im Longobardenreiche, §§ 1. 2), Gengler. (German. Rechtsdenkmäl. Erlangen, 1875, pag. 158 sqq.), Bethmann-Hollweg. (hist. process. civil. med. aev., I, 321 sqq., II, 275 sqq.).

Sequitur edictum Italica collectio capitularium regum Francorum, eorumque successorum, quae *Capitularis* nomine appellata est et edicto Langobardico opposita. De eiusdem collectionis origine atque natura summa diligentia disseruit A. Boretius, Germanus, Ictus doctissimus in libro quem supra commemoravimus, et in praefatione ad librum Papiensem pag. lxii sq. (Mon. Germ. Legg. IV). De aetate sic statuit Boretius capitulare intra a. 1000 et 1014 primo collectum esse, reliqua capitularia postea collectioni subnexa. Vim autem capitularium atque usum certum est non eundem fuisse omnium, ut alia a regibus Francorum praescripta in collectionem Italicam transirent, alia non transirent. Nam multa non generaliter universo imperio sed singulis vel gentibus vel provinciis dabantur, regnumque Italiae quodammodo sui iuris erat. Quare cum pars tantum in Italia valeret, hanc solam complexi sumus, quippe qua edictum quasi excipiatur ac propagetur. Unum hoc interest, quod capitularia tam generalia quam Italica non tantum Langobardos, ut plerumque edictum, sed etiam ceteros Ger-

manos atque Romanos, qui in regno Italiae vivebant, pariter tenuerunt. Adde quod capitularia nec germana nec vera semper exhibentur, sed saepe corrupta, aliisque regibus et imperatoribus tribuuntur; capitula praeterea incertae originis compluria aliunde irrepserunt. Quibus vitiis etsi capitulare Italicum laborat, genuinis tamen capitularibus longe praeferendum erat quippe quod eam formam praebeat, quae in negotiis, in scholis, in iudiciis medio aevo sola obtinuit. Quae cum ita essent, editionem capitularis a Boretio in mon. Germ. diligentissime curatam repetivimus, atque, ut commodo et utilitati eorum qui historiae iuris student consuleremus, singulis in legibus ad capitularia genuina secundum editionem Pertzianam (Mon. Germ. Legg. I, II) remisimus.

Tum formulas appellationum et placitorum, ut medii aevi verbis utamur, singulis legibus, ne nimias difficultates typographo pararemus, subiunximus, sed, ut ab legibus ipsis distingueremus, inclinatis litteris expressas. Pertinent enim omnes ad collectionem glossatam Walcausi auctoritate recensitam, quam intra annos 1019 et 1037 compositam esse Boretius putat: sed ex multis earum locis apparet, paullo eas antiquiores esse et a scriptore glossatae collectionis ex fontibus diversis sumptas atque congestas. Nec tamen parvum adiumentum formulae ad historiam actionum, quas veteres in usu habuerunt, cognoscendam afferunt. Leges enim mire illustrant usumque fori patefaciunt, quo nihil aptius est ad iuris conversiones mutationesque penitus cognoscendas.

Superest ut de commentario ad edictum et capitulare scripto pauca addamus. Extat haec *Expositio* (ita enim ipse auctor commentarium suum appellat) in codice ms. Neapolitano bibliothecae Brancatianae ad Lombardae librum systematicum accomodata; sed in collectionem chronologice digestam, scilicet in librum Papiensem, scriptam esse multis argumentis Boretius docuit l. l., cap. VI. Auctor autem, uti fieri solet, ignotus exiguam artis suae scientiam prodit, atque in magna expositionis parte veteres glossas, scholasticas controversias, placitorum formulas ab aliis iamdudum inventas, nonnunquam nulla arte critica adhibita, recepit. Hi igitur commentarii, qui Boretio circa annum 1070 et ab quovis iudice Papiensi confecti videntur esse, utilissimi sunt eo quod « iurisprudentiae Langobardicae specimen non « abiectum immo vero admirabile praebent, si auctoris aetatem et « magnam barbariem, quae non multo ante ipsam aetatem undique « in Italia fuerat, consideramus, maxime si cum glossata collectione « Walcausi vulgo dicta eas comparamus » (Boret. l.). Ex iisdem

quidem discimus quantam vim atque auctoritatem ius Romanum iam medio saeculo undecimo in auditoriis et in iudiciis Langobardiae obtinuerit: unde magna lux ad originem scholae Bononiensis intelligendam affertur. Verum tamen haec *Expositio* iam a Merkelio aliisque viris doctis saepius examinata postremo cura Boretii l. l. in lucem prodiit, in Italia quidem nunc primum nostra collectione evulgatur.

Postremo additamenta fere omnia ad librum Papiensem, quae Boretius edidit, nos quoque dedimus, item codicis Eporediani formulas duas primum a Baudio in praef. pag. XXVII, iterum a Bluhmio l. l. IV, 650 editas. — Glossarium denique ad voces germanicae atque neoitalicae originis explicandas ex Ducangii aliorumque, imprimis Bluhmii et Gengleri, glossariis confectum ipsi congessimus.

EDICTUM REGUM LANGOBARDORUM

IN NOMINE DOMINI INCIPIT EDICTUM
QUEM RENOVAVIT DOMINUS ROTHARI VIR EXCELLENTISSIMO
REX GENTI LANGOBARDORUM CUM PRIMATOS
IUDICES SUOS.

Ego in dei nomine hrotarit vir excellentissimus, et septimodecimum rex gentis langobardorum, anno deo propitiante regni mei octabo, aetatisque tricesimo octabo, indictione secunda, et post adventum in provincia italiae langobardorum, ex quo alboin tunc temporis regem precedentem divina potentia adducti sunt, anno septuagesimo sexto [*p. Chr.* 643] feliciter. Dato ticino in palatio.

Quanta pro subiectorum nostrorum commodo nostrae fuit sollicitudinis cura, et est, subter adnexa tenor declarat; precipue tam propter adsiduas fatigationes pauperum, quam etiam superfluas exactiones ab his qui maiore virtute habentur; quos vim pati cognovimus. Ob hoc considerantes dei omnipotentis gratiam, necessarium esse prospeximus presentem corregere legem, quae priores omnes renovet et emendet, et quod deest adiciat, et quod superfluum est abscidat. In unum previdimus volumine conplectendum, quatinus liceat unicuique salva lege et iustitia quiete vivere, et propter opinionem contra inimicos laborare, seque suosque defendere fines.

Tamen quamquam haec ita se habeant, utilem prospeximus propter futuris temporis memoriam, nomina regum antecessorum nostrorum, ex quo in gente nostra langobardorum reges nominati coeperunt esse, in quantum per antiquos homines didicimus, in hoc membranum adnotari iussimus.

Fuit primus rex agilmund, ex genere gugingus.

Secundus laamisio.

Tertius leth.

Quartus kildeoch, filius leth.

Quintus godeoch, filius kildeoch.

Sextus claffo, filius godeoch.

Septimus tato, filius glaffoni. Tato et winigis filii claffoni.

Octabus wacho, filius winigis, nepus tatoni.

Nonus walthari.

Decimus audoin, ex genere gausus.

Undecimus alboin, filius audoin, qui exercitum, ut supra, in italia adduxit.

Duodecimus clep, ex genere beleos.

Terdiusdecimus authari, filius clep.

Quartusdecimus agilulf, turingus, ex genere anawas.

Quintusdecimus adalwald, filius agilulf.

Sextusdecimus hariwald, ex genere caupus.

Septimusdecimus ego in dei nomine qui supra hrotarit rex, filius nandinig, ex genere harodos. Nandinig filius noctzoni, noctzo filius adhamund, adhamund filius alaman, alaman filius hiltzoni, hiltzo filius uuehiloni, uuehilo filius weoni, weo filius fronchononi, fronchono filius fachoni, faccho filius mammoni, mammo filius ustbora.

EXPLICIT NOMINA REGUM.

EXPOSITIO

AD LIBRUM LEGIS LANGOBARDORUM

PRAEFATIO EXPOSITORIS. — In exordio huius libri convenit requirenda esse tria: intentio, utilitas, et ad quam partem philosophie supponatur. Philosophia enim grece, latine sapientia dicitur. Philosophia vero in tribus partibus dividitur: ethica, loyca et phisica. Quod sic solvitur: ethica moralis, loyca sermocinalis, phisica naturalis. Sed liber iste ethicae supponitur, quia loquitur de hominum moribus. Duas convenit huius libri intentiones requirere: libri et legis. Intentio legis est « facere homines bonos, non solum metu penarum, sed etiam exhortatione premiorum » (Dig. I, 1, 1, 1). Intentio libri est tractare de maleficiis et de contractibus et de successionibus. — .....hutilitas sibi in..... Idonei in sapientia degunt, ut firmiter delicta privatorum agnoscant. « Lex est commune preceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quae sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipublicae sponsio » (Dig. I, 3, 1). « Lex est quod populus Romanus senatorie constituebat magistratu interrogante, veluti consule » (Inst. I, 2, 4). Herronici, qui in vita microcosmi degunt, « non ab antiquis fabulis sanctiones sed ab imperiali splendore discant » (Const. Imperatoriam, § 3). « Benignius leges interpretandae sunt, ut voluntas earum adimpleatur » (Dig. I, 3, 18).

Cap. 1. Si quis hominum contra animam regis cogitaverit aut consiliaverit, animae suae incurrat periculum, et res eius infiscentur.

2. Si quis cum rege de morte alterius consiliaverit, aut hominem per ipsius iussionem occiderit, in nullo sit culpabilis, nec ille nec

Ad Cap. 1. Ex hoc quod hec lex dicit « cogitaverit », queritur, quomodo illius cogitatio cognoscatur, cum hominum cogitationes solus Deus discernit? Quod sic solvitur: cognoscitur per indicia; veluti si quis in camera regis post hostium, habens sub cappa ensem nudum, repperitur, vel cum cultello in manica, vel si regis pincerna, cum ei est propinatus, venenum temperare videtur, vel si ipse scelerator manifestavit conscientiam suam cuique et per his similia. Consilium vero pluribus dinoscitur modis, veluti, per semet ipsos vel per alios, qui eorum consilio adiverunt. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « res eius infiscentur », dicebant antiqui iudices, hanc legem de liberis tantum loqui, cum servi res non habeant (Cf. Expos. 12 ad Wid. 6), ut lex Romana precipit, ubi dicit: « servus nichil sui iuris habet » (Instit. II, 9, 3?). Sed male dicebant: quia, si hec lex ideo non loquitur de servis, quia res non habeant, eadem ratione dici potest, quod non loquitur de illis liberis, qui res non habent, veluti de illis, qui, priusquam contra animam regis cogitassent, ex omnibus rebus suis aliis cartam fecerunt, vel de filiis qui sunt in patris potestate. — § 3. Alia ratio, quod hec lex de servis loquatur: si hec lex ideo de servis non loquitur, quia res non habent, eadem ratione dici potest, quod Guidonis capitulum, quod est « De cartis etiam » (Wid. 6) et cetera, non loquitur de carta libertatis, quia dicit: « ostensor cartae post rerum amissionem et guidrigild suum componat. » Quod non taliter est intelligendum. Licet enim illud capitulum specialiter se finiret in illis cartis, ex quibus falsis probatis ostensor post rerum amissionem guidrigild componere potest, tamen intelligendum est, quod de carta libertatis loquatur. Illud enim capitulum de his omnibus cartis generaliter incipit. Eodem modo intelligendum est, quod hec lex loquatur de servis: quia, licet specialiter se finiret in omnibus res habentibus, tamen intelligendum est, quod de servis loquatur, quia generaliter incipit. Quod per litteram videri potest: nam « si quis » tam bene dicitur de servo quam de libero, et servus tam bene « cogitare » et « consiliari », etiam « mori » quemadmodum liber potest. Illud idem de muliere dicitur. — § 4. Si quis contra animam regis cogitaverit et, antequam inde interpelletur, mortuus fuerit, queritur, quis res eius habere debeat, sive rex sive filii? Dicitur, quod hec lex nichil inde dicat, eundum est igitur iuxta Romanam legem, que omnium est generalis. Legitur enim in nono libro Codicis in lege, que est « Meminisse oportebit » (Cod. IX, 8, 6), quod, si quis cogitaverit contra animam regis, sive appellatio facta fuerit antequam moriatur, sive non, quod omnes res suae ad partem publicam deveniant, et in filiis alia vindicta non detur. Quod a quibusdam confirmatur divine pagine auctoritate, que dicit: « filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii » (Ezechiel 18, 20). Sed d. W. (dominus Wilihelmus?), lege Romana pretermissa, iuxta hanc legem satis docet esse diffiniendum: in hoc enim, quod dicit: « et res eius infiscentur », debemus intelligere, quod ipso iure infiscentur, licet inde non sit facta appellatio, cum pro ipsa appellatione res eius non dicantur infiscari, sed quia contra animam regis cogitavit. — § 5. Item queritur: si quis contra animam regis cogitaverit et, antequam inde appellatio fiat, si de rebus suis aliquid vendiderit vel alio modo alienaverit, vel si quemlibet de familia sua liberaverit, vel si ei debitum solutum fuerit, utrum ita manere debeat vel non? Dicitur, quod hec lex nichil inde dicat, sed iuxta Romanam legem asseritur diffiniri. Legitur enim in nono libro Codicis in lege que est: « Si quis contra imperatoriam maiestatem cogitaverit vel consiliatus fuerit » (Cod. IX, 8, 6), quod postea non possit aliquid de rebus suis alienare nec familiam suam liberam facere, nec alius ei debitum solvere. Et si solutum fuerit, qui solvit de indebito soluto agere potest iuxta legem tertii libri Institutionum quae est in titulo qui dicit « Quibus modis re contrahitur obligatio », in hoc quod ipsa lex dicit: « is quoque, qui non debitum accepit ab eo qui per herrorem solvit, re obligatur » (Inst. III, 14, 1); et postea vel antea si appellatus fuerit, regi debitum solvat.

2. Petre, hoc Martinus ait, quod fueris consiliatus in morte sua. — Si responderit: vere consiliatus fui, det regem auctorem, vel illos qui ad ipsum consilium fuerunt, et sit absolutus. Quod si facere non potuerit et probatum fuerit, componat solidos 20 per subsequentem (Roth. 10) legem que est « Si homo liber in alterius morte consiliatus fuerit ». — § 2. Petre, hoc Martinus dicit, quod tu interfecisti patrem suum. — Si ipse dixerit: vere interfeci sed per iussionem regis, det regem auctorem vel alios qui iussionem audierunt, et sit absolutus. — Et si appellator dixerit: licet per preceptum regis interfecisses, tamen emendare michi debes, quia ego probabo, patrem meum non

heredes eius quoquo tempore ab illo aut heredes ipsius requisitionem aut molestia patiatur; quia postquam corda regum in manum dei credimus esse, non est possibile ut homo possit eduniare quem rex occidere iusserit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu consiliatus es de morte sua, aut occidisti patrem suum. — De torto me appellas. —

Si dixerit, quod consiliatus esset cum rege aut occidisset per iussionem regis, aut approbet aut emendet secundum quosdam; sed secundum quosdam aliter est: nam iurare debet. Sed melius est secundum a. (= antiquos), *ut dicat, quod non consiliatus sum, neque occidi quod per legem emendare debeam. — Per usum postea det wadia, si se recordatus fuerit, quod emendabit; si non, purificabit se cum suis sacramentalibus.*

3. Si quis foris provincia fugire timtaverit, morti incurrat periculum, et res eius infiscentur.

---

dignum fuisse morte, respondeat: male dicis, quia hec lex ait: « postquam corda regum in manu Dei credimus esse, non est possibile, ut homo possit idoneare illum, quem rex occidere iussit ». — § 3. Erant quidam, quibus grave videbatur, regem auctorem dare, et ideo harum duarum appellationum responsiones hoc modo variabant: « vere interfeci, sed per legem emendare non debeo », et sic concedebant eis iurare, et absoluti erant. Sed non eque faciebant, quia, si sic concederetur, multi per timorem compositionis se periurarent; quapropter rectius apparet, ut appellationum responsiones fiant, sicut superius: ut ipsi cogantur dicere, quare per legem emendare non debeant. — § 4. Quod vero « ab illo » dicit, intelligere debemus quando solummodo contra eum consiliatus fuerit: in hoc vero quod dicit « ab heredibus » intelligere debemus quando eum interfecit. Quod ait « nec ille nec heredes eius », dicebant antiqui causidici intelligendum esse, si non esset per iussionem regis, quod ipse et heredes eius tenerentur, quia iam rumperetur lex Romana, in hoc quod dicit (Inst. IV, 12, 1): penalis actio non transit in heredes nisi lis contestata fuerit. Sed hic intellectus non est hic habendus, quia non alia de causa dicit: « nec ille nec heredes eius » nisi causa tollendi litigium, velud in lege (Roth. 319) que est: « Si quis de arbore signata » et cetera; cum enim dicit: « tollat mel et amplius culpa non requiratur », non ideo dixit, quod per legem amplius aliquid possit requiri, sed tantum causa tollendi litigium.

3. Queritur, quid sit provincia? Dicunt quidam, unum totum regnum unam esse provinciam, hoc affirmando per legem istius regis, que est: « Si quis homo liber cum fara sua voluit aliquo migrare, potestatem habeat, intra dominium regni nostri migrare, ubi voluerit » (Roth. 177), quia in hoc quod hec lex dicit « potestatem habeat » et cetera, dat intelligere, quod extra dominium non audeat migrare, per quod dat intelligere, quod regnum dicatur una provincia. Sed male dicebant, et per hanc eandem legem reprehendi possunt: ex hoc enim, quod hec lex dicit: « sic tamen si ei licentia fuerit data a rege », ostendit, quod non solum infra dominium regni, sed etiam extra ire potest, si ei licentia fuerit concessa. — Alii sunt, qui accipiunt provinciam sicut in gestis Langobardorum legitur, in quibus dicitur esse unam provinciam illud quod est a Pado usque ad Ticinum, et illud quod est a Ticino usque Addam aliam, et ad Addam usque ad mare tertiam. Sed male dicebant. Nichil enim rationis esset, si aliquis transiret Padum, quod ideo deberet mori et omnem suam substantiam amittere. — Et alii dicebant, unum comitatum esse unam provinciam secundum legem Romanam, que dicit in Novellis, comitatum esse provinciam, in hoc quod dicit « Preses provincie ». Sed male dicebant, quia nichil rationis esset, si aliquis fugerit de uno comitatu in alium, quod ideo deberet mori et omnem substantiam suam amittere. Sed Guilielmus, quod melius est, dicit Langobardiam esse unam provinciam, Tusciam aliam, et alia huiusmodi, hoc confirmando per legem Rachis que est: « Si quis iudex aut quicumque homo missum » (Ratch. 5) et cetera, in hoc quod inferius dicit « anime sue incurrat periculum et res eius infiscentur », sicuti hec lex dicit, que est « Si quis foras provinciam » et cetera.

4. Si quis inimicûs intra provincia invitaverit aut introduxerit, animae suae incurrat periculum, et res eius infiscentur.

5. Si quis escamaras intra provincia caelaverit aut anonam dederit, animae suae incurrat periculum, aut certe componat regi solidûs noningentos.

6. Si quis foris in exercitum seditionem levaverit contra ducem suum aut contra eum qui ordinatus est a rege ad exercitum gubernandi, aut aliquam partem exercetum seduxerit, sanguinis sui incurrat periculum.

7. Si quis contra inimicûs pugnando collegam suum dimiserit, aut astalin fecerit, id est si eum diceperit et cum eum non laboraverit, animae suae incurrat periculum.

Petre, te appellat Martinus, quod eras suus socius pro officio

4. Si quis inimicos: subaudis regis. In hoc quod hec lex dicit « invitaverit aut introduxerit », intelligendum est per se aut per suum nuntium.

5. In hoc quod hec lex dicit: « celaverit aut annonam dederit », intelligendum est per se aut per suum nuntium. — § 2. Item in hoc quod dicit: « animae suae incurrat periculum aut componat regi solidos nongentos », dicebant quidam ex antiquis iudicibus, esse in electione rei vel mori vel nongentos solidos dare, alii in regis electione. Sed in nullius electione est ponendum; quia, si reus solidos nongentos habuerit, dabit, sin autem, morietur. Et quod in nullius electione sit ponendum, per istius legem confirmatur quae incipit (Roth. 372): « De aliis vero causis unde liberi et servi aliorum hominum nongentos solidos fiunt culpabiles »: quia in hoc quod dicit « nongentos solidos fiunt culpabiles », ostendit, si habeant, quod dare debent. — § 3. Notandum est, quod hec lex in hoc quod dicit « aut componat regi solidos nongentos » de servis rupta est a lege Grimoaldi que est « Si (cfr. Grim. 3) servus talem culpam fecerit » et cetera, in hoc quod dicit: « nichil aliud componat dominus eius, nisi persona tradatur ad occidendum, et componat pro illicita causa, quam servus eius perpetravit, solidos 60 ». Ex eodem modo omnes aliae leges quae faciunt compositionem solidorum nongentorum non ponentes differentiam, si liber sit sive servus, ruptae sunt de servis ab hac eadem lege Grimoaldi quae est: « Si servus talem culpam fecerit » et cetera. — § 4. Dicunt etiam alii, quod hec lex rupta est de servis regis a lege istius quae incipit: « De aliis vero causis » in hoc quod dixit: « si servus regis fecerit, animae suae incurrat periculum et nongenti solidi non requirantur, ad curtem regis ». Sed male dicebant; quia nos non debemus intelligere, quod hec lex loquatur de servis regis quae est: « Si quis scamaras » et cetera, cum rex iste inter se non corrumpat. Et hoc, scilicet quod non debeat se interrumpere, in prologo (Roth. 387) suo videri potest qui est: « Presentem vero dispositionem nostri edicti » et cetera, propter hoc quod inferius dicit: « ut sit hec lex firma et stabilis, quatinus et nostris felicissimis et futuris temporibus » et cetera. Et alia causa est, quare non se interrumpat, quia Rothari rex se inantea respexit. — § 5. Item in hoc quod hec lex dicit: « animae suae incurrat periculum », et non dicit, quid de rebus suis post mortem eius fieri debeat, dicebant antiqui iudices, quod ad fiscum debeant pervenire iuxta capitulum Caroli quod est: « De illis hominibus qui propter illorum culpas ad mortem sunt iudicati » (Karol. M. 45) et cetera. Quod, cum ad « De illis hominibus » et cetera venimus, Deo volente liquide discutiamus; et illa ratio, que ibi ex hac lege fuerit confirmata, eadem in omnibus est observanda, que hominem ad mortem iudicant et de rebus eius, quid fieri debeat, non determinant.

7. Dicebant antiqui iudices, quod si quis esset electus ad societatem, sicut in tertio libro Institutionum legitur in titulo « De sociétate » — legitur enim ibi (Inst. III, 25, 5): « qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit » — et si quislibet eius inimicus eum adsalierit, et alter alium dimiserit aut astalim fecerit, item si alter eorum videns inimicum suum venientem socio dixerit: « ope et auxilio tuo eum adsalire volo », si ipse suum auxilium promiserit et postea eum pugnantem dimiserit: quod morte dignum esse. Quod dominus etiam Guilelmus affirmavit. — § 2. Hic talis oritur questio: si duo socii simul fuerint, et alter illorum absque alterius consilio inimicum

publico et dimisisti eum, quando pugnabat contra suum inimicum. — De torto. — Aut eum decepisti, et cum eo non laborasti. — De torto. — Secundum quosdam haec fit actio.

8. Si quis in consilio vel quolibet conventu scandalum conmiserit, noningentos solidûs sit culpabiles regi.

Martine, te appellat Petrus, qui est advocatus de parte publica, quod tu commisisti scandalum in tali consilio aut in tali conventu. — Non placeat Deo.

9. Si quis qualemcumque hominem ad regem incusaverit quod ad animae perteneat periculum, liceat ei, qui accusatus fuerit, cum sacramentum satisfacere et se eduniare. Et si tales causa emerserit, et adest homo in praesenti qui crimen mittat, liceat eum per camfionem, id est per pugnam, crimen ipsum de super se, si potuerit, eicere. Et si ei provatum fuerit, aut det animam, aut qualiter regi placuerit, conponat. Et si provare non potuerit, et cognuscitur dolusae adcusassit, tunc ipse qui accusavit et provare non potuit, wergild suo conponat, medietatem regi, et medietatem cui crimen iniectum fuerit.

Petre, hoc dicit domnus noster imperator aut Paulus advocatus de parte publica, quod tu consiliatus es aut cogitasti contra animam suam aut contra animam regis, aut ausus fuisti fugere foras provinciam, aut inimicos regis intra provinciam invitasti vel introduxisti, aut spiam regis intra-provinciam celasti aut annonam dedisti, aut levasti seditionem foris in exercitu contra tuum ducem aut contra eum qui erat ad exercitum gubernandum ordinatus a rege. — Non feci. —

Si accusator non est in presentia, per sacramentum cum suis, secundum quosdam, sacramentalibus se purificet; et si est in pre-

---

suum assalierit, et socius eum non adiuvaverit: utrum sit moriturus vel non? Ad quod Guilelmus respondit, eum non debere mori. Lex enim ista non alium mori iubet, nisi illum qui socium dimittit, quando eum adsalit, vel qui socio astalim facit. — § 3. Ugo vero, ab antiquis dissentiens, hanc legem de inimicis regis tantum loqui asserit, et non de privatorum inimicis, ut antiqui dicebant; et ideo, quocumque modo se associaverit, si alter alterum dimiserit contra inimicum regis pugnantem, sive a regis inimico assalitus fuerit, sive ipse assalierit, sive socio astalim fecerit, mori debere, hanc dando rationem: de privatorum inimicis, si hanc legem loqui intelligeremus et hec lex illum mori faciat, qui socium contra inimicum pugnantem dimittit, nulla ratio esset; cum etiam si socius socium contra inimicum pugnantem dimittit, mori non iubetur; et quod hec lex de inimicis tantum regis loquatur, ex hoc etiam affirmat, quod omnes supradictae leges preter « Si quis cum rege » et cetera (Roth. 3) huc usque locutae sunt de regalibus causis.

9. Hec lex dicitur esse diffinitio omnium supra dictarum, que de regalibus causis locuntur; quia, si appellatus negaverit illud quod ei imponitur, iuxta hanc legem se debet defendere. — § 2. Petre, hoc dicit Martinus, partis publicae advocatus, quod tu cogitavisti vel tu consiliatus fuisti contra animam regis vel foras provinciam fugere temptasti, vel regis inimicos intra provinciam invitasti aut introduxisti per te aut per tuum nuntium, aut celasti scamaras regis intra provinciam, aut annonam eis dedisti, aut levasti seditionem contra ducem tuum aut contra eum qui

sentia, per pugnam se defendat; sic tamen — dum iurat — ut advocatus non iuret ante. Per usum. Sed secundum valentes solus iuret.

10. Si quis homo liber in morte alterius consiliaverit, et ex ipso consilio mortuos non fuerit, tunc ipse consiliator conponat solidûs viginti.

Petre, te appellat Martinus, quod tu consiliatus es de anima sua. — De torto. —

11. De consilio mortis. Si hominis liberi inter se in morte alterius consiliaverint sine regis consilio, et ex ipso tractato mortuus non fuerit, conponat unusquisque, ut supra, solidos viginti; et si ex ipso consilio mortuus fuerit, tunc ille qui homicida est conponat ipsum mortuum sicut adpraetiatus fuerit, id est wergild.

12. Si duo aut tres fuerint hominis seu amplius liberi, et homicidium penetraverint, et voluerint se adunare ut in unum conponant sicut adpraetiatum fuerit, sit eis adunandi licentia. Et si aliquis se de ipsis subtraxerit et non potuerit se pureficare sicut lex habet, quod nec plaga nec ferita in ipso homine qui occisus est non fecissit, tunc sit culpabiles sicut et alius qui eum conposuit [*cf. cap.* 263]. Et si se purificaverit, sit exsolutus a culpa homicidii. Si tamen in consilio fuit, conponat, ut supra, solidos viginti, aut certe de ipso consilio se purificit si potuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum. —

---

ordinatus erat a rege ad exercitum gubernandum, vel quod tu dimisisti socium tuum contra inimicum regis pugnantem aut astalim fecisti. — § 3. He omnes appellationes secundum Ugonem ab advocato regis fieri debent. Secundum vero Guilelmum he posteriores appellationes, que sunt: « tu dimisisti socium tuum aut astalim fecisti », non fient iuxta hanc legem, scilicet « Si quis qualemcumque » et cetera, sed fient iuxta « Si quis contra inimicum » (Roth. 7) et cetera, etsi negaverit non dimisisse.

10. Per « alterius » liberum intelligere debemus. Nam si de libero et servo intelligamus, dabimus magis privilegium servo quam libero: quia, si liber consiliatus esset in morte servi, 20 solidos per hanc legem componeret, si vero consiliatus esset servus in morte liberi, per hanc legem vel per alteram nichil ei componeret. Item idem videri potest per legem istius regis quae est « Si (Roth. 139) homo liber aut mulier venenum temperaverit », quia in hoc quod dicit: « componat solidos 20 sicut et ille qui de morte alterius consiliatus fuerit », dicunt quidam, quod « alterius » eodem modo hic accipitur pro libero. Hic obici potest hoc modo: si « alterius » ponitur hic pro libero tantum, tunc sequens lex (Roth. 11) que est: « Si homines liberi » et cetera superflua est; sed non est: quia ibi complures liberi consiliabantur in morte alterius liberi, hic vero intelligendum, quod unus liber cum servo suo vel servus cum libero consiliaretur.

11. In hoc quod hec lex dicit: « componat ipsum mortuum sicut appretiatus fuerit, id est widrigild suum », et non ponit differentiam, sive se defendendo sive super alium ambulando occidisset, rupta est et affirmata a lege Liuprandi que est: « Si (Liutpr. 20) quis liber homo se defendendo »: [rupta, in hoc quod praecipit], si super eum ambulando, quod omnem substantiam suam amittat; affirmata, si se defendendo interfecit. Sed dici potest, quod non rumpatur, inmo sit addicio.

12. In hoc quod hec lex dicit: « sicut appretiatus fuerit », rupta est et affirmata ab eadem lege Liuprandi que est: « Si quis liber homo se defendendo » et cetera, ut superius (Expos. Roth. 11)

De torto. — Si manifestaverit, se occidisse, sed cum aliis, det wadia de emendatione, aut per se aut cum aliis.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti fratrem suum. — Feci, sed cum illo et illo; volo me adunare et simul componere. — Non te adunabis, quia ipsi michi composuerunt, et tu te subtraxisti. — Aut iuret quod non se subtraxit, aut componat sicut alii: et si iuraverit, det suam partem.

13. Si quis dominum suum occiderit, ipse occidatur. Si quis ipsum homicidam defensare voluerit qui dominum suum occiderit, sit culpabilis solidûs noningentos, medietatem regi, medietatem parentibus mortui; et qui illius mortùi iniuriam vindicandam denegaverit solacia, si quidem rogatus fuerit, unusquisque conponat solidos quinquagenta, medietatem regi, et medietatem cui solacia denegaverit.

diximus ad presens. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « et non potuerit se purificare sicut lex habet », dicebant antiqui, quod respexerit ad antiquas leges; vel, ut alii dicunt, respexit ad usum, et ponebant legem pro usu; et alii, quod inantea respexit ad legem que est: « Si (Roth. 359) qualiscumque causa » et cetera; quod melius est. — § 3. In hoc quod hec lex dicit: « sit culpabilis sicut alii qui eum composuerunt », dicebant antiqui, quod ille qui se subtrait non plus componet, quam unus illorum qui eum composuerunt. Sed male dicebant: quia in hoc quod hec lex dicit « sicut alii », debemus intelligere, quod hic solus tantum per se debet componere quantum omnes alii communiter composuerunt, id est totum widrigild. Quod per aliud simile videri potest in lege istius que est « Si (Roth. 263) plures homines in unum furtum » et cetera, quia ibi legitur: « Si quis se ex ipsis diviserit, pro se tantum componat legibus, id est furtum ipsum sibi nonum ». — § 4. Per has duas leges (Roth. 11, 12), id est. « Si homines liberi » et cetera et « Si duo aut tres » et cetera ponitur questio: si duo homines seu plures liberi in morte alterius liberi consiliati fuerint, et unus illorum tantum homicidium perpetraverit, quid componere deberet? Unde Wilielmo Bonifilius respondit: homicida widrigild componat, et consiliator unusquisque 20 solidos per hanc legem que est: « Si homines liberi inter se » et cetera. — Cui Wilielmus: de homicida bene dicis, de consiliatoribus male; quia hec lex que dicit « Si homines liberi inter se » et cetera non consiliatores facit alio casu 20 solidos componere, nisi quando mortuus non est. Quod videre possumus in hoc quod dicit: « et si ex ipso consilio mortuus non fuerit ». — Bonifilius: male interpretaris; quia cum ipsa lex facit consiliatores in eo casu, quando mortuus non est, componere 20 solidos, multo melius, quando mortuus. — Wilielmus: non tibi credam per argumentum, nisi per legem specialiter ostendas. — Bonifilius legem dare nescivit. — Wilielmus: ego tibi per hanc legem que est: « Si duo aut tres » ostendam, componere debere, quando mortuus est, in hoc quod dicit: « si tamen in consilio fuerit, solidos 20 ». — Bonifilius: consiliatores per hanc legem non debent componere in hoc casu, quando unus est homicida tantum, sicut tu dicis; quia hec lex non facit consiliatores solidos 20 componere, nisi quando plures sunt homicide. — Wilielmus: tam bene hec lex loquitur de uno solo homicida, quemadmodum de pluribus; quia in hoc quod hec lex dicit in principio: « Si duo aut tres », et inferius dicit: « si aliquis ex ipsis se subtraxerit », tam bene respexit ad duos, quemadmodum ad tres. Et si ad duos respexit et unus se subtraxerit, non remanet nisi unus homicida. — Bonifilius: quodsi aliquis dicit: non ad duos, sed ad tres tantum respexit, seu amplius, quod videre possumus in hoc quod inferius dicit: « componat sicut alii qui eum composuerunt »? — Wilielmus: pluralis numerus pro singulari ponitur; cuius rei exemplum est capitulum Lotharii, quod est « De conspirationibus » (Loth. 67) in hoc quod dicit: « auctores facti interficiantur »; eodem modo debemus intelligere, si solus fuerit, debere interfici. Quapropter unusquisque consiliator debet componere solidos 20, sive sit mortuus sive non, et sive unus homicida sit sive plures.

13. In hoc quod dicit lex « 900 solidos componat » rupta est de servis a lege Grimoaldi « Si servus » (Grim. 3) et cetera. — § 2. Notandum, quod hic « Si quis » intelligendum tantum de

Petre, te appellat Martinus, quod tu voluisti aut unus servus tuus defensare Iohannem, qui fuit servus de suo patre, quem ipse habebat occisum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu aut servus tuus vetuisti sibi adiutorium ad vindicandam iniuriam de suo patre, quem Lupus suus servus habebat occisum.

14. De morh. Si quis homicidium in absconse penetraverit in barone libero, aut servo vel ancilla, et unus fuerit aut duo tantum, qui ipsum homicidium fecerint, noningentos solidos conponat. Si vero plures fuerint, si ingenuus, qualiter in angargathungi ipsum homicidium conponat; si servus aut libertus, conponat ipsum ut adpraetiatus fuerit. Et si expolia de ipso mortuo tulerit, id est plodraup, conponat octugenta solidûs.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum in absconso, aut Iohannem servum suum, aut Aldam suam ancillam.

Petre, te appellat Martinus, quod tuus servus occidit Iohannem patrem suum, aut Robertum suum servum, aut Mariam suam ancillam in absconso. — De torto.

---

servo et ancilla, aldio vel aldia, liberto vel liberta, cum et in Rothare aliquis alicuius respectu dominus non vocatur nisi horum: et quod horum respectu dominus dicitur, videri potest per legem istius quae est « Si quis servo alieno aut ancille » (Roth. 28) et cetera. — § 3. In hoc quod dicit haec lex: « siquidem rogatus », dicebant antiqui, quod, a quocumque rogatus fuerit, si non prestaret auxilium, quod deberet componere solidos 50. Sed male dicebant; quia talis debet esse rogator, cui iniuria ad vindicandum pertineat.

14. Hanc legem antiqui dicebant omnino ruptam esse. Nam de libero occiso a libero, in hoc quod dicit: « componat solidos 900 », ruptam esse a lege Liuprandi dicebant, que est: « Si quis liber homo se defendendo » et cetera (Liutpr. 20), quia ibi legitur, si se defendendo occiderit, quod componat sicut Rotharis rex instituit, id est widrigild, et si supra alium adsalierit, omnem substantiam amittat, et non ponit differentiam, sive homicidium sit in absconso, sive non; et capitulo secundi Einrici quod est: « Quicumque veneficio » et cetera (Heinr. II, 3), in hoc quod dicit: « mortis sententiam incurrat omniumque suarum mobilium facultatem amittat ». De libero vero a servo occiso ruptam esse dicebant a lege Grimoaldi que est: « Si servus talem culpam fecerit unde 900 solidi iudicantur » (Grim. 3), in hoc quod dicit: « nichil componat aliud dominus nisi 40 solidos et insuper tradat servum suum ad occidendum ». Et he utreque rupte sunt a lege Liuprandi que est: « Si servus voluntate domini sui » et cetera (Liutpr. 21), in hoc quod dicit: « si probatum fuerit, quod cum voluntate domini interfecisset, dominus res suas omnes amittat; si vero dominus se purgaverit, quod cum voluntate sua non fecisset, servum donet et ipsum mortuum componat sicut antea fuit consuetudo ». De servo occiso a liberis vel a servis dicebant ruptam esse a legibus (Roth. 130, 132) istius, que sunt: « Si quis servum alienum ministerialem probatum vel doctum occiderit, componat solidos 50 », et: « Si quis servum alienum massarium occiderit, componat solidos 20 », et ab aliis quam pluribus, que non ponunt differentiam, sive sit in absconso, sive non. — § 2. Sed antiqui partim bene, partim male dicebant: nam de liberis occisis omnino bene, de servis autem male. Quod videri potest per legem istius que est: « Omnes vero regales cause » (Roth. 370) et cetera, quia in hoc quod dicit: « excepto iniuria de libera, aut morth, quod est homicidium in absconso, aut aliae quae similes sunt, unde 900 solidi iudicantur, quas in suo constituimus permanere », ostendit, hanc legem nondum ruptam esse a predictis legibus istius, que sunt: « Si quis servum alienum ministerialem » et « Si quis servum alienum massarium » et ab aliis huiusmodi, que loquuntur de homicidio in absconso, intelligere debemus.

15. De crapworfin. Si quis sepulturam hominis mortui ruperit, et corpus expoliaverit aut foris iactaverit, nongentos soledos sit culpavelis parentibus sepulti. Et si parentis proximi non fuerint, tunc gastaldius regis aut sculdahis requirat culpa ipsa, et ad curte regis exegat.

Petre, te appellat Martinus, quod rupisti sepulturam sui patris, et corpus expoliasti, aut foras iactasti. — De torto.

16. De rairaub. Si quis hominem mortuum in flumine aut foris invenerit, aut expoliaverit et celaverit, conponat parentibus mortui solidos octoginta. Et si eum invenerit et expoliaverit, et mox vicinibus patefecerit, et cognuscitur quod pro mercedis causa, nam non furtandi animo fecit, reddat spolia quas super eum invenit, et amplius ei calumnia non generetur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti patrem suum mortuum in flumine, aut foris, et expoliasti eum et celasti. — De torto.

17. Si quis ex baronibus nostris ad nos voluerit venire, securus

Tamen in hoc quod dicit: « 900 solidos componat », in hac causa quando solus servus in absconso servum interfecit, rupta est a lege Grimoaldi quae est: « Si servus talem culpam », in hoc quod dicit: « nichil aliud componat dominus eius nisi sola persona tradatur ad occidendum »; in omnibus vero aliis causis de servis occisis in absconso bona est, veluti si unus liber vel duo liberi vel duo servi vel servus cum libero servum in absconso interfecerint. — § 3. In hoc quod dicit hec lex: « et si spolia de ipso mortuo tulerit, componat solidos 80 », rupta est a lege Liuprandi quae est: « Si quis porcos » et cetera (Liutpr. 150) in hoc quod dicit: « componat eum in actogild sicut qui res alienas malo ordine tulit ». Sed ita salvatur a quibusdam: dicitur illam legem non spexisse ad alias leges nisi in quibus pena specialis non dicta est ut hic est. Quae salvatio laudatur.

15. In hoc quod dicit: « 900 sol. componat », dicebant antiqui ruptam esse per capitulum Caroli: « Si quis in emunitate » (Karol. M. 101) et cetera, in hoc quod dicit: « sexcentos solidos componat ». Sed ita salvari potest, ut per hanc et per illam nos ire oportere intelligamus. — § 2. In hoc quod dicit: « parentibus sepulti », dicebant antiqui, quod hec lex non loquatur de sepultura servi, quia parentes dicuntur per legem non habere. Quibus respondendum, quod hec lex generaliter incipit de sepultura tam servi quam liberi: licet specialiter terminetur in illis, qui parentes habent, tamen illud idem voluit de servis; et inde possumus dare exemplum per legem Liuprandi que est: « Annuntiatum est nobis » (Liutpr. 134) et cetera, quod ipsa generaliter incipit de liberis et servis, in hoc quod dicit: « quod aliquis perversus homo », licet se specialiter finiret in liberis, in hoc quod dicit: « quam de mortuo crescat fayda inter parentes et compositio maior fiat », tamen quod voluit de liberis illud idem de servis. Et in hoc quod dicit: « sepulturam ruperit et corpus expoliaverit aut foras iactaverit », [dicebant antiqui, si tantum sepulturam ruperit, sed non corpus expoliaverit aut foris iactaverit], quod non deberet componere, quia hec lex non alium facit componere nisi illum qui omnia facit. Quod male dicebant, quia « aut » est hic disiunctivum; et item debemus intelligere, si quis foras iactaverit quod debet componere solidos 900.

16. In hoc quod dicit: « aut foris invenitur », volebant antiqui iudices intelligere, sive illud corpus esset insepultum sive non, et ideo volebant rumpere superiorem legem (Roth. 15), que ostendit, pro sola corporis expoliatione nichil debere componere. Sed male dicebant, quia non debemus illud tam laxe intelligere, quemadmodum ipsi dicebant; sed debemus intelligere « aut foris » scilicet iuxta flumen et ab illo flumine deiectum. — § 2. In hoc quod dicit « componat parentibus mortui solidos 80 », dicunt quidam ruptam esse a lege Liuprandi « Si quis porcos » (Liutpr. 150) in hoc quod dicit: « sicut qui res alienas malo ordine tollit »; et salvari potest eo ordine quo alias inde salvamus.

17. In hoc quod dicit: « nam si fecerit, sicut subter adnexum est componat », respexit ad com-

veniat, et inlesus ad suos revertatur; nullus de adversarius illi aliquam in itinere iniuria aut molestiam facere presumat. Tantum est ut ille qui ad regem venire festinat, honeste veniat, et nullam lesionem aut damnum cuicumque in ipso itenere ad regem veniendum aut redeundum faciat; nam si ficerit, sicut subter in hoc edictum constitutum est conponat.

18. Si quis ex adversariis manum armatam super quemcumque ad regem venientem iniecerit, suam iniuriam aut qualemcumque culpam vindicandam, nonigentos solidûs sit culpabilis, medietatem regi, et medietatem cui iniuria inlata fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu venisti super eum cum manu armata pro revindicanda tua iniuria aut aliqua culpa, cum veniebat ad regem aut redibat ab eo. — De torto.

19. Si quis pro iniuria sua vindecanda super quemcumque cum mano armata cocurrerit, aut exercitum usque ad quattuor homines in vico intraverit, ille prior pro inlecita praesumptione moriatur, aut certe conponat solidos noningentos, medietatem regi, et medietatem cui iniuria inlata fuerit. Set et illi qui cum ipso fuerint, si liberi sunt, unusquisque octugenta solidûs conponat, medietatem regi, et

---

positiones quas postea fecit, per quod notari potest, quod Rothar prius precogitavit omnes leges suas, quam eas faceret.

18. Intelligendum est hic: « si quis » tantum loqui de liberis et non de servis, in hoc quod dicit: « ad suam iniuriam aut qualemcumque culpam vindicandam », quia in Institutis legitur in quarto libro in titulo de iniuriis: « servis autem quidem ipsis iniuria fieri non videtur sed dominis pro eis » (Inst. IV, 4, 3). — § 2. In hoc quod dicit: « manu armata », quomodo intelligatur, queritur. Sed armorum appellatione non solum scuta et lancee appellantur sed etiam fustes et lapides. — § 3. Quod dicit: « 900 solidos sit culpabilis », antiqui iudices dicebant, ruptam esse a capitulo Caroli quod est: « Si quis super missum dominicum » et cetera (Karol. M. 29), cum dicit: « de vita componat ». Sed non bene dicebant: ille enim ibat per missaticum iniunctum a rege, hic vero ibat ad regem per suam utilitatem, et ita salvatur. — § 4. In hoc quod hec lex dicit: « ad regem venientem » et cetera, queritur, si aliquis pro iniuria sua vindicanda aut qualicumque culpa super aliquem retinerantem a rege se iniecerit, quid inde debeat esse? Sunt qui dicunt, ei debere componi ad similitudinem venientis ad regem solidos 900: sed melius videtur, ut vadat ad presentiam regis per capitulum Caroli quod est: « De his qui legem observare contempserint, ut per fideiussorem in presentia regis deducantur » (Karol. M. 91) quemadmodum legis contemptor; et qui sit legis contemptor, possumus videre per legem que est: « Si quis ex baronibus nostris » (Roth. 17), in hoc quod dicit: « illesus ad suos revertatur ».

19. Petre, hoc dicit Martinus, quod tu pro iniuria tua vindicanda intrasti in vicum talem cum manu armata aut cum exercitu; et tu fuisti in capite et Davus fuit sequens, vel Davus fuit in capite et tu fuisti sequens. — Respondet: non est verum. — Deinde, si accusator poterit, probet; et si non potuerit, appellatus se defendat; et si non fuerit ausus se defendere, si fuit in capite, aut moriatur aut certe componat solidos 900, et si sequax, componat 80 solidos. — § 2. Notandum quod « si quis », in hoc quod dicit: « pro iniuria sua vindicanda », loquitur tantum de liberis et non de servis. — § 3. Eadem ratione qua superius de manu armata diximus, dicetur. — § 4. Notandum est, quod « cum exercitu usque ad quattuor homines » secundum Ugonem ita exponitur, ut tres sint sequaces et quartus in capite; volunt quidam, quod sequentes sunt quattuor et qui est in capite quintus. — § 5. Queritur, si quis non pro iniuria sua vindicanda super quemcumque ho-

medietatem cui iniuriam passum est: excepto si in ipso vico casas incenderint aut hominem occiserint, secundum qualiter adpreciatum fuerit ita conponatur illi, cuius casas incensas aut parentes aut servus occisus fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pro iniuria tua vindicanda intrasti super se in vicum talem cum manu armata aut cum exercitu usque ad quattuor homines.

Petre, te appellat Martinus, quod Davus intravit super se in talem vicum pro sua iniuria vindicanda cum manu armata aut cum exercitu usque ad quattuor homines, et tu fuisti cum ipso.

20. Si quis de exercitales ducem suum contempserit ad iustitiam, vigenti solidos conponat regi et duci suo.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu fuisti contemptor ducis tui ad iusticiam faciendam. — Non placeat Deo.

21. Si quis in exercito ambolare contempserit aut in sculca, dit regi et duci suo solidos 20.

---

minem et cetera, quid inde fieri debeat? Quod sic solvitur: quod de istis, de quibus minus videtur, hec lex sit statuta, multo magis de illis, de quibus maius, patet. — § 6. In hoc quod dicit: « ille prior pro presumptione moriatur aut componat solidos 900 », videtur nichil de uno precipere, cum « prior » de uno solo non dicatur. Solvitur sic: prior non accipitur respectu plurium sed pro auctore ponitur hic. Aliter: cum lex dicit « manu armata », non ponit differentiam, solus sit sive non; in hoc quod inferius dicit: « cum exercitu », « ille prior » respexit ad plures: et quod vult de illo qui cum exercitu, illud idem de solo qui cum armata manu. — § 7. Quod dicit: « et alii qui cum ipso fuerint, si liberi sunt, unusquisque componat solidos 80 », opponitur: quod si solus fuit sequax, non debeat componere solidos 80 per hanc legem quae non loquatur nisi de pluribus. Tamen, quod de pluribus voluit sequacibus, hoc de uno, quia multotiens pro singulari numero ponitur pluralis, veluti in capite Lotharii quod est: « De conspirationibus » (Loth. 67), quia quamvis ibi dicatur, quod auctores facti interficiantur, tamen intellexit de uno solo ibi. — § 8. Cum de liberis et non de servis scribat, eundum est per legem istius quae est: « Si servi per consilium manu armata » et cetera (Roth. 279). — § 9. In hoc quod dicit hec lex: « si hominem occiderit, componat qualiter appretiatus fuerit », et non ponit differentiam, sive sit in defendendo sive sit super alium ambulando, rupta est et affirmata a lege Liuprandi que est: « Si quis liber homo se defendendo » et cetera (Liutpr. 20). Quod vero dicit: « si case incense fuerint; quod debeant emendari sicut appretiate fuerint », dicunt quidam, intelligi debere, quod nolendo incense fuerint. Nam si volendo incense essent, iam rupta esset per legem istius quae est: « Si quis cassinam » et cetera (Roth. 146) in hoc quod dicit: « si incenderit voluntarie, quod debet emendari in triplum ». In hoc quod hec lex dicit: « si case incense fuerint, quod componantur secundum quod appretiate fuerint », intelligere debemus, quod secundum legem appretientur, id est si fuerint incense volendo, in triplum, si nolendo, in simplum, ut per subsequentem legem istius videri potest. — § 10. Quod dicit: « si quis pro iniuria sua vindicanda intravit in vicum super quemcumque manu armata cum exercitu, ille prior aut moriatur aut componat solidos 900 », et non posuit differentiam, sive essent per obligationem vel per sacramentum seu per dextram, rupta esse videtur a duobus capitulis Lotharii, in hoc quod prius capitulum « Volumus de obligationibus » et cetera (Loth. 4): « ipsum qui in capite est in Corsicam mittendum in exilium, et sequaces bannum componant », et in hoc quod secundo dicitur « De conspirationibus » et cetera (Loth. 67); « auctores facti interficiantur, adiutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur et nares sibi invicem incidant ». Quod ita salvatur, ut intelligamus, quod hec adunatio non fuit per obligationem aut per dexteram.

21. De exercitu rupta, in hoc quod dicit: « componat solidos 20 », a capitulo Caroli quod est:

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu fuisti contemptor ambulare in sculcam, aut in exercitum. — Non placeat Deo.

22. Si quis de ipso exercito duci suo ad iustitia persequenda denegaverit solatium, unusquisque conponat regi et duci suo solidos vigenti.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu vetuisti solacium duci tuo ad iustam causam persequendam. — Non placeat Deo.

23. Si dux exercitalem suum molestaverit iniuste, gastaldius eum solatiet, quousque veritatem suam inveniat, et in praesentiam regis aut certe aput ducem suum ad iustitiam perducat.

24. Si quis gastaldius exercitalem suam molestaverit contra rationem, dux eum solaciet, quousque veritatem suam inveniat.

25. Si quis res suas ab alio in exercitu requisiverit, et noluerit illi reddere, tunc ambulit ad ducem; et si dux illi aut iudex qui in loco ordinatus est a rege, veritatem aut iustitiam non servaverit, conponat regi et cui causa est, solidos viginti, causa manente.

Petre dux, aut Petre iudex, te appellat Martinus, quod tu eras ordinatus a rege ad gubernandum exercitum talem, et ille erat in ipso exercitu, et habebat perditam talem rem in ipso exercitu, et venit ad te ut faceres ei iusticiam, et non fecisti. — De torto.

26. De wegworin, id est horbitariam. Si quis mulieri libere aut

« Quicumque liber homo » et cetera (Karol. M. 34), in hoc quod dicit: « plenum eribannum componat ». Sed ita salvatur, ut sit addicio, non ruptio.

23. Gastaldius hic ponitur pro comite, eodem modo et in sequenti lege; quod confirmatur ex lege Liuprandi, que est: « Si quis gastaldius aut actor regis » et cetera (Liutpr. 58), in hoc quod, dicens inferius: « quodsi i u d e x aut actor », ostendit, quod superius « gastaldius » ponitur pro « comite », cum superius de iudice mentionem non fecisset.

25. In hoc quod dicit: « aut iustitiam non servaverit, componat solidos 20 causa manente », dicitur rupta esse a lege Rachis que est: « Cognovimus enim » et cetera (Rach. 6), in hoc quod dicit: « neglexerit iudicare aut forsitan attenderit ad premium aut ad gasindium vel ad parentes aut ad amicum et legem non iudicaverit, tunc veniat ad palatium et reclamet suam violentiam; et si probatum fuerit, componat ipse iudex widrigild suum et honorem amittat ». Sed sic salvatur, quod ipsa lex que est « Cognovimus enim » et cetera non loquatur de illis qui in exercitu essent, quod potest videri in hoc quod dicit: « Erimannus quidem ille »; per nullas leges qui sunt in exercitu erimanni vocati sunt. Sed hec lex tantum loquitur de illis qui in exercitu sunt.

26. In hoc quod hec lex dicit: « 900 solidos componat », rupta est per legem istius que est « Si mulier libera in scandalum incurrerit » (Roth. 379), in hoc quod dicit: « si plagas aut feritas habuerit aut forsitan inpicta fuerit aut occisa, appretietur secundum nobilitatem suam et sic ea componatur, tamquam si fratri ipsius mulieris hoc perpetratum fuisset ». Sed ita salvatur, quod iniuria de qua hec lex loquitur non sit facta in scandalo. Aliter salvatur, ut non sit ruptio sed exceptio, cum usus est huius regis se inantea respicere. — § 2. Item in hoc quod dicit: « 900 solidos componat », dicitur hec lex rupta esse a quam pluribus legibus Liuprandi. Prima est: « Si quis furore accepto » (Liutpr. 122), cum « de feminis simili modo medietatem pretii tamquam si

puellae in via se anteposuerit, aut aliqua iniuria intulerit, noningentos solidos conponat, medietatem regi, et medietatem cui ipsa iniuria inlata fuerit, aut mundius de ea pertenuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti aliquam iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — De torto. — Similiter fit de liberta, nisi nominatim de ea aliter inveneris.

27. Si quis homini libero viam antesteterit, viginti solidos ei conponat, sic tamen ut aliquam lesionem in carnem ipsius non faciat; nam si fecirit, et viginti solidos pro eo quod antestetit conponat, et plagas aut feritas si ficerit, sicut subter in hoc edictum adnexum est [*cap.* 43... 128] conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod ei antestetisti in via. — De torto.

28. Si quis servum alienum aut ancillam seu haldium aut libertum viam antesteterit, viginti solidos domino eius conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod antestetisti in via ad unum suum servum vel ancillam vel aldium vel aldiam vel ad libertum vel ad libertam suam. — De torto.

---

fratrem occidisset ». Secunda est: « Si quis malitiose » (Liutpr. 124), in hoc quod dicit: « componat mundoaldo eius solidos 80 ». Tertia est: « Relatum est nobis quod aliqui homines » (Liutpr. 140), in hoc quod dicit: « ut si aliquam iniuriam aut obprobrium aut plagas aut feritas aut mortem ibi acceperint, nichil ad ipsas mulieres vel ad viros vel ad mundoaldum earum componant ». Quarta est: « Si quis invenerit liberam puellam » (Liutpr. 145), in hoc quod dicit: « et eam ad casam suam ligatam aut submanicatam adduxerit, componat solidos 100 ». Sed ita salvatur, ut non sint rupture, sed exceptiones, quod sapientes non laudant. Et rumpitur a lege Grimoaldi in parte que est: « Si servus talem culpam fecerit » et cetera (Grim. 3), in hoc quod inferius dicit: « nichil aliud componat dominus eius, nisi ipsa persona tradatur ad occidendum, et componat pro illicita causa, quam servus eius perpetraverit, solidos 60 ». — § 3. Quodsi vero dicit: « in via se anteposuerit » et postea dicit: « aut aliquam iniuriam intulerit », secundum quosdam de iniuria in via facta tantum loquitur; secundum vero alios de iniuria in quolibet loco facta; quod per legem istius confirmatur, quae est: « Si mulier libera in scandalum », in hoc quod, inferius dicens: « nam alia culpa pro iniuria sua, unde 900 solidi iudicantur, non requiratur, eo quod ipsa ad litem cucurrerit », ostendit, quod non erat posita differentia, in quocumque loco facta esset iniuria. — § 4. Dicitur quod hec lex eodem modo de libertina quemadmodum de libera nascendo. Ad hoc sic obicitur: que ratio est, si, cum libertina rapitur, non componantur nisi solidi 20 per legem istius que est: « Si quis liberte aliene » (Roth. 206), et quando via solummodo ei contradicatur, 900 deberent componi? — Male dicis; quia si hec lex non loqueretur de iniuria libertine, non esset lex, que inde loqueretur; quod iniquum esset. Alia ratio quod de libertina loquatur: quia, ubicumque lex Romana sive Longobarda precipit aliquid de libera, illud idem de libertina intelligendum est, nisi ubi specialiter inter eas differentia ponitur. — § 5. Hanc iniuriam volendo esse factam intelligere debemus, quia, si intelligeremus nolendo factam esse, iam intelligeremus ruptam esse a lege istius quae est « Si infans in utero matris suae » et cetera (Roth. 75), in hoc quod dicit: « componat secundum generositatem suam ».

27. Hic notandum, quia homo ille et mulier illa, quibus pro vie antestatione compositiones predicte fiebant, simpliciter irent; quod potest videri per legem istius quae est: « Si quis messem suam » et cetera (Roth. 29), in hoc quod inferius est: « non sit culpabilis sicut ille qui hominem simpliciter ambulando per viam antestetit ».

29. Si quis messem suam aut pratum seu qualibet clausura vindicanda homini prohibuerit, id est antesteterit ut non ingrediatur, non sit culpabiles sicut ille qui hominem sempleciter viam ambolantem antesteterit, eo quod laborem suum vindicavit.

30. De marah-worfin. Si quis hominem liberum de cavallo in terra iactaverit per quolibet ingenio iniquo animo, octuginta solidûs ei conponat; et si aliquam lesionem ei fecerit, sicut in hoc edictum adnexum est [*cap.* 45... 128] conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu iactasti eum irato animo de caballo. — De torto.

31. De walopaus. Si quis homini violentia iniuste fecerit, id est walopaus, octugenta solidos ei conponat. Walopaus est, qui se furtim vestimentum alium induerit, aut se caput latrocinandi animo aut faciem transfiguraverit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pro animo de involando uno suo caballo te vestisti de veste furtiva. — De torto.

32. De homine libero, si nocte in curte alterius inventus fuerit et non dans manus ad legandum occidatur, a parentibus non requiratur.

---

29. In hoc quod dicit: « non sit culpabilis sicut ille qui hominem simpliciter per viam ambulantem antestetit », dicunt quidam, quod aliquo modo sit culpabilis; sed male dicunt, quia non ideo dixit, ut aliquo modo esset culpabilis, sed ut ostenderet, quod nullo modo culpabilis esset.

30. Quod dicit: « Si quis de caballo in terram iactaverit iniquo animo per quodlibet ingenium, componat solidos 80 », rupta est a lege istius que est « Si servus regis oberum aut vecorim seu manossim » (Roth. 374), in hoc quod dicit: « ita componat sicut servi aliorum exercitalium ».

32. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu interfecisti patrem suum. — Respondet: vere, sed ego inveni eum tacite in curte mea noctis tempore. — Si ipse dixerit: non est verum, ille qui eum invenit in curte sua probet se invenisse. — Respondet: quamvis in curte tua inveneris illo modo, tamen non eum debuisti occidere, quia ipse voluit dare manus ad ligandum. — Et probet, si potuerit; et si potuerit comprobare, componatur; sed si probare non potuerit, absque dubio sine compositione iaceat. — § 2. In hoc quod dicit hec lex: « si occiditur, a parentibus non requiratur », dicitur rupta esse a lege Liuprandi que est: « Si liber homo se defendendo » (Liutpr. 20) et cetera, in hoc quod dicit: « si occidatur se defendendo, quod componat, sicut Rothari rex instituit, et si fuerit supra eum ambulando, quod debeat suam substantiam amittere ». Sed de his qui se defendendo occisi sunt, secundum Wilihelmum ita salvatur: in hoc quod dicit: « sic componat sicut Rothari instituit », respexit ad ipsa homicidia, que Rotharis componi facit: et non ad illa, que componi noluit; quia si ipse homicida decernitur componi, quod Rotharis componere noluit, tunc non componerentur illa homicidia « sicut Rotharis instituit ». Et de his qui super alium ambulando sunt occisi, ita secundum Wilihelmum salvatur: in hoc quod ipsa lex dicit: « et accipiant ex ea substantia heredes illius inantea tantum, quantum antiqua compositio fuit », respexit ad illas leges, que de compositione homicidii locutae sunt. Aliter salvatur per capitulum Lotharii « De homicidio unde lex pro simplicitate » (Loth. 92) et cetera, quia in hoc quod dicit: « pro simplicitate querit probationem trium testium », respexit legem Liuprandi quae est: « Si quis liber homo se defendendo » et cetera (Liutpr. 20), et dat intelligere, quod ille qui occisus erat super eum ambulando stabat simpliciter, sed hic qui noctis tempore inventus fuerit non stabat simpliciter. — § 3. Hec lex tantum de duobus Longobardis loquitur. De illo cuius curtis est possumus videre sine dubio, quod est Longobardus, in hoc quod per legem Longobardam compositionem recipit, si suo nomine agit. Nam si alieno nomine agitur, non secundum legem agentis, sed secundum legem ipsius cuius nomine agitur componendum est. Quod videri potest per capitulum Pipini: « De diversis generationibus hominum » (Pipin. 27) et cetera, quia in eo legitur: « secundum legem ipsius, cui com-

Et si manus dederit ad legandum se, et legatus fuerit, dit pro se octuaginta solidos: quia non convenit rationi, ut homo noctis tempore in curtem alienam silentium aut absconse ingrediatur; sed si qualecumque utilitatem habet, antequam ingrediatur clamit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti suum patrem. — Ego inveni in curte mea illum tacito, et noluit michi dare manus ad ligandum, et ita occidi illum. — Et ita probet; sin autem, probet appellator, quod eum ita non interfecerit, aut ipse qui appellatus est iuret cum suis sacramentalibus, quod ita eum interfecisset. — Sed melius est, ut dicat, quod non occidi illum, quod emendare debeam per legem.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse invenit te in curte sua tacito. — De torto.

Petre te appellat Martinus, quod tu eum ligasti. — De torto.

Sed secundum valentes solus iuret.

33. Si servus in curte aliena noctis tempore inventus fuerit, et non dans manus occidatur, non requiratur a domino; et si manus dederit et legatus fuerit, liberet se cum quadragenta solidos.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti unum servum suum. — Similiter omnimodo fiat, ut supra de libero.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse invenit in corte sua unum tuum servum. — De torto.

34. Si quis in curte aliena irato animo sagittaverit aut lancia iacta-

---

misit neglegentiam, emendet ». Item de illo qui in curte inventus fuerit, possumus videre, quod est Longobardus, quia quod hec lex dicit, quod potest interfici, debemus intelligere, quod sit Longobardus, cum lex Romana nullum pro tam levi causa mori faciat. — Alia ratio, quod sit Longobardus. In hoc dicto: « a parentibus non requiratur » possumus videre per intellectum huius legis, quod, si alio modo mortuus esset, quam noctis tempore, quod posset queri; sed si per intellectum huius legis posset queri, tunc esset Longobardus, cum hec sit lex Longobarda. Dicitur tamen, quod per hanc legem ire debeamus, qui in curte aliena inventus fuerit seu Romanus seu Longobardus sit, hoc confirmando per capitulum Pipini: « De diversis generationibus hominum », in hoc quod dicit: « secundum ipsius legem, cui commisit neglegentiam, emendet » [Sed non videtur esse rectum; quia si Romanus diceretur mori per legem « Si noctis tempore », non secundum legem ipsius cui commisit neglegentiam emendaret], cum lex ipsius cui neglegentiam commisit id est: « Si quis liber homo in curte » in alio caso non facit accipere compositionem 80 solidos aut illum mori qui inventus fuerit, nisi Longobardus fuerit qui inventus fuerit. — § 4. In hoc quod dicit: « et si manus dederit ad ligandum et ligatus fuerit, det pro se solidos 80 » [dicebant quidam, si evaserit nec manus ad ligandum dederit, non debere componi solidos 80]. Sed male dicebant, quia hec lex non per ligaturam facit illum componere 80 solidos, nisi pro sola presumptione.

33. Servus ponitur hic pro servo et aldione, et hoc videre possumus per legem Liuprandi quae est: « Si quis servum aut aldionem » et cetera (Liutpr. 110), que in hoc quod dicit: « repetierit nisi de tacito in curte sua comprehensum dixerit », respiciens ad servum et aldionem, ostendit, quia in hac lege positus sit servus pro aldione et pro servo, cum nulla alia lex loquatur de aldione in curte tacite invento.

34. Hic « curte » intelligere debemus pro curte et casa, ut in sequenti ostendetur in eodem rege, et tam de conducta quam propria, ut in quarto libro Institutionum legitur in titulo de iniuriis,

verit aut de foris sepe alium plagaverit intra curtem, conponat solidos viginti; excepto conpositionis placarum aut feritas si fecerit, sicut in hoc edictum legitur [*cap.* 43... 128] persolvat.

Petre, te appellat Martinus, quod in cortem suam sagittasti aut lanceam iactasti irato animo. — De torto.

35. De scandalum. Si quis in ecclesia scandalum penetraverit, quadragenta solidos ipsius venerabilis loci sit culpavelis, excepto plagas aut feritas cui fecerit. Et predicti quadragenta solidi per sculdhais aut iudicem qui in loco ordinatus fuerit exegantur, et in sacro altario ponantur, ubi iniuria facta est.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod commisisti scandalum in tali ecclesia, quae est in proprietate Dominici. — Non placeat Deo.

36. Si quis intra palatium regis, ubi rex praesens est, scandalum penetrare praesumpserit, animae suae incurrat periculum, aut redimat anima sua, si optenere potuerit a rege.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu commisisti scandalum in palatio, ubi rex erat. — Non placeat Deo.

37. Si quis liber homo in eadem civitatem ubi rex praesens est, aut tunc invenitur esse, scandalum penetrare praesumpserit, id est si incitaverit et non percusserit, sit culpabiles solidos duodicem in palatium regis. Nam si perfecerit et percusserit, sit culpabiles in palatium regis solidos viginti et quattuor; excepto plagas aut feritas si fecerit, sicut subter [*cap.* 43... 128] adnexum est conponat.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu commisisti scandalum in eadem civitate, ubi rex erat aut statim venire debebat, et plagas aut feritas fecisti. — Non placeat Deo.

38. Si servus in eadem civitatem, in qua rex tunc invenitur esse, scandalum incitaverit, sit culpabiles in palatio regis solidos sex. Et si percusserit, sit culpabilis in palatium solidos duodicem, excepto feritas aut conpositiones plagarum, sicut in hoc edictum legitur.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod Marcoardus tuus servus commisit scandalum in civitate tali ubi rex erat aut statim venire debebat, et fecit plagas aut feritas. — Non placeat Deo.

---

quia ibi taliter (Inst. IV, 4, 8): « domum accipimus, sive in propria domo quis habitet sive in conducta vel gratis ». Et quod hic diximus de curte, illud idem intelligendum est de curte in lege suprascripta (Roth. 32. 33). — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « componat 20 solidos », affirmata est a lege istius quae est: « Si quis in curte aliena » (Roth. 277) et cetera, in hoc quod dicit: « componat solidos 20 ».

39. Si liber homo in alia civitatem scandalum incitare praesumpserit, et non percusserit, sit culpabiles in palatio regis solidos sex. Si autem percusserit aut plagaverit, sit culpabiles in palatium regis solidos duodicem: excepto conpositionem plagarum aut feritas si fecerit, sicut in hoc edictum legitur conponat.

Petre, te appellat Martinus, advocatus partis publicae, quod tu commisisti scandalum in aliam civitatem, et fecisti plagas aut feritas. — Similiter dicat.

40. Si servus in alia civitatem scandalum conmiserit, sit culpabiles in palatium regis solidos tres; si autem plagas aut feritas fecerit, sit culpabiles in palatium regis solidos sex, excepto plagas aut feritas cui fecerit conponat.

Petre, te appellat Martinus, advocatus partis publicae, quod Marcoardus tuus servus commisit scandalum in talem civitatem et fecit plagas aut feritas. — Similiter dicat.

41. De homine libero battuto. Si quis homine libero insidiatus fuerit cum virtute aut solatio, vedens eum inparatum simpleciter ambolantem aut stantem, subito super eum adveniens, et turpiter eum tenuerit et battuerit sine iussione regis, medietatem pretii ipsius ac si eum occidissit ei conponat, eo quod in turpe et in derisiculum ipsius eum male tractavit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu et insidiatus es cum virtute aut aliorum solacio, dum vidisti eum imparatum et simpliciter ambulantem aut stantem, et turpiter eum tenuisti et battisti sine iussione regis. — De torto.

42. De homine libero legato. Si quis hominem liberum legaverit absque iussionem regis sine causa, duas partis praetii ipsius, tamquam si eum occidissit, ei conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu ligasti eum sine iussione regis aut sine causa. — De torto.

43. De ferita aut percussura hominis liberi. Si quis hominem liberum subito surgente rexa percusserit, et liborem aut vulnus fecerit, pro una ferita conponat ei solidos tres; si duas fecerit, solidos sex; si

---

41. Quam plures dicunt, edicta antiquorum hanc litteram habere: « turpiter eum tenuerit et battiderit »; et ideo antiqui iudices dicebant, quod si eum turpiter tenet et non battiderit et e converso, quod non erat culpabilis. Quod summa esset iniquitas; quare non est credendum, edicta antiquorum talem litteram habuisse, inmo talem: « turpiter eum tenuerit vel battiderit ».

42. « Sine causa » dixit ad differentiam illius qui captus erat in curte tempore noctis.

43. « Subito surgente rixa » ad differentiam illius qui, ut supra (Roth. 41), insidiatus fuit cum virtute et cetera. — § 2. Vulnus in hac lege non proprie dicitur sed pro inflatura.

tres fecerit, solidos novem; si quattuor fecerit, solidos duodicem; si vero amplius duraverit, feritas non numerentur, et sit sibi contemtus.

Petre, te appellat Martinus, quod, tibi subito adveniente ira, fecisti ei quattuor feritas, quae apparuerint lividae et inflatae. — De torto.

44. Si quis alium pugno percusserit, conponat ei solidos tres; si alapas, solidos sex.

Petre, te appellat Martinus, quod tu percussisti eum de pugno, aut percussisti eum de alapa. — De torto.

45. De feritas et conpositionis plagarum, quae inter hominis liveros eveniunt, per hoc tinorem, sicut subter adnexum est conponantur, cessantem faida hoc est inimicitia.

46. Si quis alii plagam in caput fecerit, ut cutica tantum rumpatur, quod capilli cooperiunt, conponat solidos sex; si duas plagas fuerint, conponat solidos duodicem; si usque tres fuerint, conponat solidos decem et octo; si vero amplius fuerint, non numerentur, nisi istas tres conponantur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti ei tres plagas in capite tantum, quod cooperiunt capilli. — De torto.

47. Si quis alium plagaverit in caput, ut ossa rumpantur, pro uno

---

47. Quod dicit: « si plus fuerint, non numerentur », de ossibus intelligere debemus et non de plagis, ut quidam dicebant. — § 2. In hoc quod dicit: « quod ad pedes 12 super viam sonum in scuto facere possit », dicebant antiqui, quod per viam computandi essent 12 pedes, cum per usum hoc sit, ultra viam alii duodecim, ponentes « supra » pro « ultra ». Sed male dicebant, quia non ob aliam causam dixit, quod ad pedes 12 super viam sonum facere possit, nisi ut sonus vel os usque ad spacium 12 pedum audiretur. — § 3. In hoc quod dicit: « et supra fuerint, non numerentur », dicebat Bonifilius, quod, si plage plures fuerint quam una, non debere numerari; ideoque confirmabat, quod, si quis alii duas plagas vel plures in capite fecerit, et ex unaquaque illarum tale os exierit, quod supra scutum ultra 12 pedes sonum facere possit, et duo ossa, que super scutum sonum facere nequiverint, quod non debet ea emendare, nisi 30 et 6 solidos. — Cui hoc affirmanti Wilihelmus contra hoc ponit placitum: si quis alium in capite plagaverit, et ex illa plaga os tale exierit, quod sonum in scuto ultra 12 pedes facere possit, et eidem in capite duas alias plagas fecerit, pro quibus cutica tantum rumpatur: quid ei debeat componere? — Bonifilius: pro illa plaga, ex qua predictum os, debet componere solidos 30 et 6; et pro unaquaque aliarum solidos 6. — Vilihelmus: nichil dicis; quae ratio esset, huic debere emendare illas 3 plagas quas fecit, illi vero nonnisi unam? Nulla scilicet. Item ratio, quam superius confirmasti — quodsi aliquis alii duas plagas vel plures in capite fecerit, et ex unaquaque illarum tale os exierit, quod supra scutum ultra 12 pedes sonitum facere possit, quod non debet emendare nisi 36 solidos — non valet; quia lex non ideo dixit: « et si superfuerint, non numerentur », quod respiceret ad plagas, sed tantum ad ossa, scilicet si plura essent quam tria, non deberent numerari. Et licet hec lex non loquatur, nisi de una sola plaga, ex qua tria ossa exierint, tamen per similitudinem unius debemus intelligere de aliis duabus, quod videri in compositionibus illis ubi dicit: « Si plures plage fuerint, usque tres tantummodo numerentur, pro unaquaque plaga componatur ut supra » (Roth. 61). — § 4. Queritur, si quis alium in capite plagaverit et talia ossa inde exierint, que sonum super scutum facere non possint, vel si os tantum scissum fuerit: quid inde fieri debeat? — Dicit Vilihelmus: eundum per supradictam legem que est « Si quis alii in capite plagam fecerit » et cetera (Roth. 46), cum lex ista nichil inde dicat. Sed alii dicunt: per legem illam eundum esse, ita ut per utramque eat (Roth. 46. 47), ut non solum 6 solidi componantur, nec ex toto 12. Quod non a legibus habent, sed ex arbitrio.

osso conponat solidos duodicem; si duo fuerint, conponat solidos viginti et quattuor; si tres ossas fuerint, conponat solidos trigenta et sex; si super fuerint, non numerentur. Sic ita, ut unus ossus tales inveniatur, qui ad pedes duodicem supra viam sonum in scutum facere possit, et ipsa mensura de certo pede hominis mediocris mensuretur, nam non ad manum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti ei plagam unam in caput, unde exiverint tria ossa, ex quibus unum os aut omnia talia inveniuntur, quae ad pedes 12 per viam sonum in scuto facere possunt. — De torto.

48. De oculo evulso. Si quis alii oculum excusserit pro mortuum adpretietur, qualiter in angar-gathungi, id est secundum qualitatem personae; et medietas praetii ipsius conponatur ad ipsum, qui oculum excusserit.

49. De naso absciso. Si quis alii nasum absciderit, medietatem pretii ipsius conponat ut supra.

50. De labro absciso. Si quis alii labrum absciderit, conponat solidos sedicem, et si dentes apparuerint unus, duo aut tres, conponat solidos viginti.

51. De dentes priores. Si quis alii dentem excusserit, qui in risu apparit, pro uno dentem dit solidos sidicem; si duo aut amplius fuerint in risu apparentis, per hoc numero conponantur et adpretietur.

52. De dentes maxillares. Si quis alii dentem maxillarem unum aut plures excusserit, per unum dentem conponat solidos octo.

53. De aure abscisa. Si quis alii aurem absciderit, quartam partem pretii ipsius ei conponat.

54. De plaga in facie. Si quis alii plagam in faciem fecerit, conponat ei solidos sedicem.

55. De plaga in naso. Si quis alii plagam in nasum fecerit, conponat ei solidos sedicem, si resolidaverit, ut tantum cechatrix appareat.

56. De plaga in aurem. Si quis alii plagam in aurem fecerit, conponat solidos 16, si resolidaverit.

57. De brachio transforato. Si quis alium in brachio punxerit et transforaverit, conponat solidos 16.

48. In hoc quod dicit: « medietas precii ipsius componatur ipsi » affirmata est a capitulo Caroli quod est « Si quis alium praesumptive castraverit » et cetera (Karol. M. 81) in hoc quod legitur: « de manibus de oculis vel de lingua sancimus, ut, si unus eorum abscisus fuerit, medietatem widrigild sui componat ».

49. Affirmatur a capitulo eiusdem Caroli.

58. Si quis alii brachium punxerit et non transforaverit, conponat solidos octo.

59. Si quis alium intra capsum plagaverit, conponat solidos viginti.

60. De plaga in coxa. Si quis alium in coxa plagaverit aut punxerit, si transforatum fuerit, conponat solidos 16; si autem transforatum non fuerit, conponat solidos octo.

61. De numero plagarum. Si plures plagas fuerent, usque ad tres tantummodo numerentur, et per unamquamque plagam conponantur ut supra; nam amplius si fuerent, non conponantur.

62. De incisione manus. Si quis aliis manum absciderit, medietatem pretii ipsius, sicut adpretiatus fuerit, ac si eum occidisset, ei conponat; et si sic sideraverit et non perexcusserit a corpore, quartam partem pretii ipsius ei conponat.

63. De digita manus. Si quis alii policem de manu excusserit, sexta partem pretii ipsius, quod homo ipse adpraetiatus fuerit si eum occidissit, ei conponat.

64. De secundum digitum. Si quis alii secundum digitum de manu excusserit, conponat solidos sedicem.

65. De tertium digitum. Si quis alii tertium digitum de manu excusserit, quod est medianus, conponat solidos quinque,

66. De quartum digitum. Si quis alii quartum digitum excusserit, conponat solidos octo.

67. De quinto digitum. Si quis quintum digitum excusserit, conponat solidos sedicem.

68. De incisione pedum. Si quis alii pedem excusserit, medietatem praetii ipsius ei conponat; et si sideratus fuerit et non perexcusserit, quarta parte praetii ipsius ei conponat.

69. De policem pedis. Si quis alii policem de pede excusserit, conponat solidos sedicem.

70. De secundo digito. Si quis alii secundum digitum de pede excusserit, conponat solidos sex.

71. Si tertium digitum pedis excusserit, conponat solidos tres.

72. Si quartum digitum excusserit, conponat solidos tres.

73. Si quintum digitum pedis excusserit, conponat solidos duo.

74. In omnis istas plagas aut feritas superius scriptas, quae inter

---

68. Eodem modo affirmatur ab eodem capitulo (Karol. M. 81).

74. Quod dicit: « inter homines liberos evenerint » debemus intelligere de plagis suprascriptis liberis tantummodo factis a liberis vel a servis. Quod videri potest per legem istius que est: « Omnes vero plage aut ferite » et cetera (Roth. 127), que specialiter dicit de plagis factis servis et ancillis aldiis et aldiabus et non ponit differentiam sive a liberis sive a servis sint facte. —

hominis liberos evenerint, ideo maiorem conpositionem posuimus quam antiqui nostri, ut faida, quod est inimicitia, post accepta suprascripta conpositione postponatur, et amplius non requiratur, nec dolus teneatur, sed sit sibi causa finita, amicitia manentem. Et si contigerit de ipsas plagas intra anni spatium qui plagatus est mori, tunc ille qui eum plagavit conponat, qualiter in angar-gathungi, id est secundum qualitatem personae.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti ad patrem suum unam plagam, et fuit mortuus de ipsa plaga intra anni spacium. — Ipse fecit michi finem de ipsa plaga. — De plaga potuit tibi facere finem, sed non de morte.

75. De infante, si in utero matris occisus fuerit. Si infans in utero

---

§ 2. Notandum, quod hec lex loquatur ita de mulieribus, tam liberis quam ancillis, plagas facientibus quemadmodum de masculis. Quod videri potest per Liuprandi que est: « Relatum est nobis quod aliqui homines » (Liutpr. 140) et cetera, quia, ubi dicit: « secundum edicti tenorem », respexit has compositiones et ostendit per has compositiones. Videtur etiam alia causa: quia in hoc quod he leges de compositionibus loquentes dicunt « Si quis », debemus intelligere tam de feminis quam de masculis, cum masculinum genus pondus feminini sepe contineat, veluti in Liuprando in lege que est: « Si quis Longobardus sine filiis mortuus est » et cetera (Liutpr. 1) debemus intelligere: si qua Longobarda. — § 3. Notandum, quod, sive iste plage sint nolendo sive volendo, utemur tantum his compositionibus, cum segregatim de istis legibus non habeamus; ita tamen si masculis fuerint factae: nam si mulieribus fuerint facte nolendo, eundum est per has compositiones ad similitudinem virorum. — § 4. In hoc quod hec lex dicit: « ideo maiorem compositionem ponimus quam nostri antiqui », dixerunt antiqui: respexit ad compositiones antiquarum legum vel per antiquum usum. — § 5. In hoc quod dicit: « et si contigerit, de ipsis plagis de quibus compositio facta est intra anni spacium mori, tunc ille qui eum plagavit componat qualiter in egargathungi id est secundum qualitatem personė », dat intelligere, quod, si fuerit mortuus post annum, non debeat emendari. Per quem intellectum antiqui dicebant esse ruptam a lege Liuprandi que est: « Si quis liber homo se defendendo » (Liutpr. 20), in hoc quod dicit: « si fuerit se defendendo, sic sit sicut Rotharis instituit » et in hoc quod dicit: « si fuerint super alium ambulando, quod debet amittere omnem substantiam ». Sed male dicunt quia sic salvatur, quemadmodum « Si quis liber homo noctu in curte alterius » salvata est ab eadem lege. — § 6. Item quod dicit: « si contigerit ex ipsis ex quibus accepta est compositio infra anni spacium mori, quod deberet componi », dat intelligendum, si compositio non est facta, quod, in quocumque tempore moriatur, componi deberet. — § 7. In hoc quod dicit: « componat qualiter in egargathungi », si se defendendo fuerit, affirmatur a lege Liuprandi que est: « Si quis liber homo », in hoc quod dicit: « sic componat, sicut Rothari dixit »; si vero fecit supra eum ambulando, rupta ab eadem lege Liuprandi in hoc quod dicit: « omnem substantiam suam amittat ». Item in hoc quod dicit: « secundum qualitatem persone » de servo rupta, si fuerit cum voluntate domini a lege Liuprandi que est « Si servus cum voluntate domini » (Liutpr. 21), in hoc quod facit dominum amittere omnem substantiam suam; et si fuerit sine voluntate domini, dicetur affirmata esse in eadem lege, in hoc quod dicit: « widrigild suum componat » et insuper addit: « ut persona servi tradatur ». Sed secundum quosdam non dicitur esse affirmata, sed rupta in hoc quod dicit: « persona servi insuper tradatur »; non tamen est ruptio, imo addicio.

75. Quod dicit « nolendo » et quod inferius dicit: « si ipsa mulier libera est et evaserit » et cetera, notari potest, quod, si quid malum mulieri libere nolendo factum fuerit, ut iniuria non sit componenda, sed ut damnum datum in corpore liberi hominis, quia, cum datum est volendo, fit iniuria: patet itaque, retropositam legem « Si quis mulieri libere » et cetera de iniuria volendo facta esse locutam. — § 2. Per « generositatem » debemur intelligere « qualitatem persone », ut in lege Liuprandi legitur que est: « Recolimus enim qualiter iam statuimus » et cetera (Liutpr. 117). — § 3. Notandum, quod usu et exemplo huius legis, quecumque libera mulier nolendo occisa fuerit, quod debemus intelligere secundum hanc legem esse componendam. — § 4. In hoc quod ipsa lex dicit: « nam si ipsa mortua fuerit, componat eam secundum generositatem suam », ostendit, quod

matris suae nolendo occisus fuerit ab aliquem: si ipsa mulier libera est et evaserit, adpraetietur ut libera secundum nobilitatem suam, et medietatem quod ipsa valuerit, infans ipse conponatur. Nam si mortua fuerit, conponat eam secundum generositatem suam, excepto quod in utero eius mortuum fuerit, ut supra, cessante faida, eo quod nolendo fecit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti unum infantem in utero de Maria sua mundoalda nolendo. — De torto.

76. De haldiûs et servûs menisteriales. De illos vero menisteriales dicimus, qui docti domui nutriti aut probati sunt.

77. Si quis haldium alienum aut servum menesterialem percusserit, si vulnus aut libor apparuerit, pro una ferita conponat sol. unum; si duas fecerit dit solidos duo; si tres fecerit dit solidos tres; si quattuor ficerit dit solidos quattuor; si vero amplius duraverit, non numerentur.

78. Si quis haldium alienum aut servum minesterialem plagaverit in caput, ut ossa non rumpantur, pro una plaga dit solidos duo; si duas plagas fecerit, dit solidos 4, excepto operas et mercedes medici, si vero amplius plagas capitis fecerit, non numerentur.

79. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem plagaverit in caput, ut ossa rumpantur unum aut plures, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedes medici.

80. De plaga in faciem. Si quis aldium alienum aut servum ministerialem plagam in faciem fecerit, conponat solidos duo.

81. De oculo evulso. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem oculum excusserit, medietatem pretii ipsius quod adpretiatus fuerit, si eum occidisset, ei conponat.

82. De nasum abscisum. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem nasum absciderit, conponat solidos octo, excepto operas et mercedes medici.

83. De aure abscisa. Si quis haldium alienum aut servo ministeriale aurem absciderit, conponat solidos duos, excepto operas et mercedis medici.

---

plage aut ferite nolendo ei facte ut ad modum illorum quae viris fuerint sint componende, exemplo et mortis similitudine. — § 5. Queritur, si infans in utero matris sue volendo occisus fuerit et ipsa mortua fuerit, si puer debet componi? Wal. (?) affirmat, puerum non debere componi in eo casu, quia lex istius que est: « Si quis puellam aut muliere liberam » (Roth. 201) non posuit differentiam, sive puer esset in eius utero sive non, et non facit interfectorem componere nisi matrem. Sed quidam affirmarunt, puerum debere componi non per legem sed per argumentum, sic dicentes: quoniam hec lex facit puerum componi, quando in utero matris nolendo occisus est, multo melius debemus intelligere, quod debet componi, quando in utero matris occisus est volendo.

84. De labro absciso. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem labrum absciderit, ut dentes appareant, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

85. De dentes excussos. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem dentem excusserit unum aut plures in risu apparentes, pro unum dentem conponat solidos quattuor; si plures fuerint, per hoc nomiro conponatur.

86. De dentes maxillares. Si quis maxillares dentes excusserit, pro uno maxillare conponat solidos duo; si vero plures fuerint, per hoc nomiro conponatur.

87. De brachium ruptum. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem brachium ruperit, conponat solidos sex, excepto operas et mercedes medici.

88. De manu abscisa. Si quis haldium alienum aut servum ministerialem manum absciderit, medietatem pretii ipsius conponat.

89. De digita manus. Si quis haldium alienum aut servum menesteriali pollicem de manu excusserit, conponat solidos octo, excepto operas et mercedes medici.

90. Si secundum digitum de manu excusserit, conponat solidos sex.

91. Si tertium digitum de manu excusserit quod est medianum, conponat solidos duo.

92. Si quartum digitum de manu excusserit, conponat solidos duo.

93. Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos quattuor.

94. De coxa rupta. Si quis haldium alienum aut servum ministeriali coxa ruperit aut tibia, conponat solidos tres, excepto operas et mercedes medici.

95. De pede absciso. Si quis haldium alienum aut servum ministeriali pedem excusserit, medietatem praetii ipsius conponat.

96. De digita pedum. Si quis haldium alienum aut servum menesterialem policem de pede excusserit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedes medici.

97. Si quis haldium alienum aut servum minesteriali secundum digitum pedis excusserit, conponat solidos duo.

98. Si tertium digitum de pede excusserit, conponat solidos duo.

99. Si quartum digitum de pede excusserit, conponat solidum unum.

100. Si quintum digitum de pede excusserit, conponat solidum unum.

101. De plaga intra capsum. Si quis haldium alienum aut servum ministeriali plagam intra capso aut sagitta iniecta aut cum qualebit arma fecerit, conponat solidos sex, excepto operas et mercedes medici.

102. De brachio aut coxa transforata. Si quis haldium alienum aut

servum ministeriali brachium aut coxa transforaverit, conponat solidos tres, excepto operas et mercedes medici; et si sic plagaverit et non transforaverit, conponat solido unum.

103. De servûs rusticanûs. Si quis servum rusticanum alienum plagam in caput fecerit, ut cutica tantum rumpatur, pro una plaga dit solidum unum, pro duas dit solidos duo, excepto operas et mercedes medici; si vero amplius plagas capitis fuerint, non numerentur. Si autem ossa ruperit unum aut plures, conponat solidos tres; amplius non numerentur.

104. De plaga in faciae. Si quis servum alienum rusticanum plagam in faciae fecerit, conponat solidum unum.

105. De oculo evulso. Si quis servum alienum rusticanum oculum excusserit, medietatem praetii ipsius, quod adpraetiatus fuerit, si eum occidissit, dominum eius conponat.

106. De naso absciso. Si quis servum alienum rusticanum naso absciderit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedes medici.

107. De aure abscisa. Si quis servum alienum rusticanum aurem absciderit, conponat solidos duo, excepto operas et mercedis medici.

108. De labro absciso. Si quis servum alienum rusticanum labrum absciderit, ut dentes appareant, conponat solidos tres.

109. De dentes. Si quis servum alienum rusticanum dentem excusserit, qui in riso apparit, conponat pro uno dente solidos duo, pro maxillare vero solido uno; si autem amplius fuerint, per hoc nomiro conponantur.

110. De brachio aut coxa transforata. Si quis servum alienum rusticanum brachium aut coxa transforaverit, conponat solidos duo; si autem plagam fecerit et non transforaverit, conponat solido uno, excepto operas et mercedes medici.

111. De plaga, que intra capso fiet. Si quis servum alienum rusticanum intra capso plagaverit, conponat solidos tres, excepto operas et mercides medeci.

112. De brachio coxa aut tibia rupta. Si quis servum alienum rusticanum brachio coxa aut tibia ruperit, conponat solidos tres, excepto operas et mercedes medici. Et si ipsa ruptura intra anni spatium sanas factas non fuerint, et ad pristinam non redierit sanitatem, quartam partem quod ipse valuerit, domino eius conponat.

113. De manum abscisam. Si quis servum alienum rusticanum manum absciderit, medietatem pretii ipsius domino eius conponat.

114. De digita manus. Si quis servum alienum rusticanum policem de manu excusserit, conponat solidos quatuor.

115. Si secundum digitum de manu excusserit, conponat solidos tres.

116. Si tertium digitum de manu excusserit, conponat solidum unum.

117. Si quartum digitum de manu excusserit, conponat solidum unum.

118. Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos duos, excepto operas et mercedes medici.

119. De pede servo rustigano absciso. Si quis servum alienum rustiganum pedem absciderit, medietatem pretii ipsius conponat ut supra.

120. De digita pedum. Si quis servum alienum rustiganum policem de pede excusserit, conponat solidos duo.

121. Si secundum digitum de pede excusserit, conponat solido uno.

122. Si tertio digito de pede excusserit, conponat solido uno.

123. Si quarto digito excusserit, conponat solido medio.

124. Si quintum digitum pedis excusserit, conponat solido medio.

125. De servo rusticano battudo. Si quis servum alienum rusticanum percusserit, pro unam feritam, id est pul-slahi, si vulnus aut libor apparuerit, conponat solido mẹdio; si vero usque quattuor feritas fuerit, conponat solidos duo; amplius si fuerit, non numeretur.

126. Si membrum sideratum fuerit. Si de plagas aut de suprascriptas feritas haldii aut servi ministerialis, seu servi rusticani atque haldias aut ancillas, manus aut pedis vel quolibet membrum, qui plagatus aut percussus est, sideratum fuerit, et non perexcusserit, simili modo conponatur tamquam si eum perexcussissit.

127. Omnes vero plagas aut feritas tam de haldiûs quam et ḍe servûs

---

127. Notandum est, nos ire debere per has leges, sive mulieres, tam libere quam ancille, seu masculi, tam liberi quam servi, supradictas plagas aut feritas aut haec subsequentia homicidia fecerint, quae continentur in his legibus que sunt usque ad legem que est: « Si duo aut tres homines » (Roth. 129-137), et notandum, quod sive iste plage fuerint nolendo sive volendo, quod utemur his compositionibus, ut supra dictum est. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « si autem de aliquo fuerit dubietas quod evadere aut citius sanare non possit, tunc medietatem pretii de plagis quod arbitratum fuerit dominus accipiat, reliqua vero medietas suspendatur » et inferius dicit: « si autem de ipsis plagis, de quibus medietas compositionis accepta est, mortuus fuerit intra anni spacium, sicut subter annexum est componat domino eius », dat intelligere, si tota compositio plaga facta est, etsi alia die mortuus fuerit, non debere componi. Item quod dicit: « si autem ex ipsis plagis », scilicet unde medietas compositionis facta est, « mortuus fuerit intra anni spacium », ostendit, si post anni spacium mortuus esset, non debere componi. Et rursum in hoc quod dicit: « si autem de aliquo fuerit dubietas, quod evadere » et cetera, « tunc medietas precii de plagis » et cetera, et omnino quod inferius dicit: « si autem de ipsis plagis » et cetera usque « ita componat », datur intellegi, si nichil de compositione plage vel minus medietatis datum esset et tunc mortuus esset, sive infra annum sive post annum, quod deberet componi. — § 3. Si quis servum habuerit in usufructu, et alterius fuerit proprietas, et ipse servus plagatus fuerit et ex ipsa plaga intra anni spatium mortuus fuerit, queritur, cui illorum compositio fieri debeat? Affirmatur, debere fieri compositionem cui proprietas pertinet, quod videri potest per Romanam legem, quia in 4. libro Institutionum legitur in titulo de iniuriis (Inst. IV, 4, 5): « Quod si usufructus in servo Titii est, proprietas Mevii est, magis Mevio iniuria fieri intelligitur ». Sed tamen usufructuarie opere, quas usufructuarius pro ipsa plaga amisit usque dum ipse mortuus fuerit, vel ea sint, componi deberent, sicut inferior lex declarat, que est: « De eo qui plagas fecit » (Roth. 128) et cetera.

ministeriales, seu servi rusticani atque haldias aut ancillas, que inter eos evenerint, per hoc tinore sicut supra scriptum est finiatur. Si autem de aliquas dubietas fuerit, quod evadere aut citius sanari non possint, tunc medietatem pretii de plaga quod arbitratum fuerit, dominus accipiat; reliqua vero medietas suspendatur, dum usque cognoscitur, si intra anni spatium potest de ipsis plagis evadere. Si evaserit, quod reliquum est conpleatur; si autem de ipsas plagas mortuus fuerit intra anni spatium, sicut subter adnexum est [*cap.* 129 . . . 137], ita domino conponatur; et quod pro plaga acceptum est, in ipsa summa conpositionis mortui reputetur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse appellavit te quod tu fecisti plagam in capite de Marcoardo suo servo, et propter hoc quod dubietas erat, si evaderet, medietatem de composicione dedisti, et medietas in suspenso fuit. Modo sanus est, et vult, ut tu adimpleas aliam medietatem, aut: modo mortuus est, et vult, ut adimpleas compositionem mortui.

128. De eo qui plagas fecerit. Qui plagas fecerit, ipse querat medicūs, et si neclexerit, tunc ille qui plagatus est aut dominus eius inveniat medicum. Et ille qui caput rumpit aut suprascriptas plagas fecit, et operas reddat et mercedes medici persolvat, quantum per doctos homines arbitratum fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu plagasti Dominicum suum servum in capite, et noluisti querere medicum, sed ipse quesivit, et vult, ut solvas et mercedem, quantum per doctos homines arbitratur. — De torto.

129. De haldio occiso. Si quis haldium occiderit, conponat solidos sexagenta.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti unum suum aldium, aut unum suum servum ministerialem probatum, aut de aliis ministerialibus, aut unum servum massarium, aut unum servum bobulcum de sala, aut unum rusticanum, aut unum porcarium magistrum, aut de inferioribus porcariis, aut pecorarium, aut caprarium, seu armentarium, aut ex discipulis, aut infantem parvulum de servo aut de massario.

130. De servo ministeriale occiso. Si quis servum alienum ministerialem occiserit probatum, ut supra [*cap.* 76], aut doctum, conponat solidos quinquagenta.

131. De alio vero minesteriale, qui secundus ei invenitur, tamen nomen minesteriale habet, si quis occiderit, conponat solidos viginti et quinque.

132. De servo massario occiso. Si quis servum alienum massario occiderit, conponat solidos viginti.

133. De bovulco occiso. Si quis servum alienum bovulco de sala occiserit, conponat solidos viginti.

134. De servo rusticanum qui cum massario est. Si quis servum alienum rusticanum qui cum massario est occiserit, conponat solidos sedicem.

135. De pastore occiso. Si quis porcarium alienum occiserit, magestrum tamen illum, qui sub se discipulos habit duo aut tres aut amplius, conponat solidos quinquagenta. De inferiores autem porcarios, si quis occiderit, conponat solidos viginti et quinque.

136. De pecorario caprario seu armentario occiso, magistro tamen, si quis occiderit, conponat viginti solidos. Pro discepulos autem, qui sequentes sunt, si quis occiderit, conponat solidos sedicem. De illos vero pastoris dicimus, qui ad liberos homines serviunt, et de sala propria exeunt.

137. Si infans parvus de massario occisus fuerit. Si quis infantem parvulum de servo massario casu facientem occiderit, arbitretur a iudice secundum qualem aetatem habuit, aut qualem lucrum facere potuit; ita conponatur.

138. De arbore communiter inciso homineque occiso. Si duo aut tres aut plures homines arborem unum inciserint, et alium hominem supervenientem ex ipsum arborem occiserint, aut quodlibet damnum ficerint, tunc incidentes arborem, quanticumque fuerint, ipsum homicidium aut damnum pariter conponant. Et si caso faciente ab ipso arbore aliquis ex ipsis qui incidunt, mortuus fuerit, si duo fuerint collegantes, medietas praetii reputetur illi mortui, et medietatem

---

138. In hoc quod dicit: « aut quodlibet damnum fecerit, tunc incidentes arborem » et cetera, notandum est, quod, quocumque modo damnum factum fuerit, quod debet componi, quia, cum hec lex emendare facit quodlibet damnum nolendo factum, multo magis intelligi debet de volendo facto. — § 2. In hoc quod dicit: « tunc incidentes arborem, quanticumque fuerint, ipsum homicidium aut damnum componant », notandum est, quod illi tantum homicidium aut damnum componunt, qui tunc presentaliter arborem incidebant, quando ex arboris occasu homicidium aut damnum factum fuit, et non alii, ut quidam dicunt, qui, licet ipsam arborem incidissent, tamen cum arbor cecidit, non aderant, vel, si aderant, occasum arboris non viderunt, veluti si dormirent. — § 3. In hoc quod dicit: « quanticumque fuerint, vivi reddant simul summam precii », ita est intelligendum: si unus fuerit mortuus et duo vivi, mortuus tertiam partem widrigild in se computet, et duo vivi componant duas partes. Et, quod ita sit intelligendum, ex eo comprobari potest quod superius dixit: « si duo fuerint college, medietas pretii reputetur illi mortuo, et medietatem reddant parentibus college ipsius ». Hoc eodem ordine debemus intelligere, si fuerint tres vivi et tres mortui; tres vivi pro unoquoque mortuo tres partes widrigild componant, unusquisque mortuus sui widrigild quartam partem in se computet. Et si fuerint 3 mortui, unus vivus, det pro unoquoque mortuo medietatem widrigild, unusquisque mortuus in se computet medietatem sui widrigild, et hoc ordine computetur de pluribus.

reddat parentibus collegas ipsius; et si plures fuerint, idem modo portio una repotetur illi mortui et quanticumque fuerint vivi, reddant simul summa praetii, cessante faida, ideo quia nolendo fecerunt.

Petre, te appellat Martinus, quod tu taliasti unam arborem cum illo et illo, et ex ipsa arbore occidisti patrem suum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu taliasti unam arborem cum Alberto suo patre, et ex ipsa arbore fuit mortuus, aut tale dampnum ei fecisti. — De torto.

139. De venenum temperatum. Si quis homo liber aut mulier venenum temperaverit et alii ad bivendum dare voluerit, conponat solidos viginti, sicut ille qui de morte alterius consiliatus fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu aut Maria tua mundoalda temperasti venenum, et dare voluisti sibi aut Marthae suae mundoaldae ad bibendum. — De torto.

140. Si liber aut libera venenum alii dedirit ad bivendum, et qui acceperit, ex ipso veneno mortuus non fuerit, conponat qui venenum dedit, medietatem praetii ipsius, quod adpraetiatus fuerit, si eum occidissit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu aut Maria tua mundoalda temperasti venenum, et dedisti ei aut Marthae suae mundoaldae ad bibendum. — De torto.

141. Si quis venenum ad bivendum dedirit, et qui acceperit, mortuos fuerit, praetium mortui secundum qualitatem personae in integro conponat.

---

140. « Alii » in hac intelligendum est de libero, quod confirmari potest per hoc quod dicit: « Si liber aut libera ». Quod et alia ratione confirmatur, quia, ubicumque lex de compositionibus servorum loquitur, specialiter dicit, ut potest videri per compositiones supradictas (Roth. 76 sq.).

141. Notandum « Si quis » tantum de libero loqui, quod videri potest in hoc quod inferior lex (Roth. 142) specialiter de servo loquitur. — § 2. Sciendum quoque, « alii » pro libero tantum intelligi, quod confirmatur per easdem rationes quibus confirmatum est superius. — § 3. In hoc quod dicit: « et qui accepit mortuus fuerit, secundum qualitatem persone in integrum componatur », rupta est a lege Liuprandi que est: « Recolimus enim quia statuimus » (Liutpr. 117), quia in hoc quod dicit: « et si ei ferita venerit cui crimen ipsum iniungitur aut ad camphionem illius quem conductum habet, non ammittat omnem substantiam, sed componat eum secundum qualitatem persone sicut ante fuit consuetudo, quia incerti sumus de iudicio Dei », dat intelligendum, quod, si alio modo fuit probatum quam per pugnam, quod debeat amittere omnem substantiam suam; affirmata est ab eadem lege in hoc quod dicit: « si fuerit convictus per pugnam quod debet componere secundum qualitatem persone sicut ante fuit lex componendi ». Et in hoc iterum corrupta est a capitulo secundi Enrici quod est: « Quicumque veneficio » et cetera (Heinr. II, 3) (hoc capitulum intelligitur loqui tam de masculis quam de feminis), in hoc quod dicit: « mortis sententiam incurrat omniumque suarum rerum mobilium vel immobilium facultatem amittat ». — § 4. Notandum in hac lege « alii » intelligendum tam de libera quam de libero, quod confirmatur per supradictas leges (Roth. 139. 140). — § 5. Notandum est etiam, quod plures dicunt, « qualitatem persone » mulieris hic accipiendam esse sicut Rothar determinare videtur, in hoc quod in lege quae est (Roth. 201): « Si quis puellam aut mulierem liberam per quamlibet occasionem occiderit », faciat pro ipsa 1200 solidos componi.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti suum patrem per venenum. — De torto.

142. Si servus vel ancilla venenum alecui dedirit, et ille qui accepit mortuos non fuerit, conponat dominus servi vel ancillae medietatem praetii ipsius, quod valuerit qui accepit; et per omnia ipse servus vel ancilla in ipsa conpositione pro quantum adpretiatus fuerit, ad occidendum tradatur. Et si mortuus fuerit, qui accepit, tunc dominus servi vel ancille ipsum hominem in integrum conponat, sic tamen ut servus aut ancilla in ipsa conpositione pro quantum adpretiatus fuerit, ad occidendum tradatur, et nulla sit redemptio aut excusatio mortis servi vel ancille.

Petre, te appellat Martinus, quod Aldus tuus servus, aut Maria tua ancilla temperavit venenum et dedit sibi aut patri suo, aut Marthae suae mundoaldae. — De torto.

143. De eo qui post accepta conpositione se vindicauerit. Si homo occisus fuerit liber aut servus, et pro humicidio ipso conpositio facta

---

142. Notandum quia hic « alicui » pro libero ponitur, quia, si de servo intelligeretur et contingeret, quod servus doctus daret venenum servo, qui est sub massario servo, et inde mortuus non fuerit, ideo ipse deberet tradi infra medietatem compositionis ipsius « pro quanto precio appreciatus esset » sicut hec lex precipit. Quomodo hoc contingere posset, quod servus doctus 50 solidos valens (Roth. 130) posset tradi: « pro quanto appreciatus est infra medietatem compositionis illius », qui non est appretiatus nisi solidos 16? (Roth. 134) scilicet nullo modo. — Alia ratio quod « alicui » intelligendum tantum de libero sit: quia, etsi contingere posset, quod unus servus traderetur pro quanto appreciatus esset infra medietatem compositionis alterius servi (veluti qui appreciati sunt 16 vel 20 solidos possunt tradi infra medietatem compositionis illius qui 50 solidos appretiatus est), tamen non debemus intelligere, quod hec lex de servis loquatur, quia, si de servis loqueretur, universaliter de omnibus diceret. — § 2. In hoc quod dicit: « ipsum hominem in integrum componat, sic tamen, ut ipse servus vel ancilla in ipsa compositione pro quanto apreciati fuerint ad occidendum tradantur », ruptum est a lege Liuprandi que est « Si servus cum voluntate domini sui, dominus eius omnes res suas amittat » (Liutpr. 21), in hoc quod inferius dicit: « si dominus purificaverit, quod per ipsius consilium mortuus non fuisset, componat ipsum mortuum sicut antea fuit consuetudo et insuper tradat servum suum in manibus defuncti ». Hec et illa rupte sunt a capitulo secundi Einrici quod est: « Quicunque veneficio » (Heinr. II, 3), in hoc quod dicit: « aut inde consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat » (consentiens scilicet dominus), et in hoc quod dicit: « si vero servus fuerit, per iudicium se defendat aut similem sententiam habeat », scilicet quod moriatur, si sine voluntate domini fecit. — § 3. In hoc quod dicit: et si mortuus fuerit qui accepit, tunc dominus servi vel ancille ipsos servos vel ancillas in ipsa compositione pro quanto appreciati fuerint ad occidendum tradantur », affirmatur a capitulo Caroli quod est « Nemini liceat » (Karol. M. 26) in hoc quod dicit: « aut ad penam petitori offerat ».

143. Petre, hoc dicit Martinus, quod tu interfecisti patrem suum pro revindicanda morte patris tui, quem ipse interfecit, unde tu compositionem accepisti. — Respondet: non est verum. — Deinde actor, si potuerit probare, probet; si vero non potuerit, vadat ad pugnam secundum capitulum Einrici, quod est: « Quicumque infra treuguam » (Heinr. I, 3), et detur ei spacium secundum legem, et postea faciat pugnam; et si convictus fuerit, per hanc legem duplum, quod accepit, restituat, et propter periurium manum perdat. — § 2. Petre, hoc dicit Martinus, quod tu interfecisti servum suum Donatum pro revindicanda morte Or., servi tui, unde compositionem accepisti et finem fecisti. — Respondet: non est verum. — Deinde actor probet, si potuerit; et si probare potuerit, compositionem, quod accepit, in duplum restituat, et manum propter periurium amittat per capitulum Pipini, quod est: « Si quis periurium fecerit » et cetera (Pipin. 43); et si probare non potuerit, ipse se defendat per legem istius, que est: « Si pro quacumque causa vel culpa »

fuerit, et pro ampotandam inimicitia sacramenta prestita: et postea contegerit, ut ille qui conpositionem accepit, se vindicandi causam occiderit hominem de parte, de qua conpositionem accepit: iubemus ut in dublum reddat ipsam conpositionem iterum parentibus aut domino servi. Simili modo de plagas aut feritas, qui post conpositionem acceptam se vindicare temptaverit, in dublum quod accepit, restituat; excepto si hominem occiderit, conponatur ut supra.

Petrus, Martine, interfecit patrem tuum, et vult, ut sibi iures ita: de hac hora inantea per ipsum homicidium, quod de patre meo fecisti, unde michi compositionem dedisti, per me nec per meam submissam personam non faciam furtum nec scachum nec homicidium nec incendium nec plagas nec comprehensionem de personis tibi, nec hominibus de tua parte, nec aliquod malum, si Deus.

Modo iura, Petre, quod de hac hora inantea per ipsam compositionem, quam tu fecisti Martino de patre suo, quem tu interfecisti, nec per te nec per tuam submissam personam facias scachum furtum homicidium nec incendium nec plagas nec comprehensionem de personis Martini nec hominibus de sua parte, nec aliquod malum, si Deus.

Martine, perdona Petro per istum fustem omnes causas ca-

(Roth. 365), vel, ut alii dicunt, per pugnam se defendat per capitulum quod est « Quicumque infra treuguam » (Heinr. I, 3); nam, ut quidam dicunt, ita loquitur de servo mortuo, quemadmodum de libero. — § 3. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu fecisti ei plagam in cassum pro revindicanda plaga cassi, unde compositionem accepisti et finem fecisti. — Respondet: Non est verum. — Deinde actor probet, si probare potuerit; si actor non potuerit probare, reus se defendat; quodsi ausus non fuerit se defendere, compositionem, quam accepit, in duplum restituat, et manum pro periurio amittat. — § 4. In hoc quod dicit: « ut in duplum reddat ipsam compositionem », et non posuit differentiam, sive homicidium factum esset se defendendo sive super alium ambulando, affirmatur et rumpitur a lege Liuprandi que est: « Si liber homo se defendendo » (Liutpr. 20). — § 5. Notandum, quod in hac lege intelligendum est de homicidio liberi contra homicidium liberi et de homicidio servi contra homicidium servi et de plaga cassi contra plagam cassi et semper de omnibus similibus contra similia. Quod si ita non intelligeretur, magna iniquitas procederet; veluti, si quis hominem liberum interfecit et compositionem fecit, et qui compositionem acceperit postea pro revendicanda morte liberi servum occiderit, in duplum restituere deberet, quod accepit, et e converso; quod esset magna iniquitas. — Item, si intelligeretur de plaga capsi servi contra plagam capsi liberi, magna esset iniquitas; veluti, si quis servum rusticanum plagaverit intra capsum et compositionem domino eius fecerit, id est tres solidos (Cf. Roth. 111), et ipse dominus, qui compositionem accepit, revindicandi plagam servi sui liberum in capsum plagaverit, quod tantum debeat reddere compositionem de servo in duplum quod accepit, id est solidos 6 et e converso. Item, si intelligeretur de plaga capsi liberi contra plagam liberi ex qua cutica tantum rumpatur, magna iniquitas esset: veluti, si quis hominem liberum in capsum plagaverit et ei composuerit, et ipse qui compositionem accepit causa vindicandi eum pro quo compositionem fecit in caput plagavit, ut cutica tantum rumpatur, quod ipse [deberet componere solidos 40, etiamsi ipse] non debet componere nisi solidos 6, si causa revindicandi non fuisset, et e converso. Intelligendum est igitur Vil. de homicidio servi contra servum, liberi contra liberum et de similibus contra similia. Sunt tamen, qui dicunt, intelligi posse de homicidio servi contra liberum et e converso, et ita de ceteris plagis,

lumpnias querelas et querimonias composituram et sacramenta seu de ceteris causis, quae per ipsum advenerint, quod tu inde permaneas tacitus et contemptus, et Petrus permaneat securus, solutus et indempnis. Qua lege vivis? — Ad legem Longobardam. — Modo te sponde, Martine, ut si unquam in tempore tu aut tui filii vel heredes contra Petrum, vel contra suos heredes de hac re habueritis agere aut causare, aut apparuerit datum aut factum aut scriptum aut securitas, quae in alia parte facta habueritis et clarefacta fuerint: quod composueritis in duplo querimoniam unde agetur, et insuper penam argenti libras 10. Spondes ita? Sic facio. Da ei launechild. Rogatis inde fieri breve? — Rogamus. — Vel ita: seniores iudices, mittite iudicium. — Iuxta vestram professionem et manifestationem Martinus permaneat tacitus et contemptus, et Petrus permaneat securus, solutus et indempnis. — Senior comes, rogatis facere inde noticiam? — Rogo.

Martine, te appellat Petrus, quod ipse interfecit patrem tuum, et fecit tibi compositionem, et ei fecisti perdonationem, et iurasti, et revindicandi causa interfecisti fratrem suum. — Aut: pro plaga, quam tibi fecit in capite, unde tu finem fecisti ei, revindicandi causa fecisti plagam unam in suo capite. — De torto.

---

quia, cum lex ista sit facta ad proficuum illius qui per hanc legem agit, debemus intelligere, quod in electione sua sit, vel agere de duplo per hanc legem, vel de simplo secundum alias leges, si melius sibi visum fuerit. — § 6. Notandum est, istud « excepto » ita intelligi, quod, si quis causa revindicandi plagam homicidium fecerit, quod non ageret per hanc legem, sed per illam que est « In omnibus istis plagis » et cetera (Roth. 74), quod videri potest in hoc quod haec lex dicens: « componat ut supra » respexit « In omnibus istis plagis ». — § 7. In hoc quod dicit: « et pro amputanda inimicitia », notandum est, quod per hanc legem post compositionem homicidii factam finis homicidii sacramento debet confirmari hoc modo: Petre, modo iura, quod post mortem patris tui, unde hanc compositionem accepisti, ut ab hac hora inantea non eris in consilio, neque in facto per te aut personam tibi suppositam, quod inde sit factum furtum aut scacchum homicidium aut incendium captio aut plaga assaltus aut ferita Martino, neque hominibus ex sua parte, si Deus et illa sancta evangelia te adiuvent. Et e converso Martinus propositionem id est sacramentum facit. Petre, modo perdona cum illo fuste, quem tenes in manu, Martino omnes causas querelas calumnias et querimonias compositiones et sacramenta, que usque modo ab illo habuisti ad querendum, hoc ordine, ut ab hac hora inantea tu et tui heredes permaneatis inde taciti et contenti, ipse et sui heredes inde permaneant securi et soluti et indempnes. Dicis ita, Petre? — Dico. — Modo da ei fustes, et tu, Martine, recipe. — Tunc interrogetur Petrus, qua lege vivat? Si dixerit: Longobarda, sic dicatur ei: Petre, modo promitte et sponde te, ut, si unquam tu aut tui filii filieve vel heredes contra eum aut suos heredes de morte patris tui, unde compositiones accepisti, habetis agere aut causare vel per placitum fatigare, per vos aut per vobis subpositas personas, aut si apparuerit ullum datum aut factum aut scriptum aut firmitas, que in aliam partem facta aut data sit, et in omni tempore non permanebitis taciti et contempti: quod vos componatis duplas querimonias, unde vos agatis et insuper penas libras mille. Petre, dicis ita? — Dico. — Sic promitte illi et huic notario da scribendo. Habes launechild? — Habeo. — Modo dic: omnes vos rogo esse testes huius rei. — Domne comes, precipitis vos inde fieri notitiam? — Precipio. — Tunc scribatur notitia sicut in formulario scripta est.

144. De magistros commacinos. Si magister commacinus cum collegantes suos cuiuscumque domum ad restaurandam vel fabricandam super se, placitum finito de mercedes, susceperit, et contigerit aliquem per ipsam domum aut materium elapsum aut lapidem mori, non requiratur a domino, cuius domus fuerit, nisi magister commacinus cum consortibus suis ipsum homicidium aut damnum conponat; quia postquam fabulam firmam de mercedis pro suo lucro suscepit, non inmerito dàmnum sustinet.

145. De rogatos aut conductos magistros. Si quis magistrum commacinum unum aut plures rogaverit aut conduxerit ad opera dictandum aut solatium diurnum prestandum inter servûs suos, domum aut casa sibi facienda, et contegerit per ipsam casam aliquem ex ipsis commacinis mori, non requiratur ab ipso cuius casa est. Nam si cadens arbor aut lapis ex ipsa fabrigam occiderit aliquem extraneum, aut quodlebit damnum fecerit, non repotetur culpa magistris, sed ille qui conduxit, ipse damnum susteneat.

146. De incendio. Si quis casam alienam asto animo, quod est volontarie, incenderit, in treblum restituat ea, quod est sibi tertia, sub extimatione pretii cum omnem intrinsecus, quidquid intus crematus fuerit, que vicini bone fidei homines adpraetiaverint, restauret. Et si aliqua de intrinsecus domui orta fuerit intentio, tunc ille qui damnum pertulit, iuratus dicat, quantum in eadem casa perdidit:

---

146. In hoc quod dicit: « in triplum componat », usu et exemplo huius legis debemus intelligere de omni incendio voluntarie facto, quod debeat componi in triplum. — § 2. In hoc quod dicit: « in triplum eam restauret », affirmatur a lege istius que est: « Si quis casinam » et cetera (Roth. 380), que in hoc quod dicit: « nam si casam, ubi habitaverit, distirpaverit, componat sicut in hoc edicto legitur alatraib, id est sibi tertiam », respexit ad istam. — § 3. In hoc quod lex dicit: « tunc ille qui damnum pertulit iurando dicat quantum in hac casa perdidit », dicebant antiqui iudices ruptam esse a lege istius que est: « Si pro quacumque causa vel culpa » et cetera (Roth. 365), in hoc quod dicit: « liceat ei se idoniare secundum legem et qualitatem cause ». Sed prave dicebant, quia, si eo casu, quo sacramentum est actori datum per hanc, per illam daretur appellato, non posset se idoniare secundum legem, lmo contra legem esset. — § 4. In hoc quod dat sacramentum actori, ideo quia maiorem certitudinem rei habet, exceptio, ubi reo dandum specialiter precipitur esse. — § 5. Hec lex precipit, litigium de mobili in domo exusta determinari [per sacramentum; alii autem dicebant, litigium hodie determinari] per pugnam per legem Liuprandi quae est: « Si quis alium astu compellaverit de pugna » et cetera (Liutpr. 70), que facit pugnam fieri de incendio. Dicentes illam legem precipere pugnam fieri de incendio et faciunt ita appellationem fieri: Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu incenderis domum suam cum tanto mobili, quod valeat solidos 100. — Et ita pugnam faciebant fieri. Sed non est verum, quod ipsa lex (Liutpr. 70) precipiat pugnam fieri de omni incendio, quia de mobili incenso in domo fieri non debet: nam ipsa non aliunde facit pugnam fieri nisi unde solita erat fieri. Et quod de ea pugna loquatur, quae solet fieri vel usu vel lege, videri potest illic, ubi dicitur: « quae solet fieri per pravas personas »; sed de mobili incenso in domo non possumus dicere, quod per usum pugna inde fieri debeat, neque quod per legem retropositam pugna fieri debeat, cum specialiter per hanc legem determinatum est, ut per sacramentum fieri debeat.

omnia, ut dictum est, in treblum ei restituatur ab illo, qui voluntariae huius mali penetravit.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod voluntarie incendisti unam suam casam, quae valebat libras 100, cum tanto mobili, quod valebat libras 50. — De torto. — Vis ei adardire. — Volo. — Wadiate pugnam. — Et si dixerit: incendi ego ipsam casam, sed non valebat tantum, tunc veniant vicini, et estiment. Et si dixerit, quod mobilia non fuerint tanta incensa, si appellator facere pugnam vult, faciat. Et si dixerit: non feci per meam voluntatem, iuret cum suis sacramentalibus secundum quosdam; nam solus secundum valentes iurare debet.

147. De fogum foris novem pedes a fogolarem portatum. Si quis focum super novem pedes a focularem portaverit, et damnum ex ipso focum sibi aut alterius factum fuerit, ipse qui portavit, damnum conponat ferquido, id est similem ideo qua nolens fecit. Et si intra ipsos novem pedes, quod est de focularem damnum facere sibi aut alterius contigerit, non ei reputetur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu portasti focum ultra novem pedes de focolari, et de ipso foco fuit incensa una sua casa, quae valebat solidos 10. Si dixerit: « non portavi », non faciat pugnam, sed iuret. Si dixerit « portavi, sed non fuit incensa tua casa », fiat pugna, si vult qui appellat.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi tanta sua mobilia, quae valebant solidos 20. — Si negaverit, fiat pugna. Si dixerit: « incensa est », tunc ipse qui appellat dicat: « ego te appello, quod tu portasti focum ultra novem pedes de focolari tuo, et ex ipso foco fuit incensa ». Secundum quosdam ita sit haec appellatio; sed secundum valentes est exceptio et replicatio.

148. Si quis focum foris in itenere ficerit, antequam egrediatur,

---

147. In hoc quod ipsa lex dicit: « ipse qui portavit dampnum componat ferquidum id est simile, ideo quia nolendo fecit », usu et exemplo huius legis debemus intelligere, omne incendium, quod fit nolendo, deberi componi ferquidum.

148. In hoc quod dicit: « nam si contigerit ut aliqui noceat focus post viginti quattuor horas vel quod transeat focus ipse super publicam viam aut rivum et damnum fecerit, non requiratur illi qui focum dimisit », dicebant antiqui iudices, ruptam esse a capitulo Lotharii: « Volumus, ut si quaelibet persona in finibus regni nostri ignem in silva convivare ausa fuerit » et cetera (Loth. 81), cum dicit: « aut pro eo, quicquid damni fecerit, emendare cogatur. Si quoque libera persona hoc fecisse comprobata fuerit, penitus emendare cogatur et insuper bannum componat », et non posuit differentiam, aut esset 24 horarum aut non, vel si transisset publicam viam seu rivum vel non. Sed ita salvatur, ut non intelligamus, focum vel ignem ex quo hec lex loquatur in silva esse; et aliter salvatur, ut ipsum capitulum secundum determinationem huius legis intelligamus. — § 2. In hoc quod dicit: « et non neglegenter dimittat », datur intelligendum, quod, si talis persona fuerit qui focum fecerit, ut neglegentiam nesciat recognoscere, quod non debet componi.

extinguat eum et non neclegenter dimittat. Nam si contigerit post egressum ipsius alicui ex ipsum focum damno aut lesione ficerit, ipse qui eum ficerit et neclegenter dimisit, damnum sicut arbitratum fuerit, caput tantum conponat; sic tamen ut post relictum foco, qua ora eum reliquerit, usque ad aliam talem oram diei aut noctis conpotetur, quod sunt oras viginti et quattuor. Nam si contegerit transire ipso focos super publica via aut rivo, damnum si ficerit, non ei requiratur, qui foco demisit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti focum foris in itinere, et laxasti per neglegentiam, et per ipsum focum fuerint incensa tanta sua mobilia, quae valebant solidos 100. — Si dixerit: focum feci ego, sed non dimisi per neglegentiam, iuret cum suis sacramentalibus secundum quosdam, sed solus secundum valentes. — Si dixerit: focum feci et per neglegentiam dimisi, sed non fuerint incensa tua mobilia, tunc fiat pugna. — Si dixerit: focum feci et per neglegentiam laxavi, sed non fuerint incensa tua mobilia, antequam 24 horae, aut antequam transiret focus super publicam viam aut rivum, iuret eum suis sacramentalibus secundum quosdam; sed solus secundum valentes.

149. De molino incenso. Si quis mulinum alterius asto incenderit, id est volumtariae, in treblum eum restituat sub stimationem rei cum omnia, quae intus cremata sunt.

Martine, hoc te appellat Petrus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu incendisti ei asto unum molinum cum tanto de suo mobili, quod valebat 10 solidos. — De torto.

150. De molino capellato. Si quis molinum alterius cappelaverit aut selusa ruperit sine auctoritatem iudicis, componat solidos duodicem illi, cui molinus esse invenitur. Et si iudicem interpellaverit, et iudex dilataverit ipsa causa deliberare, aut licentiam dederit averse parti ipsum molinum evertendi, componat solidos 20 in palatio regis, districtus ab stolesazo.

Martine, hoc te appellat Petrus, quod tu capellasti ei unum

---

150. In hoc quod dicit: « si iudex dilataverit ipsam causam deliberare, aut licentiam dederit adverse parti ipsum molendinum evertendi, componat solidos 20 in palatio regis », rupta est a lege Rachis quae est: « Cognovimus quod per singulas » et cetera (Rach. 6), in hoc quod dicit: « si forsitan adtenderit ad gasindium vel ad parentem aut ad amicum suum vel ad premium et legem non iudicavit, componat widrigild suum et insuper honorem suum amittat ». Et si ad aliquod eorum inde attenderit, componat per hanc legem solidos 20 in palatio regis, et illi qui se reclamaverit solidos 12 per legem Liuprandi que est « Si quis casam habuerit et sculdai » et cetera (Liutpr. 25), in hoc quod dicit: « si iudex eius causam ipsam dilataverit intra 6 dies, et intra eos per legem non iudicaverit, componat illi qui se reclamavit solidos 12 ».

molinum aut rupisti clausuram sine auctoritate iudicis. — De torto; — vel: feci, sed cum auctoritate iudicis. — Ita iuret solus, sed cum 12 secundum quosdam.

Petre comes, te appellat Martinus advocatus de parte publica, quod Paulus se reclamavit tibi de Marcoardo, quod habebat ei capellatum unum molinum, aut quod habebat ruptam unam clausuram, et tu dilatasti ipsam causam deliberare, aut licentiam dedisti adversae parti perpetrandi illud malum. — Non placeat Deo; — vel: reclamavit, sed non dilatavi; — vel: non dedi licentiam. — Et ita iuret.

151. Si quis molinum in terram alienam aedificaverit, et suum probare non potuerit, amittat molinum et omnem operam suam, et ille habeat, cuius terram aut ripam esse invenitur: quia omnes scire debent, quod suum non alienum est.

Petre, te appellat Martinus, quod tu edificasti unum molinum in sua terra. — De torto; — vel: feci, sed mea est. — Et ita probans nichil componat.

152. Si operarius ab alio rogatus in opera mortuus fuerit. Si quis operariûs conduxerit aut rogaverit in opera, et casu faciente contigerit unum ex ipsis aut in aqua mori, aut fulmine percuti, aut a vento arbore movito aut propria morte mori, non requiratur ab eo, qui conduxit, aut rogavit: tantum est, ut per ipsius factum qui conduxit, aut hominibus eius non moriatur. Et si à quocumque unus horum occisus fuerit aut lesus, ipse conponat, qui eum occiserit aut leserit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rogasti aut conduxisti Paulum suum patrem in opera et fuit occisus a te aut ab hominibus tuis. — De torto.

INCIPIT DE FILIIS LEGITIMIS.

153. De gradibus cognationum. Omnis parentilla usque in septimum geniculum nomeretur, ut parens parenti per gradum et paren-

---

151. Cum dicit: « amittat molendinum et omnem operam », usu et exemplo huius legis debemus intelligere de omnibus mala fide aedificantibus, quod aedificium et operam suam omnem perdere debeat. Cum dicit: « ammittat molendinum et omnem operam » ac sic concordat cum lege Romana, quia in principio secundi libri Institutorum legitur: « Omne, quod inaedificatur, solo cedit » Inst. II, 1, 29). — § 2. Sciendum quoque, quod bannum dare debet per capitulum Pipini: « Nullus alteri res suas » et cetera (Pip. 23).

153. Huius legis semper fuit, est et erit inter causidicos contentio. Set hec principaliter inte Bagelardum et Boniflium fuit contentio. Dicebat enim Boniflius, hanc legem tantum loqui de

tillam heres succedat; sic tamen ut ille qui succedere vult, nominatim unicuique nomina parentum autecessorum suorum dicat. Et si intentio fuerit contra curtis regis, tunc ille, qui querit, preveat sacramentum cum legitimûs sagramentales suos; dicat per ordinem: quod parentilla nostra sic fuit, et illi sic nobis fuerunt parentes, quomodo nos dicimus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine ter-

---

masculo. Bagelardus vero, tam de masculo quam de femina: hoc possumus videre bene per hanc litteram, que est: « Omnis parentela usque ad septimum genuculum numeretur, ut parens parenti per gradum et parentelam heres », quod hec lex bene loquitur tam de femina, quam de masculo. Quia « omnis » communis generis est, parentela feminae et femina bene numerari potest usque ad septimum genuculum, quemadmodum vir, et tam, « parens » communis generis est, « per gradum et parentelam » ita succedere potest, quemadmodum vir, « heres » quoque communis generis est, « succedere » potest ut vir. — Bonifilius: licet per supradictam litteram quoquo modo videri potest, quod hec lex de femina et masculo loquitur, tamen in hoc quod legitur ibi: « ille qui succedere vult » ostendit, quod de masculo tantum loquatur. — Bagelardus: licet, « ille » et « qui » sint generis masculini, tamen ita loquitur de femina quam de masculo, quia masculinum genus multotiens contineat in se pondus feminini, quod pluribus potest confirmari exemplis, ut in lege istius que est: « Si quis molinum in terra aliena » (Roth. 151) et cetera, ubi dicit: « ille habeat, cuius terra aut ripa esse invenitur » et in lege retroposita, quae est: « Si homo liber aut mulier venenum temperaverit et alii ad bibendum dederit » et cetera (Roth. 140), ubi dicit: « componat, qui venenum dedit », et ut loquitur in lege Liuprandi que est: « Si qua mulier res suas consentiente » (Liutpr. 22), ubi dicit: « ipse qui emere vult vel illi qui vendunt »; eodem modo intelligendum est de femina emente et vendente. — Notandum est, quod in hoc quod hec lex dicit « suorum antecessorum » et non « suarum antecessatricum », dicebant antiqui causidici, quod non loqueretur nisi de agnatorum successione, id est descendentium et ex masculino sexu. Sed male dicebant. Loquitur enim de descendentibus tam ex sexu feminino, quam ex masculino, quia in quam pluribus locis, ut supra dixi, masculinum genus continet in se pondus feminini. Et hoc videri potest per Lotharii capitulum, quod est: « De precariis quoque » (Loth. 21), ubi dicit: « precipimus, ut nemo successor in statuta pena sui antecessoris sit obligatus »; eodem modo intelligendum est de femina, scilicet: « ut nulla abbatissa sit obligata in pena ipsius abbatisse que antecessit »; vel per capitulum Henrici quod est: « Quicumque ex quacumque natione » (Heinr. I, 1), ubi dicit: « sine filiis eorum amborum »; nam ibi intelligendum est de eorum matre, quemadmodum de patre. — Bonifilius: alia ratione ostendam, quod de masculo tantum loquitur; quia in hoc quod dicit: « tunc ille qui querit prebeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis » ostendit, quod de femina non loquitur, cum femina sacramentum facere non debeat. — Bagelardus: male dicis, quod femina ideo expellatur, quod iurare non potest; quia, licet iurare per se non valeat, tamen iurabit per alium, quia mundoaldus pro ea iurabit. — Bonifilius: male dicis; quia mulier nondum mundoaldum habebat, cum hec lex facta fuit. — Bagelardus: ostendam, quia, cum hec lex facta fuit, mundoaldum habebat per legem retropositam, que est: « Si quis mulieri libere » (Roth. 27), in hoc quod dicit: « aut cui mundium de ea pertinuerit ». Et si ea occasione mulier expelleretur, quod sacramentum facere non possit, eadem ratione expelli posset mutus, surdus, furiosus et infans, pro quibus omnibus, quicumque super aliis rebus iuraverit, de successione iuret similiter. — Bonifilius: licet per litteram huius legis te cogere non possim, quod hec lex non loquatur de masculo et femina, tamen intelligendum est, quod de masculo tantum loquatur; quia, si de femina loqueretur, iam rupta esset ab inferioribus legibus (Roth. 158-160) istius, que sunt: « Si quis dereliquerit filiam legitimam » et alie due statim sequentes, que faciunt filias et sorores succedere cum parentibus longioris gradus et cum curte regia deficientibus parentibus, quod esse non deberet, si hec lex tam de femina quam de masculo locuta esset. — Bagelardus: male dicis; quia, si illa occasione dicere velles, quod de femina hec lex non loqueretur, eadem occasione dicere possumus, quod de masculo non loquatur; quia, si de masculo tantum loqueretur, ut tu dicis, iam rupta esset ab eisdem legibus, que faciunt filias et sorores et filios naturales succedere cum legitimis parentibus, qui secundum te in totum succedere deberent. Sed non est ruptura, immo exceptio, quia, quamvis « Omnis parentela » universaliter de masculo et femina loquatur, tamen fecit hanc exceptionem, quod filie et sorores succederent cum filiis naturalibus et cum paren-

ram, quae iacet in loco tali. — Ipsa terra, de qua tu dicis, mea propria est de parte Dominici parentis mei; et tibi, quid pertinet ad requirendum? — De parte ipsius. — Tunc interroga ipsum qui tenet, quomodo fuit suus parens. — Marcoardus proavus suus fuit consobrinus de proavo meo, et fuerunt in tercio gradu; avus meus et avus illius in quarto; pater meus et pater illius in quinto; ego et ille in sexto. — Interroga similiter illum, qui pulsat. — Avus

---

tibus et deficientibus parentibus cum curte regia. Quia mos legum est, universale preceptum aliquando facere et postea aliquid inde excipere, veluti videri potest in Liuprando, quia prima lex Liuprandi deficientibus filiis filias in totum succedere facit tamquam filios, in quarta autem lege filias et sorores equaliter succedere facit; et ut legitur in capitulo secundi Octonis quod est: « Cotidie contra leges agitur » (Otto. III, cap. unic.), quia ibi legitur: « toto tempore anni liceat iudicibus causas agere », et postea excepit natale Domini et epiphania et cetera. Adhuc ostendam, quod « Omnis parentela » ita loquatur de femina sicut et de masculo, per legem istius que est: « Si pater filiam suam aut frater sororem » (Roth. 181), quia in hoc quod dicit: « et amplius non requirat » ostendit quidem, quod per hanc legem poterat requirere. — Bonifilius: male dicis, quia non ideo dixit: « et amplius non requirat », quod per: « Omnis parentela » requirere posset, sed ideo dixit, quia, si minus daretur ei, quam inferiores leges dicunt quae sunt: « Si quis dereliquerit filiam legitimam » et due statim sequentes, quod requirere posset. Vel aliter: non ideo dixit: « et amplius non requirat », quod per « Omnis parentela » amplius posset requirere, sed solummodo causa tollendi litigium dixit. Unde tale datur exemplum, ut legitur in lege istius quae est: « Si quis de arbore signata » (Roth. 319), ubi dicit: « tollat mel et amplius non requiratur calumpnia », non ideo dixit, ut per legem aliquam posset requiri, sed tantum causa tollendi litigium, scilicet, ne aliquis crederet, quod requiri posset. Et ostendam tibi, quod « Omnis parentela » de masculo tantum loquatur, per primam legem Astulfi que est: « Recolimus in anterioris edicti pagina esse insertum », quia in hoc quod dicit: « nichil de eis amitis ipsum continet edictum » perspicue liquet, « Omnis parentela » de feminis nullum dedisse preceptum, quia « ipsum edictum » pro toto volumine posuit. — Bagelardus: « ipsum edictum » quod in ipsa lege Astulfi scriptum est, non ad totum libri volumen sed ad quandam Liuprandi legem, ex qua initium sumpsit, referri putandum est, quae est: « Si quis Longobardus sororem reliquerit » (Liutpr. 3). Et quod « ipsum edictum » referendum sit ad illam legem, possumus videre per illud idem: « Recolimus » in hoc quod dicit: « si frater decesserit absque filiis filiabus et sorores reliquerit, ipse ei succedere debent », sicut illa lex dicit Liuprandi. — Bonifilius: male dicis, quia, si « ipsum edictum » non ad totum volumen referretur, sed ad Liuprandi legem, se ipsam Astulfi lex redargueret; quia in hoc quod hec lex Astulfi dicit: « quod nichil de eis amitis ipsum continet edictum, nisi aut sorores aut propinqui parentes succedere debent », ostendit, quod « ipsum edictum » referri debet ad talem legem, que sorores aut parentes propinquos succedere facit: sed ipsa lex Liuprandi parentes non facit succedere, nisi sorores tantum. — Bagelardus: male dicis, quia in eadem lege Liuprandi doceri potest, ut parentes ad successionem accedant, quia in ea legitur: « si frater decesserit absque filiis filiabus, sorores succedant », et ibi « filii » pro filiis et parentibus accipiuntur, sicut « parentes » et pro filiis et parentibus accipiuntur aliquando. Quod videri potest per legem Liuprandi que est: « De his qui de illicito matrimonio nati sunt » (Liutpr. 31), ubi dicit: « nisi habeant ipsas res parentes propinqui », quia, nisi ibi « parentes » accipiantur pro filiis, hec iniquitas inde procederet: quod, si quis habet filios de illicito matrimonio et filios legitimos, quod filii legitimi ei non succederent, immo parentes; et veluti in capitulo Lotharii quod est « De oppressione pauperum » (Loth. 68) et cetera, in hoc quod dicit: « ne forte parentes eorum contra iustitiam fiant exhereditati »: et in hoc quoque intelligendum est, « parentes » esse positum pro parentibus et filiis. Rursus ostendam, quod « Omnis parentela » tam bene loquitur de femina quam de masculo, per legem Liuprandi, que est: « Recolimus enim, qualiter iam statuimus » (Liutpr. 144); quia in hoc quod dicit: « modo quia intentio exorta est inter fratres et sorores de nepte, que in capillo mortua est, altercationes ponentes, quis ei succedere debeat » possumus videre, quod « Omnis parentela » ita locuta est de femina, quemadmodum de masculo, quod hec intentio orta sit per « Omnis parentela ». — Bonifilius: male dicis, quia hec intentio non fit per « Omnis parentela », immo per argumentum, quia soror contra fratrem dicebat: frater, ego nepti mee succedere debeo, quia, si ipsa nata non fuisset, ego fratri meo mortuo in totum successissem

meus et avus suus fuerunt fratres, et fuerunt secundo gradu; pater meus et mater sua in tercio; ego et ille in quarto. Et cum fuerit nominata haec parentela, interroga eum qui tenet, si potest probare, quod plus proximus sit; si non potest probare, probet ipse qui appellat. Et si ipse non potuerit, iuret ipse qui appellatus est cum suis sacramentalibus, quod plus proximus sit, et habeat ipsam terram.

Petre, te appellat Martinus, quod pars publica, unde tu es adro-

---

per legem Liuprandi, que est: « Si quis Longobardus sorores reliquerit et vivente eo » (Liutpr. 3) et sicut eius nativitate a successione sum expulsa, ita eius morte revocari volo. Aliter: manifeste datur intelligi amitam per « Omnis parentela » non altercatam fuisse, quia, si hac lege contenderet, medietatem tantum requireret; sed per legem Liuprandi que est: « Recolimus, qualiter iam antea statuimus » patruus et amita, et utraque sibi totum vendicare conabantur. — Bagelardus: re vera amita per « Omnis parentela » altercabatur medietatem successionis requirens; quia per hoc quod lex Liuprandi dicit: « quis ei succedere deberet » non me constringere potes, quod illa altercatio melius esset in toto, quam in parte. — Bonifilius: non potes dicere, quod hec altercatio fieret per « Omnis parentela », quia, si « Omnis parentela » locuta esset tam de masculo quam de femina, ut dicis, iam rupta esset a lege Rotharis, que est « Si quis puellam aut viduam sponsatam » (Roth. 215), que facit mundoaldum succedere, quicumque sit, vel parens vel extraneus. — Bagelardus: etsi « Omnis parentela » a lege mundoaldum succedere iubente rumperetur, adhuc tamen de neptis successione valescebat litigium, et ad litigium istud destruendum lex « Recolimus » excogitata est; et hinc multa possunt dari exempla: in Lothario « De feminis quibus defunctis viris lex Longobardorum prohibet ante anni spatium » (Loth. 70), quod ad destruendam litem excogitatum est, qualis supererat rupta lege edicti que est: « Nulli sit licentia » (Liutpr. 99), viduas ante anni spatium prohibente, per capitulum Caroli quod est: « De feminis que viros ammittunt » (Karol. M. 123); et ut in Lotharii capitulo quod est: « De homicidio, unde lex pro simplicitate probationem trium testium querit » (Loth. 92), quod « querit » ideo positum est, quia Liuprandi lege que est: « Si liber homo se defendendo » (Liutpr. 20) a pluribus rupta capitulis (Ex. gr. Karol. M. 20. Pipin. 10. Lud. P. 3.), lis tamen valescendo supererat. — Contra Bonifilius: ideo quod per litteram huius legis, scilicet « Omnis parentela », et predictas rationes te non cogere possum quin hec lex de utroque sexu loquatur, sed nunc congruentem ostendam rationem, cui minime poteris oppugnare. Modo dic: si, ut tu dicis, « Omnis parentela » de utroque sexu loqueretur, et Longobardus quidam moreretur et amitam vel consobrinam et masculos longioris gradus relinqueret, quomodo succedere deberent? — Bagelardus: amita vel consobrina in totum succedere debent. — Bonifilius: que ratio esset, si amita vel consobrina masculos longioris gradus per « Omnis parentela » excludat, et filie et sorores cum illis ad successionem veniant, etiam cum curte regia, cum ipse melius expellere deberent? Scilicet nulla. Asserendum est igitur, quod « Omnis parentela » de masculo tantum loquatur. Et quia rex in hac lege de nullius mulieris successione locutus fuerit, pietate commotus per leges subsequentes filias tantum ac sorores cum parentibus ad successionem advocat. Hac alia ratione videri potest, « Omnis parentela » de masculorum tantum loqui successione, quia omnes fere leges edicti de successione loquentes de feminarum tantum successione loquuntur, quod non fieret, si « Omnis parentela » de earum successione locuta esset. — § 2. Quamquam universaliter « Omnis parentela » initio resonet, non tamen de servorum stirpe et de solis legitimis eius intelligenda est sententia, quia Institutionum lege: Hoc loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus » legitur: « illud quoque certum est, ad cognationem servilem illam edicti partem non pertinere » (Inst. III, 6, 10). — § 3. Licet in eadem Institutionum lege (I. 1. 12) et in aliis de successionibus legibus habeatur, ut, donec ex paterna linea parentes id est agnati supererunt, ex materna linea venientium cognatorum ad successionem fere nullus accedat, moderno tamen tempore iuxta Novellarum legem (Iulian. nov. 109, § 3 i. f.) cognati in eodem gradu quo agnati positi sunt, eodem modo ad successionem accedunt. Quapropter intelligendum est, « Omnis parentela » cognatos agnatosque pariter ad successionem coniunxisse. — § 4. Si quis Longobardus moriens germanum fratrem aliumque ex una parte reliquerit, quamquam secundum Institutionum (Inst. I. 1. 2) gradum in succedendo sunt equales per « Omnis parentela », tamen germanus tantummodo ad successionem vocatur, quia iuxta Novellarum leges, consanguineo fratre

catus, tenet sibi terram malo ordine in loco tali. — Ipsa terra propria est de parte publica, de parte Dominici; qui fuit mortuus sine heredibus. — Non fuit mortuus sine heredibus, quia ego sum suus heres. Avus meus et avus suus fuerunt consobrini. — Iuret cum suis sacramentalibus, quod ita sit.

Secundum a. ita fit placitum; sed ita esse debet.

Petre, te appellat Martinus, quod terram, quam tenes et possides in tali loco, sua propria est. — Quid tibi pertinet? — Ex here-

seu uterino a successione evulso, germanus tantum aut eius filius iubetur succedere. — § 5. Quicumque parenti succedit, quomodo manentibus rebus defuncti succedit, eodem modo debitis in accipiendo et persolvendo deberet succedere, iuxta quod in octavo libro Codicis legitur: « Manifesti et indubitati iuris est, defuncto creditore multis relictis heredibus actionem quidem personalem inter eos ex lege 12 tabularum dividi, pignus vero in solidum unicuique teneri » (Cod. VIII, 32, 1). « Pro hereditariis partibus heredes onera hereditaria agnoscere etiam in fisci rationibus placuit, nisi intercedat pignus vel ipotheca: tunc enim possessor obligate rei conveniendus est » (Cod. IV, 16, 2). — § 6. Supervacaneum est hanc legem negare de descendenti linea precipisse, eo quod « nominatim dicere unaquaeque nomina parentum antecessorum suorum » precipiat: non enim nominare parentes nisi perlonginquos precipitur. Et Institutionum lege (Inst. III, 6, 1-7), unde precipit nominare, numerus graduum ita potest facile repperiri: si in ascendendo vel descendendo due persone fuerint, veluti pater et filius, vicissim utrique in primo gradu ponendi sunt; si autem tres fuerint, veluti avus et nepos, contra se in secundo gradu ponuntur; et quotcunque fuerint persone, abstracta una de numero, quot erunt persone, tot et gradus. Ex transverso autem venientes persone, si due fuerint persone, veluti duo fratres, duo erunt gradus et quotcunque fuerint personae, tot erunt etiam gradus. — § 7. Quod in hac lege « per gradum et parentelam » scriptum est, ita oportet intelligi: scilicet quod « per gradum », donec aliqua persona in descendendo supererit, nemo alius ad successionem accedat; quibus deficientibus propinquiores gradus superstites succedant. « Per parentelam » autem oportet intelligi, scilicet quod in septimum gradum nulla transit successio. — § 8. Quicumque de libero servus efficitur, etsi in libertatem redeat, ad successionem non vocabitur postea, quod per Institutionum legem que est: « Est autem capitis deminutio » (Inst. I, 16, 6) evidenter exprimitur. — § 9. Hac in lege « querit » pro « vult » esse positum, nemo dubitet, quod in quibusdam aliis locis invenitur similiter, ut in Liuprandi lege que est: « Si quis pro causa sua aliquid iudici dederit » (Liutpr. 95), ubi dicit: « ideoque, qui sine wadia et fideiussore repetere querit », id est repetere vult. Quapropter eodem modo exhibendum est sacramentum, si pars publica tenuerit, vel si parens possederit: quia, si « querit » in sua propria significatione hic acciperetur, iam videretur, quod rex esset in possessione et parentes quererent; et si parentes essent in possessione et rex quereret, iam hec lex nichil inde preciperet. — § 10. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tenes ei terram malo ordine in tali loco. — Respondet: illa terra, de qua tu me appellas, mea propria est iuxta successionem, que michi a Petro devenit, cuius avus abavi mei pater fuit, et ideo in sexto gradu ei succedere debeo. — Respondet ita: terra illa contingit michi ab eodem Petro, cuius proavus [avus] matris mee fuit, et ideo in [quarto] gradu succedere debeo. — Quorum altercantium, subaudis ex latere venientium, ut hic qui propinquioris gradus a iudicibus invenitur, altero depulso, succedat. Sin autem rei veritatem repperire nequiverit, inde licet, ut iuxta morem se propinquiorem esse possessor legitimis testibus approbet; hic si probare nequierit, actor se iuxta modum predictum approbet. Sin autem utrique hac probatione caruerint, possessor iurando, se esse propinquiorem, sibi successionem vindicet. — Ugo: sed dicunt alii, actoris esse probationis electionem. — § 11. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod pars publica, cuius tu es advocatus, tenet res eius omnes, que quondam Petri parentis sui fuerint. — Respondet: partis publice sunt proprie, quia ei a predicto Petro sine herede mortuo pervenerunt. — Respondet: non est verum, quod absque herede obiit, quia eius avus et meus fratres tunc fuerunt in secundo gradu, et si eius avus avo meo fuit in secundo gradu, tunc eius avus patri meo fuit in tertio et michi in quarto; et si eius avus fuit michi in quarto, pater eius fuit michi in quinto, et ipse qui mortuus est, fuit michi in sexto. Succedere igitur debeo. — Super hanc igitur altercationem regiam sacramentum, quod « Omnis parentela » precipit, applicetur. — § 12. Notandum est, quod hec lex de masculo tantum loquatur mortuo et masculo succedente, tam a femina quam a masculo procedente.

ditate ex parte Iohannis. — Iohannes, quid tibi pertinuit? — Hoc: Paulus fuit suus avus et meus; pater meus et pater suus fuerunt fratres; ego et ille fuimus fratres patrueles. — Prebe sacramentum, ut ita sit parentela tua.

Petre, te appellat Martinus, quod terram, quam tenes et possides in tali loco, sua propria est. — Quid tibi pertinet? — Ex hereditate ex parte Iohannis. — Iohannes, quid tibi pertinuit? — Andreas fuit suus attavus et meus. — Tamen non debes eum succedere; nam Stephanus suus fuit avus et meus; Paulus fuit suus pater et meus; et ipse fuit meus frater, et ita sum proximior te. Prebe sacramentum, ut ita sit parentela tua.

Petre, te appellat Iohannes, advocatus ex parte publica, quod terra, quam tenes in tali loco, est rei publicae, cuius est advocatus. — Quid pertinet ad partem illam publicam? — Ex parte Iosephi, qui fuit mortuus sine heredibus. — Non fuit mortuus sine heredibus; nam avus meus et avus suus fuerunt fratres; pater meus et pater suus fuerunt fratres patrueles; ego et ipse fuimus sobrini. — Prebe sacramentum, ut ita sit parentela tua.

Petre, advocate rei publicae, te appellat Timotheus, quod terra, quam pars publica tenet in tali loco, sua est. — Quid pertinet ei? — Ex parte Pauli sui sobrini. — Prebe sacramentum, ut ita sit parentela tua.

Vel ita: quia nemo hereditatem vel bonorum possessionem olim habebat, nisi peteret potestatibus, ideo dixit: « dicat » scilicet potestatibus, quibus petebat; « et si intentio fuerit contra cortem, tunc prebeat sacramentum, quod ita sit sua parentela ».

§ 1. *Si quis Longobardus intestatus moriens reliquerit filium vel filios legitimos* (cf. Liutpr. 1), *ipse vel ipsi in omnem substantiam patris succedant, si in sacris patris et filiifamilias erant; at si unus emancipatus erat et filiusfamilias alter, filiusfamilias tantum succedat: secundum quosdam utrique succedant.* — § 2. *Si vero nepotes tantum vel neptes vel deinceps aliqui ex parte filiorum defunctorum superstites fuerint, similiter succedant.* — § 3. *At* (Grim. 5) *si filium vel filios et nepotes vel neptes vel deinceps aliquem ex parte alterius filii olim defuncti, pro virili porcione vel in stirpes omnes ei succedant.* — § 4. *Quod* (Liutpr. 1) *si filium vel filios et filiam vel filias reliquerit, filii tantum succedant.* — § 5. *Si vero filiam et nepotes vel neptes vel deinceps aliquem ex parte filii defuncti reliquerit, aequaliter succedant; sed ut alii dicunt nepotes vel neptes ex parte filii tantum succedant.* —

§ 6. *Quod si filiam et nepotem vel neptem ex parte filiae olim defunctae reliquerit, filia tantum succedat. Sed ut alii dicunt, aequaliter succedant.* — § 7. *Sed si nepotes vel neptes, vel deinceps aliquis ex parte filii iam defuncti, et nepotes vel neptis vel deinceps aliqui ex parte filiae iam defunctae superstites fuerint, nepotes vel neptis tantum ex parte filii avo suo succedant. Si vero nepotes et neptes, nepotes tantum succedant.* — § 8. *At si tantum filiam vel filias, vel tantum nepotes vel neptes ex parte filiarum dimiserit, ut filii masculini vel descendentes ab illis succedant.*

§ 9. *Sed si filiam et sororem in capillo reliquerit* (Liutpr. 4), *aequaliter succedant. At si sororem et abiaticam ex parte filiae reliquerit, abiatica tantum succedat. Sed ut alii dicunt, aequaliter succedant.* — § 10. *Si vero filiam et sororem non in capillo* (Liutpr. 3), *filia tantum succedat. Si vero nepotes vel neptes tantum aut ex parte filii vel filiae, ipsi succedant.* — § 11. *Sed si filiam et sororem in capillo et nepotes vel neptes ex parte filii, equaliter succedant. Sed, ut alii dicunt, tantum filia et nepotes vel neptes ex parte filii aequaliter vel in stirpes succedant; et, ut alii dicunt, tantum nepotes vel neptes ex parte filii succedant.*

§ 12. *Et ita, ut descendentes semper caeteris preferantur, etsi proximioribus.*

At si ascendentes emancipatus reliquerit, nullo descendentium nec ullo fratre superstile, veluti patrem aut avum vel aliquem superiorum agnatorum, ipsi ei succedant. Sed si matrem quoque reliquerit vel aliquem cognatorum superiorum semper agnati, matre quoque excepta, preferantur cognatis; et si patrem et matrem et non fratrem sed sororem, pater ascendens non his preferatur, mater vero simul non vocetur, sed sola soror. — § 13. *Sed si avum paternum et maternum et fratres vel sorores reliquerit consanguineos, non avus sed soror, non frater, quia sunt eiusdem gradus, aequaliter succedant, etiam materno expulso avo. Ita enim non semper fieri debet, ut plures agnatorum in uno gradu manentium, vel proximior agnatus, nisi quia hac lege excipitur, caeteris preferatur.* — § 14. *Si vero solam matrem vel solos cognatos, nichil habeant, sed curia succedat.* — § 15. *At si in sacris patris est, paene nulla ut servis est successio.*

§ 16. *At si migraverit qui fuit, dum vixit pater, in potestate eius patris, relinquens tantum fratrem et sororem consanguineos, soror fratri preferatur, etiam si superstes fuerit aliquis cognatorum, necnon excepta matre; si vero fratrem consanguineum et*

sororem uterinam, frater sorori excelleat. — § 17. *Si vero sororem consanguineam et in capillo amitam, aequaliter succedant; sed si amita non fuerit in capillo, soror tantum succedat.* — § 18. *At si fratres, alios tantum uterinos, alios tantum consanguineos, aliquos sibi utroque iure coniunctos, tantum consanguinei et utroque iure decorati ceteris preferantur. Sed si fratrem consanguineum et fratrem uterinum, frater consanguineus uterino excelleat.* — § 19. *Si vero fratrem legitimum et fratrem naturalem, legitimus ei succedat.*

§ 20. *Quod si facto testamento quisquis decesserit, et heres non existit, heres, aliquo casu et interim proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus [curia succedat].*

§ 21. *Si autem naturales duo fratres fuerint et legitimus, occiso naturali, tantum legitimus succedat. Si vero duo fratres naturales fuerint, mortuo aliquo eorum, non frater fratri succedat. Si vero soror fuerit tantum, non succedat naturali.*

§ 22. *Si vero aliquis matre superstite et fratre vel sororibus, tantum uterinis, decesserit, omnes succedant. Secundum quosdam non, sed curia succedat; quod est melius.* — § 23. *Et in omni ordine, scilicet ascendentium et descendentium et ex latere venientium, semper agnatus preferatur, nisi excipiatur. Si vero nullus agnatorum fuerit, tunc proximior cognatus veniat. Secundum quosdam nullus is, sed curia succedat.*

§ 24. *In muliebri quidem sexu talis teneatur observatio. Si quidem mulier in capillo mortua fuerit* (Liutpr. 14), *quae parentibus utrisque vel uni successit, et sorores vel in capillo vel nuptui traditas consanguineas vel utrasque habuerit, ipse eius bona percipiant. Si vero parentibus non successerit et fratrem consanguineum et sorores dimiserit, frater tantum succedat, quia mundoaldus est.* — § 25. *Si vero filia fuerit patris nichil habentis (quia habuit posse ut eum succederet) et post eius mortem aliquid ei aliquo modo evenerit, et fratres et sorores reliquerit, quamvis patri et matri non successerit pro paupertate, tamen sorores ei succedant.* — § 26. *Sed si sorores aliae in capillo aliae nuptui traditae fratri successerint, et aliqua in capillo postea mortua fuerit, mundoaldus ei succedat; quod si sorores non habuerit, similiter mundoaldus succedat.*

§ 27. *De vidua quidem ita: si mortua quidem fuerit absque filiis legitimis et filias reliquerit, ipse ei succedant. Si vero filium et*

solum abiaticum vel solam abiaticam ex parte filii, aequaliter succedant. Sed ut alii, solus filius. Si vero filiam solam et abiaticam vel abiaticum solum ex parte filii, aequaliter succedant. Sed ut alii, filia tantum succedat, et ut alii, solus abiaticus vel sola abiatica succedat. Si vero filium et abiaticum vel abiaticam ex parte filiae, solus filius succedat. Si vero filiam et solam abiaticam vel solum abiaticum ex parte filiae, filia tantum succedat. Sed ut alii, aequaliter succedant.

§ 28. *Sed nuptae legaliter vir suus fiat heres vel, ut quidam dicunt, mundoaldus qui est vel futurus est.*

§ 29. *His omnibus defunctis vel vivis successionem nolentibus, ut quidam dicunt, ex parte publica successio capiatur.*

154. De filiûs legetimûs et naturalis. Si quis dereliquerit filium legitimum unum, quod est fulborn, et filiûs naturalis unum aut plures, filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturalis tertiam. Si duo fuerint legitimi, habeant naturales quintam partem, quanticumque fuerent; si tres fuerent legitimi, habeant naturales septimam partem; si quattuor fuerent legetimi, habeant naturales nonam partem: si quinque fuerent legetimi, habeant naturales undecimam partem; si sex fuerent legitimi, habeant naturales tertiam decimam partem; si septem fuerint legitimi, habeant naturales quintam decimam partem; si autem plures fuerint, per hoc numero dividant patris substantia.

155. Nulli sit licentia, naturales filiûs aequales aut consemelis facere legetimis filiis, nisi si filii legetimi post completam legetimam aetatem patri consenserint. Legitima aetas est, postquam filii duodicem annûs habuerint.

Petre, te appellat Martinus, quod tenes ei terram malo ordine in loco tali. — Ecce cartam, qua pater tuus et meus fecit me consimilem tibi te consentiente.

156. De filio naturale, qui de ancilla alterius natus fuerit, si pater

---

155. Naturales filii sunt, qui ex concubina nati sunt, quae ad modum uxoris tenetur (Cf. Iulian. nov. 82, 12. Cod. V, 7, 6). — 2. « Equales » intelligendum est in portione, « consimiles » in honore, scilicet ut legitimi heredes fiant. — § 3. In hoc quod dicit: « legitima etas est, postquam filii legitimi 12 annos habuerint », dicebant antiqui iudices, ruptam esse a lege Liuprandi que est: « Hoc prospeximus » (Liutpr. 19) in hoc quod dicit: « ut intra 18 annos non sit legitimus homo ad alienandum res suas ». Sed male dicebant, quia in hac lege debemus intelligere vivente patre, in ipsa vero mortuo; et quod in ipsa lege mortuus esset pater, potest videri in hoc quod dicit: « excepto si pater eius debitum dimiserit ». — § 4. Duodecim annorum etas non solum est legitimis filiis ad hoc faciendum legitima, verum etiam ad cetera que cum consensu patris debuerant facere: in quo a Romani filiis distant, quibus nonnisi quartodecimo anno expleto licitum est hoc facere, velut Institutionum lege legitur, que est « Omnis res que dominio nostro subicitur »: « si quis in potestate patris est impubes, nec auctore quidem patre obligatur » (Inst. III, 19, 10).

conparaverit eum, et liberum thingaverit, libertas illi permaneat. Et si non libertaverit eum, sit servus, cuius et mater ancilla. Nam si eum conparaverit, et aliquid de res ei per legem thingaverit, habeat ipsa res.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es servus suus. — Liber sum: ecce cartam, qua Donatus, pater meus, me emit de te, et dimisit me liberum. — Falsa est.

157. De eo qui de filio naturale generatus fuerit, quod est threus, heres non fiat, nisi ei thingatum fuerit per legem; et si thingatus non fuerit aliquit de res, tamen libertas illi permaneat.

158. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam et filium naturalem unum aut plures, et alios parentes proximos aut heredis, aequaliter dividant substantiam defuncti, id est in tres partes: filia legitima accipiat uncias quattuor, quod est tertia pars; naturalis filii uncias quattuor, quod est tertia pars, et parentis proximi aut heredis uncias quattuor, id est tertia pars. Et si parentes proximi non fuerint, tunc curtis regia suscipiat ipsas quattuor uncias.

159. Si quis dereliquerit filias legitimas duas aut pluris, et filiûs naturalis unum aut plures, et alios parentes proximos ut supra, illas filias tollant uncias sex, quod est medietas; naturalis filii uncias quattuor, quod est tertia pars; et parentes legitimi uncias duas, quod est sexta pars; et si parentes non fuerint, curtis regia ipsas duas uncias suscipiat.

160. Si quis dereliquerit filias legitimas unam aut plures, et sorores legitimas unam aut plures, et filiûs naturalis unum aut plures, tollant filiae et sorores inter se aequaliter dividendum uncias sex, quod est medietas, naturalis filii uncias quattuor, quod est tertia pars, et duas uncias parentes legitimi, aut curtis regia, si parentes legitimi non fuerint, quod est sexta pars. Pro mundio autem superscriptarum tollant naturales filii tertiam partem, et heredes legitimi aut curtis regia partes duas.

161. De mundio inter legitimos et naturales. Si fuerint filii le-

---

157. Naturalis filius, de quo in hac lege scriptum est, libertus erat; ideoque in hoc quod dicit: « heres non fiat », a quadam Rotharis lege (Roth. 225) rupta est, que dicit: « si filios reliquerit, sint heredes ». Salvatur tamen hoc modo, scilicet quod hec non loquatur de hereditate patris, immo de hereditate avi, quia avus liberaverat patrem istius, qui hac lege heres esse prohibetur.

161. In hoc quod dicit: « pro mundio earum tollant legitimi filii partes duas, naturales vero partem tertiam », dat intelligere, quod mundium unde per successionem, quia mundium ad modum hereditatis inter illos dividitur; et dat intelligere, quod filia naturalis ita est in mundio patris sicut legitima, quia si in mundio patris non esset, non veniret in eorum mundio, cum ipsi alio modo ad eorum mundium venire non possint, nisi per patrem. Unde a lege Romana dissentit, que

gitimi et filii naturales et sorores tam legitimas quam naturales, pro mundio earum tollant legitimi filii partes duas, naturales vero partem tertiam.

162. Si fuerint filii legitimi et naturales duo aut plures, et contegerit casus, ut unus ex naturales occisus fuerit, tollant legitimi fratres pro conpositione illius partes duas, naturalis vero qui remanserint, partem tertiam. Facultatem vero illius mortui ad legetimos fratres revertatur, nam non ad naturalis. Ideo ita previdemus proper faida posponenda, id est inimicitia pacificanda.

163. Si quis in mortem parentis sui insidiatus fuerit, id est si frater in mortem fratris sui, aut barbanis, quod est patruus, seu consubrini insidiatus aut consiliatur fuerit, et ille cui insidiatur, filiûs non dereliquerit, non sit illi heredes cuius de anima tractavit, nisi alii parentes proximi; et si parentis aliûs proximûs aut legitimûs non habuerit, tunc illi curtis regia succedat. De anima autem illius homicidae sit in potestatem regis iudicare quod illi placuerit; res vero quas humicida reliquerit, parentes proximi et legetimi habeant; et si parentis non habuerit, tunc res ipsius curti regiae socientur.

---

non facit filias esse in potestate patris nisi legitimas (Inst. I, 9, pr. I, 10, 12). — § 2. In hoc quod dicit « naturales tertiam tollant » rupta est a lege Liuprandi que est. « Si quis Longobardus sine filiis » (Liutpr. 1), quia in hoc quod ipsa lex naturales filios a successione expellit, cum eis mundium non competat nisi per successionem, removet etiam eos a mundio.

162. In eo quod naturales filios tertiam partem compositionis habere insinuat, a Liuprandi legibus (Liutpr. 13. 20) rumpitur, id est: « Si quis Longobardus ab aliquo homine » et: « Si liber homo se defendendo », in quibus, qui esse possunt vel sunt heredes, compositionem totam accipere iubentur. — § 2. « Revertatur » pro « deveniat » ponitur, sicut in Lotharii capitulo quod est: « Ut si cuiuscumque servus » (Loth. 75) in hoc quod dicit: « et in servitium domini illius cuius servus fuerit ambo revertantur », id est deveniant.

163. In eo quod hec lex fratricide bona propinquiori parenti velut filio devenire iubet, a Liuprandi lege rumpitur que est: « Si frater fratrem suum » (Liutpr. 17), quoniam homicide fratris bonis fratrem vel occisi filium facit succedere. Que utreque leges in partem corrumpuntur ab Henrici capitulo quod est: « Quicumque propter cupiditatem » (Heinr. I, 2) in hoc quo dicit: « hereditas interfectoris in fiscum redigatur ». Sed ita salvari videntur, ut intelligatur, has duas non loqui de homicidio propter cupiditatem facto sed per insidias. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « de anima autem illius homicide sit in potestate regis iudicandi quod illi placuerit », affirmatur ab eadem lege Liuprandi que est: « Si frater fratrem » in hoc quod dicit: « de anima autem sit in potestate regis, sicut in anteriore edicto legitur »; et hec et illa rupte sunt a capitulo Henrici quod est: « Quicumque propter cupiditatem » in hoc quod dicit: « ordinante vero episcopo ipse publice subdetur penitentie ». — Ugo: Sed ita salvatur, ut intelligamus, in his duabus homicidium non esse factum propter cupiditatem, immo per insidias; et si fuerit per cupiditatem, per capitulum Henrici: « Quicumque propter cupiditatem », et si per insidias, leges per duas iudicetur a rege. Sed secundum Henrici capitulum, quod est: « Quicumque propter », precipit scilicet, ut agat publicam penitentiam, quia per hoc capitulum homicida est in potestate regis, et per illud Henrici potestas est determinata. — § 3. Si quis homicide huius filium ob patris homicidii obiectionem ab occisi rebus seiungere nititur, videtur esse a rationis tramite devius: quia, si quis ob meritam noxam in servitutem redactus fuerit, ipso a successionis gradu depulso, filii eius legitimi mortuis succedent parentibus, quia, cum media persona quoquo modo removetur, posterior que longinqua erat fit propinquior.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti per insidias Albertum suum fratrem et tuum. — De torto.

164. Si quis de alio dixerit, quod de adulterio natus sit. Si quis ex parentibus, id est barbas, quod est patruus, aut quicumque ex proximis dixerit de nipote suo aut consubrino doloso animo, quod de adulterio natus sit, nam non de certo patre; tunc ille cui crimen mittitur, quaerat sibi liberos sacramentales, et praebeat sacramentum quod filius legetimus sit et per lege res ipsas ad eum pertineat, nec alteri eam per legem dimittere debeat; si hoc fecerit, habeat et fruatur, quia grave et impium videtur esse, ut talis causa sub uno scuto per pugnam dimittatur.

Petre, te appellat Martinus, tuus barbanus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est de parte patris mei Alberti. — Non debes eum succedere, quia de adulterio natus es. — Iuret cum suis sacramentalibus, sicut lex dicit.

165. Si quis dixerit de uxorem alienam, quod mundius ad ipsum pertineat, nam non ad maritum, tunc ille qui eam habet uxorem, preveat sacramentum cum legitimos sacramentales suos duodicem, quod de certo domino mundium ipsius fecisset, et non eum alteri per legem dimittere debeat; si hoc fecerit, habeat et fruatur. Quia iniustum videtur esse, ut tam grandis causa sub uno scuto per pugna dimittatur.

Petre, te appellat Martinus, quod mundium de uxore tua sibi pertinet, non tibi.

166. De suspitionem in maritum quod oxorem suam occidissit.

---

164. In hoc quod dicit: « querat sibi liberos sacramentales » rumpitur a lege Rotharis quae est: « Si qualiscumque causa » (Roth. 359), quia ille qui pulsat per illam legem sacramentales nominare precipitur, sed per hanc dicitur, quod appellatus quereret sacramentales liberos quos vellet. Contra quod sic obicitur: si actor, ut dicis, per ipsam adversario suo sacramentales nominaret, cum lex ipsa legitimos parentes nominare precipit, tunc adversarium legitimum esse, legitimos eius parentes nominando, confirmaret. Que obiectio non valet, quia nichil nocet nominare actori parentes. Tandiu enim habendum est pro legitimo, quandiu esse probatum non fuerit; veluti si quis de servitute appellatus fuerit, tandiu habetur pro libero, quandiu servus esse probetur. — Ugo: Salvatur sic: per utramque legem eundum est; per illam nominabuntur parentes, per hanc vero ipse quinque, qui appellatus est, nominat sibique querit. — § 2. Hec lex tantum habet, si de nepote patruus aut de consobrino consobrinus dixerit: tamen, si alius de alio parente hoc idem dixerit, ex eiusdem legis exemplo et usu dignum est diffiniri similiter.

165. In hoc quod hec lex dicit, potsquam mulier manu traditur, de mundio litigium fieri, fefellit eos, qui sola manu traditione mulieres in virorum mundium accedere asserunt. — § 2. Secundum Wilielmum in hoc tantum est intentio de mundio mulieris illa vivente; secundum Elc. (Gualc. ?) est intentio tantum de successione mulieris, quam maritus dicebat esse mortuam in suo mundio. — § 3. In hoc quod dicit: « prebeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis duodecim » notari potest, quod mundium ingenue est 20 solidorum.

166. Huic legi quedam Rotharis lex congruit que est: « Si maritus uxorem suam » (Roth. 200), quia illa compositionem, hec sacramentum precipit. — § 2. Quamquam modernus usus hoc habeat tantum, iuxta hanc legem, cuius iussu perpetrabitur homicidium, homicida videtur.

Si suspectio fuerit, quod maritus uxorem suam occidisset, ita decernimus, ut purificet se maritus cum sacramentales suos legitimos, quod mixtus in morte ipsius mulieris non fuissit, nec per se, nec per subposita persona, et sit exsolutus ab hoc crimen. Quia absordum et inpossibile videtur esse, ut talis causa sub uno scuto per pugnam dimittatur.

Petre, te appellat Martinus, quod habet suspectionem, quod tu occidisti Mariam suam filiam et tuam mulierem immerentem. — De torto; — vel: occidi, sed non immerentem. — Iuret.

167. De fratres, qui in casam cummunem remanserent. Si fratres post mortem patris in casa commune remanserint, et unus ex ipsis in obsequium regis aut iudicis aliquas res adquesiverit, habeat sibi in antea absque portionem fratrum; et qui foras in exercitum aliquit adquisiverit, commune sit fratribus quod in casa commune dimiserit. Et si quis in suprascriptis fratribus gairethinx fecerit, habeat in antea cui factum fuerit. Et qui ex ipsis uxorem duxerit, et de rebus communes meta data fuerit; quando alteri idem oxorem tollere contegerit, aut quando ad divisionem faciendam uenerit, simili modo de cumunes rebus ei refundatur aliut tantum, quantum frater in meta dedit. De paterna autem vel materna substantia quod relicum fuerit, inter se aequaliter dividant.

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod ipse remansit tecum in casa communi post mortem sui patris et tui, et tu adquisisti in exercitu tanta mobilia, quae valebant solidos 10. — De torto.

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsam terram ego adquisivi in servitio regis aut iudicis, aut michi donata fuit. — Aut probet per scriptum aut per testes, aut det partem ad suum fratrem.

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod ipse remansit tecum in casa communi post mortem sui patris et tui, et, quando tu duxisti uxorem, dedisti in metam de communibus rebus 100

---

167. In hoc quod dicit: « si quis foris in exercitu », notari potest: quicquid causa communis rei adquisitum est, aeque commune est in omnibus quibus res communis est. — § 2. In hac lege legitur: « si quis in suprascriptis fratribus garathins fecerit »; non est intelligendum, ut haec donatio sit facta in hoste, quia omne, quod frater in hoste conquisiverit, commune debet esse fratribus, qui in casa communi remanserint per hanc legem. — § 3. In hac lege legitur: « si quis ex ipsis uxorem duxerit, et de rebus communibus meta data fuerit », inferius dicit: « ei refundatur aliud tantum, quantum frater eius in meta dedit »: ideoque notari potest, quod usu et exemplo huius legis frater debet restituere fratri, quicquid de communibus rebus dispenderit: quod etiam affirmatur a lege Romana (Cf. Cod. III, 36, 19. Inst. III, 27, 3).

solidos; *modo vult se a te dividere*, *et vult de communibus rebus tollere solidos 100.*

168. De exhereditatione filiorum. Nulli liceat sine certas culpas filium suum exhereditare, nec quod ei per legem debetur, alii thingare.

169. De iustas culpas. Iustas autem culpas exhereditandi filium has esse dicimus: si filius contra animam aut sanguinem patris insidiatus aut consiliator fuerit, aut si patrem percusserit volontariae, aut si cum matrinia sua, id est noberca, peccaverit, iuste a patre exhereditetur.

Petre, *te appellat Martinus*, *quod tu tenes sibi terram in tali loco malo ordine. — Ipsa terra mea propria est; ecce carta*, *quam pater tuus michi dedit. — Si manifestat de venditione*, *aut dicat falsam aut taceat. Si manifestat de donatione*, *dicat: contra legem est ipsa carta*, *quod pater meus non potuit me dehereditare. — Sic potuit*, *quod tu insidiatus es animae suae*, *aut cogitasti de anima sua*, *aut percussisti patrem tuum voluntarie*, *aut voluisti peccare cum matrinia tua*, *et peccasti. — Approbet ingratitudinem ille qui habet cartam*, *aut taceat per Novellam.* (Julian. Nov. 107, 4).

170. Item sicut nec patribus licitum est filium suum sine iusta

---

169. Filius tantum legitimus: quia, ubicumque lex Longobarda vult de naturali filio loqui, specialiter inde loquitur; et alia ratione videri potest, quod hec lex tantum de filio legitimo loquatur, quia in hoc quod dicit: « Si cum matrinia sua id est noverca peccaverit » ostendit, quod hic filius erat legitimus, quia nisi esset legitimus, non vocarětur eius noverca. Aliter videri potest per legem subsequentem: « Item sicut nec patri licitum est » (Roth. 170), in hoc quod dicit: « ita nec filio liceat vivo patre res suas thingare »; sed filius naturalis bene alienare potest vivo patre absque eius consensu, quia non est in potestate patris. — § 2. In hoc quod dicit: « nec quod debetur per legem, alii thingare », respexit in Novellam (Iulian. nov. 34, 1), que dicit, quod pater filio debet tertiam partem rerum suarum, si unus sit tantum, sive duo sive tres, quattuor; si plures, medietatem. Secundum vero Ugonem respexit Rotharis legem iuxta « Omnis parentela » positam, que est: « Si quis dereliquerit unum qui est fulborans » (Roth. 154). Sed hodie per legem Liuprandi deberetur filio medietas, si unus fuerit tantum, si duo fuerint, due partes, si plures fuerint, per hunc numerum computetur, ut pater pro uno filio habeatur, que est: « Si quis Longobardus voluerit filiis suis » (Liutpr. 112). — § 3 Notandum est, quod usu et exemplo harum culparum in hac lege positarum intelligendum de maioribus culpis vel consimilibus. — § 4. Si pater filium exhereditaverit et ingratitudo in carta scripta non fuerit, inutiliter testabitur; si autem scripta fuerit, ipse qui accepit hereditatem aut probet ingratitudinem veram esse aut ipsam perdat. Et hoc possumus videre in lege posita in secundo libro Novellarum que sic incipit: « Sive igitur omnes predictas causas, sive unam ex his parentes in suo scripserint testamento et suos filios exhereditaverint » (Iul. nov. 107, 4). — § 5. Si pater dederit omnes res suas per imaginariam venditionem causa exhereditandi filium, ut filius falsam cartulam dicat, aut taceat; et bene cartulam falsam clamare potest.

170. Non est intelligendum, quod hec lex interdiceret, filium exhereditare cum voluntate patris, quia, sicut hec exhereditatio erat absque eius voluntate, filii, sic et ista alienatio erat absque voluntate patris, quod satis hec lex declarat in hoc quod dicit: « Item sicut nec patri licitum est ». Et etiamsi hec lex interdiceret, rupta esset a lege Liuprandi que est: « Si quis cum pertinente » (Liutpr. 86); quia illic datur intelligi, quod cum notitia domini, patris, aliquis cum pertinente, cum filio alieno, convenire possit. — § 2. Si filius alicuius hominis filios vel filias habuerit, satis

causa aut culpa exhereditare, ita neç filiûs leceat vivo patre cuicumque res suas thingare aut per quodlebet titulum alienare, nisi forte filiûs aut filias legitimas, aut filiûs naturalis reliquerit, ut ipsis secundum legem suam conservet.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram in tali loco malo ordine. — Mea propria est ipsa terra; ecce cartam, quam fecit michi Marcoardus tuus filius. — Contra legem est ipsa carta, quod non potuit tibi vendere ea, quia erat in mea potestate. — Tu habebas eum emancipatum de tua potestate. — Non est verum. — Probet ipse, secundum quosdam, qui habet cartam, quod ita sit, aut perdat. — Aut: fecisti ei talem ingratitudinem.

171. Si quis se disperaverit aut propter senectutem aut propter aliquam infirmitatem corporis, filiûs non possit habere, et res suas alii thingaverit, posteaque eum contegerit filiûs legitimûs procreare: omne thinx quod est donatio, quod prius fecerat, rumpatur, et filii legitimi unus aut plures, qui postea nati fuerint, heredes in omnibus patri succedant. Si autem filias legitimas una aut plures, seu filios naturales unum aut plures post thinx factum habuerit, habeant et ipsi legem suam, sicut supra constitutum est, tamquam si nihil alii thingatum fuisset. Et ille cui thingatum est, tantum habeat, quantum alii parentes proximi debuerunt habere aut curtis regia suscipere, si alii thingatum non fuisset.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Pater tuus donavit michi ipsam terram: ecce cartam. — Pater meus disperavit, se habere filios propter infirmitatem vel propter senectutem, et post procreavit me de legitimo coniugio. — Vere procreavit te, sed non de legitimo coniugio. — Et ita approbet; si non potuerit, tunc fiat, si masculus est qui ap-

---

his potest dare suam liberam absque voluntate patris per hanc legem; quia in hoc quod dicit: « ut ipsis secundum legem conservet », concedit etiam, illis dari; et nullam penam inde dabit, ideo quia se obligare non valuit. — § 3. Si pater res suas filio vendiderit et si filius absque voluntate eius patris res ipsas tradiderit, vacua erit traditio, quamvis cartula dicat: « et faciat ipse exinde a presenti die, quicquid voluerit »; ideo quia sine notitia patris facta fuit.

171. In hoc quod dicit: « ut ille qui habet cartam donationis tantum habeat, quantum alii parentes debuerant habere », id est tertiam partem tantum, rupta est in parte a lege Liuprandi que est: « De eo qui filiam in capillo » (Liutpr. 64); in hoc quod dicit: « quia qui thinx facit, et postea nascitur ei filia, in tertia parte ipsum thinx rumpitur » ostendit, quia due partes thingationis deberent valere illi cui thinx facta fuit; et hoc quod dicit: « si due filie aut amplius fuerint, in medietate thinx rumpitur », ostendit, quia alia medietas valere debet. Ugo: Salvatur ita tamen, ut non sit ruptura, immo addicio. — § 2. Ugo: De filiis naturalibus rupta est hec eadem a lege Liuprandi, quia in hoc quod dicit ..... ostendit, quod illi cui thingatio facta est, due partes thingationis deberent valere, et filia tertiam debet habere. Vel, ut alii dicunt, rupta est a lege Liuprandi quae est: « Si quiscumque Longobardus sine filiis legitimis » (Liutpr. 1), que omnino filios naturales ab hereditate patris separat.

pellat, rupta tota carta, si femina est, qui appellat in predicta porcione fiat rupta secundum quosdam. — Sed tota similiter est vacua.

172. De thinx quod est donatio. Si quis res suas alii thingare voluerit, non absconse, sed ante liberos homines ipsum garethinx faciat, quatinus qui thingat et qui gisel fuerit, liberi sint, ut nulla in posterum oriatur intentio.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes ei terram malo ordine in tali loco. — Ecce cartam, quam tu michi fecisti. — Contra legem est ipsa carta, quod non fuerint testes liberi.

173. Si quis res suas alii thingaverit, et dixerit in ipso thinx lidinlaib, id est, quod in die obitus sui reliquerit: non dispergat res ipsas postea doloso animo, nisi fruatur eas cum ratione. Et si tales ei evenerit necessitas, ut terra cum mancipia aut sine mancipia vindere aut locum pigneris ponere debeat, dicat prius illi, cui thingavit: « Ecce vedis, quia necessitate compulsus res istas vado dare; si tibi vedetur, subveni mihi et res istas conservo in tuam proprietatem ». Tunc si noluerit subvenire, quod alii dederit, sit illi stabilem et firmum, qui acceperit.

174. De thinx primus factum. Non leciat donatori ipsum thinx,

---

172. In hoc quod dicit: « non absconse sed ante liberos homines », queritur, si postea servus apparuerit, quid inde debeat esse? Unde lex Longobarda nichil diffinit; eundum igitur per legem Romanam generalem, ut legitur in secundo libro Institutionum que est: « Testamentum ex eo appellatur quod sit testatio mentis », in hoc quod inferius dicit (Inst. II, 10, 7): si testis liber existimabitur, quando testamentum traderetur, et postea servus apparuerit, sic valeat testamentum, veluti si liber esset.

173. In hoc quod dicit: « si noluerit ei subvenire, quod alii dederit sit illi stabile et firmum qui accepit », rupta est a capitulo Caroli quod est: « Si quis Longobardus statum humanae fragilitatis precogitans » (Karol. M. 78), quia illic legitur: « non reservet sibi potestatem eandem rem vendendi aut alienandi, sicut antea fieri solebat », sed postquam de rebus suis unam traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam potestatem habeat ».

174. In hoc quod hec lex ostendit, donatum posse revocari per hoc quod dicit: « tantum ut ille qui gayrethinx susceperit tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere, per quas exhereditantur », dicebant antiqui iudices, ruptam esse a capitulo Caroli quod est: « Si quis Longobardus » (Karol. M. 78.) in hoc quod dicit: « sed postquam unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem ». Sed non rumpitur, quia nos debemus intelligere, quod ipsa lex loquatur de corporali traditione. Nam in hoc quod dicit: « usque in tempus diffinitum possidendi sit concessa facultas », ostendit, quod quando donavit fecit ei corporalem traditionem, id est misit eum in possessionem. Sed hec lex non loquitur de corporali, quod videri potest in hoc quod dicit: « in die obitus sui habeat licentiam, in suum dominium recolligere », et ostendit, quod donator non miserat eum in possessionem. — § 2. Et rursus dicebant, ruptam esse a lege Liuprandi que est: « Donatio, quae sine launechild aut sine thingatione facta est, minime stare debeat » (Liutpr. 72); in hoc ostendi, quod, si launechild fuerit inde factum, licet donatori ingratitudines faceret, quod non debeat revocari. Sed ita salvatur, quod ipsa lex Liuprandi de corporali traditione tantum loquatur; quod videri potest per ipsam legem, quia in hoc quod ipsa lex dicit: « et si ille superstes fuerit, qui ipsam donationem sine launechild dedit, possit eam ad se recolligere », ostendit, quod, quando donavit, corporalem donationem ei fecit. Sed hec lex non loquitur de corporali traditione, quod potest videri ut superius ostendimus. Aliter salvatur, quia de hac donatione non erat factum launechild.

quod antea fecit, iterum in alium hominem trasmigrare: tantum est, ut ille qui garethinx susceperit, tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere, per quas exhereditantur, quae in hoc edictum (cap. 169) scriptae sunt. Ipse autem qui garethinx susceperit ab alio, quidquid reliquerit donator in diem obitus sui, habeat licentiam in suum dominium recollegere, et debitum creditoribus reddere et ab aliis exegere: et quod in fiduciae nexum positum est, reddat debitum et requirat rem in fiduciae nexu posita.

175. De launigild. Si quis rem suam cuicumque donaverit, et postea qui donavit, launigild requisiverit, tunc ille qui accepit aut heredes eius, si ausus non fuerit iurare, quod conpositum sit, reddat ei ferquido, id est similem, quales in illa diae fuit, quando donatum est: et si iuraverit, sit exsolutus.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse donavit tibi tantum de suo mobili, quod valebat solidos 20, et requirit tibi launechild. — De torto. — vel: donavit, sed launechild ei feci. — Et ita iuret.

176. De lebroso. Si quis leprosus effectus fuerit, et cognitum fuerit iudici vel populo certa rei veritas, et expulsus foris a civitate aut casam suam, ita ut solus inhabitet, non sit ei licentia res suas alienare aut thingare cuilibet personae. Quia in eadem diae, quando a domo expulsus est, tamquam mortuus habetur. Tamen dum advixerit, de rebus quas reliquerit, pro mercedis intuitu nutriatur.

177. De homine libero ut liceat eum migrare. Si quis liber homo potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua megrare ubi voluerit — sic tamen si ei a rege data fuerit licentia —, et si aliquas res ei dux aut quicumque liber homo donavit, et cum eo noluerit permanere, vel cum heredes ipsius: res ad donatorem vel heredes eius revertantur.

178. De sponsalibus et nuptiis. Si quis sponsaverit puellam liberam

---

175. Lex Liuprandi que precipit: « De donatione que sine launechil est » (Liutpr. 72.) affirmat istam, tantum ad hanc legem adiungit, ut, si donatio permanserit, ille, qui eam sine launechild dederit, aut heres eius, possit eam ad se recolligere.

176. In hoc quod dicit: « non sit ei licentia res suas alienare aut thingare » rupta est a lege Liuprandi, que est: « Si quis Longobardus, ut habet casus humanae fragilitatis » (Liutpr. 6), in hoc quod dicit: « potestatem habeat, dum vivit et recte loqui potest, pro anima sua iudicandi de rebus, quomodo voluerit ». Sed ita salvatur, ut lex Liuprandi de alia infirmitate loquatur, quod potest notari per hoc quod dicit: « quamquam in lectulo iaceat », quia sepius contingit, leprosum pro ipsa infirmitate non in lectulo iacere. — Aliter servatur, ut illud quod dicit: « potestatem habeat pro anima sua iudicandi de rebus suis qualiter voluerit » intelligendum sit secundum legem, quia, si non ita intelligeretur, non solum rupta esset illa, sed etiam quam plures alie, veluti: « Nulli liceat sine certa culpa » (Roth. 168).

178. Martine, hoc dicit Iohannes, quod tu per biennium fuisti negligens ducere in coniugium Rebeccam desponsatam tibi et a se, mundoaldo eius. — § 2. Martine, hoc dicit Iohannes mundoaldus Rebeccae, quod Petrus per biennium fuit negligens ducere Rebeccam sponsam suam in coniugio, unde

aut mulierem, et post sponsalias factas et fabola firmata duo annûs sponsus neclexerit eam tollere, et dilataverit nuptias exequi: post transactum biennium potestatem habeat, pater aut frater, vel qui mundium eius potestatem habet, distringere fideiussorem, quatinus adinpleat metam illam, quae in diae sponsaliorum promisit: postea leciat eos ad marito alii dare, libero tamen. Et meta quae exacta fuerit, sit in potestatem puellae aut mulieris, eo quod sponsus intra prefenitum tempus uxorem accepere neclexit, aut si volontariae dilatavit, excepto inevitavele causa.

---

tu fideiussor fuisti. — § 3. Iuxta legem Longobardorum creditori datur electio, utrum fidemiussorem aut debitorem pignerare velit, in quo a Romanorum lege (Iul. nov. III, § 1) dissidet, iuxta quam, nisi prius debitor interpelletur et inopia approbetur, fideiussor appellari non debet. — § 4. Si quis mundoaldus sponse dandi eam infra biennium, aut sponsus accipiendi breve ostenderit, breveque id falsum claruerit, brevis ostensor non debet penam solvere, donec alter paratum se fuisse brevi aut testibus probaverit, eo quod brevi in die sponsaliorum facto legitur: « componat pars parti fidem servanti penam argenti libras 100 ». — § 5. Si sponsa, antequam metam accipiat, mortua fuerit, heredes eius eam accipiant; quod in capitulo octavi libri Codicis evidenter ostenditur (Cod. VIII, 38, 13): « Veteris iuris altercationes decidentes generaliter sancimus, omnem stipulationem, sive in dando [sive in accipiendo sive mixta ex dando] et accipiendo inveniatur, et ad heredes et contra heredes transmitti, sive specialiter heredum fiat mentio sive non », vel in una lege posita in quarto libro Institutionum que sic incipit: « Hoc loco ammonendi sumus » (Inst. IV, 12, 1), in qua quam optime potest videri, quod actiones ex contractu et heredibus dantur et adversus heredes competunt. — § 6. Si fideiussor pro sponso metam solvit, sponsus debet reddere fideiussori omne quod pro eo solvit per unam legem positam in tertio libro Institutionum quae sic incipit: « Pro eo qui promittit, solent et alii obligari, qui fideiussores appellantur » (Inst. III, 20, 6), quia illic legitur: « Si quis fideiussor pro reo solverit, ipse cum eo habet mandati iudicium », quod etiam confirmari potest per legem Longobardam ipsamque Liuprandi quae est « Si infans ante 18 » (Liutpr. 116): « et qui fideiussor extiterit nullam exinde habeat dampnietatem ». — § 7. Si fideiussor, antequam cum eo agatur, obierit, eius heredes in eadem obligatione permaneant, quia in eadem lege Institutionum legitur: « fideiussor non tantum se sed etiam heredem obligatum relinquit », quod item videri potest per legem Longobardam. Rotharis enim dicit in lege (Roth. 366) quae est « Si quis post mortem patris filium de debito »: « ita decernimus, ut filii prebeant sacramentum secundum qualitatem pecunie aut per pugnam se defendant », et alibi dicit (Roth. 223): « Si quis sine heredibus mortuus fuerit, et res sue ad curtem regis ceciderint ..... et sine debito aut aliqua repetitione cecidit », quod dat intelligere, si heredes reliquerit, debere respondere pro debito. — § 8. Si heredes defuncti sponsatam filiam alii tradiderint, quam cui pater eam sponsaverit, quamquam in dando eam sponso sit obligatus, in obligatione tamen penam exsolvendi non est debitor: quia sponse pater dans guadia, si se retraheret, penam se compositurum obligavit, sed se non retraxit, quia morte preventus obiit; quare de pena obligatus non fuit, igitur nec filius. Ugo tamen penam heredem solvere affirmat: quemadmodum enim, inquit, pater obligatus erat feminam dandi vel penam exsolvendi, si se retraheret, ita heredem obligatum relinquit. Quod tamen Wilihelmus pater non laudat. — § 9. Notandum, hanc legem terminum biennii illis tantum attribuisse, qui terminum accipiendi sponsam non posuerint: qui terminum posuerint, non secundum hanc legem vadant, sed secundum stantiam quam fecerint. — § 10. In hoc quod hec lex dicit: « Si sponsus eam tollere neglexerit, post transactum biennium qui mundium eius habet potestatem habeat eam dandi ad alium maritum », concordat se cum quinto libro Codicis (Cod. V, 1, 2), quod Vt. (Walcausa? Wilihelmus?) affirmat. — § 11. In hoc quod hec lex affirmat, sponsam tradi ad alium maritum post biennium, si sponsus per biennium eam tollere neglexerit, dicebant antiqui iudices, ruptam esse a lege Liuprandi (Liutpr. 118) quae est « Si quis filiam suam aut sororem » et cetera, quia in hoc quod dicit: « non habeat potestatem alteri homini tradendi ad maritum ante biennii tempus », dat intelligere, sive sponsus esset neglegens sive non, quod post biennii tempus posset dari ad alium maritum. Sed male dicebant, quia intelligendum est secundum determinationem huius legis, scilicet si sponsus per biennium eam tollere neglexisset.

Petre, te appellat Martinus, quod tu sponsasti Aldam suam filiam, et misisti neglegentiam eam accipere ad uxorem per duos annos. — Si dixerit « non sponsavi », aut probet qui appellat, aut nichil sit. — Si dixerit « sponsavi, sed non sunt transacti duo anni », probet qui appellat. — Si dixerit: « non misi neglegentiam », si potest probare qui appellat, probet; si non potuerit, iuret qui appellatus est. — Si manifestaverit, quod fuisset infirmus, aut probet, aut emendet poenam. — Si dixerit, quod fuisset paratus infra duos annos ad accipiendum, probet; et si probaverit, aut appellator probet, quod paratus fuissset ad dandum, aut componat poenam. Et si nec unus nec alter potuerit probare, nullus ex eis componat poenam. — Et ita secundum quosdam haec fit appellatio; sed secundum valentes aliter est: sit enim ad fideiussorem.

179. Si dixerit sponsus de sponsa sua, quod adulterassit postquam eam spunsatam habuit, leceat parentibus eam pureficare cum duodicem sacramentalis suos: tunc post pureficata est, accipiat eam spunsam spunsus, sicut in priori fabola stetissit. Et si postquam pureficata fuerit, eam tollere uxorem neclexerit, sit culpabiles spunsus dubla meta, quantum dictum est in diae illa, quando fabola firmata fuerat. Et si parentes, ut dictum est, eam mundare non potuerint de ipso crimen, tunc spunsus recepiat res suas quas dedit, et illa patiatur pena adulterii, sicut in hoc edictum constitutum est (cap. 211-213).

Petre, te appellat Martinus, quod tu sponsasti Aldam filiam suam, et vult, ut eam accipias ad coniugium. — De torto. — Si dixerit: « sponsavi, set adulteravit se, postquam eam sponsavi », tunc parentes purificent eam.

Petre, te appellat Martinus, postquam ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam, quod ipsa se adulteravit cum Marcoardo. — De torto.

---

179. Martine, Iohannes appellat, quod Maria, cuius mundoaldus es, postquam eam disponsavit, se adulteraverit. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu neglegens fuisti sponsam tuam ducere in coniugium, postquam eam de adulterio, quo a te diffamata est, purificavit. — § 3. Wilihelmus: ponitur hic questio, si quis sponsam per biennium ducere neglexerit, posteaque penam evadendi causa eam de adulterio diffamaverit: quid inde fieri debet? — Ro. (Bonifilius?) respondet: per hanc legem purificanda est a parentibus, et postea sponsus, a pena solutus, eam debet accipere. — Guilihelmus: quae ratio esset, quod sponsus hac occasione penam evitaret, cum supradicta lege sola neglegentia penam componeret. Nulla scilicet; quod est, sic solvitur: hec lex nichil inde loquitur, quia per hanc legem non potest inponere crimen nisi sponsus. Sed hic, qui crimen inposuit, non erat sponsus, quia fuit neglegens sponsam ducere per biennium. Et quod ideo non sit sponsus, videri potest per superiorem legem (Roth. 168), in hoc quod dicit: « postea liceat ei eam ad alium maritum tradere, liberum tamen »; et, si licet eam dare ad alium maritum, tunc non est sponsa, nec ipse sponsus. Crimen igitur inponere non potuit, nec erit solutus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu habebas sponsatam Mariam suam mundoaldam, et dixisti, quod ipsa se adulterasset cum Paulo, et purifivavit eam, et noluisti eam accipere uxorem. — De torto.

180. Si puella sponsata lebrosa apparuerit. Si contigerit, postquam puella aut mulier sponsata fuerit, lebrosa aut demoniaca aut de ambos oculos excecata apparuerit, tunc sponsos reçepiat res suas, et non conpellatur ipsam invitus tollere ad uxorem, nec pro hac causa calomnietur: quia non suo neclicto dimisit, sed peccatum eminente et egritudine superveniente.

Petre, te appellat Martinus: postquam ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam, ipsa apparuit leprosa aut demoniaca, aut de ambobus oculis excecata, et vult, ut res suas reddas. — De torto.

181. De nuptiis. Si pater filiam suam aut frater sororem legetimam alii ad maritum dederit, in hoc sibi sit contempta de patris vel matris substantia, quantum ei pater aut frater in diae traditionis nuptiarum dederit: et amplius non requirat.

182. De vidua qualem habeat licentiam. Si quis filiam suam aut

---

180. Si mundoaldus sponso neglegenti ducere per biennium transacto biennio spónsam dare voluerit, sponsus est cogendus accipere, quia hac lege dat intelligendum, esse cogendum, nisi eam lepra deformaverit, vel demoniaca vel ceca apparuerit, etiamsi pena negligentie data esset. Et item per legem Liuprandi, que est: « Si quis filiam suam aut sororem » et cetera (Liutpr. 118) videtur, quod cogendus est eam accipere, quia in hoc quod dicit: « si autem, quod absit, post sponsalia facta tales inter parentes ipsos excreverint inimicitiae qualicumque causa interveniente, ut homicidium de parente ipsorum perveniat, unde duritiam inter se habeant, si dare aut tollere noluerint, componat pars parti que neglexerit sicut inter se statuerint, et sint absoluti », ostendit, quod, si tales inimicitie inter eos non excrevissent, etsi pena soluta esset, quod non esset solutus, sed, si mundoaldus dare eam vellet, quod tollere eam debet sponsus. — § 2. In hoc quod dicit: « aut de ambobus oculis excecata apparuerit » dicebant antiqui, quodsi quis sponsaret aliquam monoculam, et postea ex ipso oculo excecata appareret, quod cogendus esset accipere: quia hec lex aliam non facit relinqui, nisi eam que ex utrisque oculis postea excecata apparuerit. Sed male dicebant: quia hec lex non ideo dixit: « de ambobus oculis », quia illa, que tantum ex uno excecata postea apparuerit, non possit relinqui, sed ideo dixit, ut illa, que, postquam sponsata fuerit, monocula apparuerit, relinquatur.

181. In hoc quod dixit: « amplius non requirat », intelligendum est hoc modo: scilicet constante matrimonio, id est vivente marito; quia si intelligeretur, quod marito mortuo nichil de rebus patris posset requirere, et rupta esset a lege istius quae est: « Si pater filiam aut frater sororem » (Roth. 199), in hoc quod filiam aut sororem viduam ad successionem patris vel fratris advocat. Sed tamen a duabus legibus rumpitur Liuprandi, que sunt: « Si quis Longobardus se vivente » (Liutpr. 2 3), a quibus, deficientibus filiis, filie vel sorores iubentur succedere.

182. Domne comes, Cristina cum Petro tutore suo dicit, quod pluribus vicibus in conspectu vestro lamentata est de Dominico mundoaldo suo, qui suam denegat voluntatem et eam marito Martino, quem elegit, tradere non vult; unde vos multotiens ex vestri parte nuntios ac epistolas misistis, ut ad vestrum placitum veniret et eidem Cristine iustitiam faceret, et ad iudicium habere non potuistis. — Dicis ita, Cristina? — Sic dico. — Domne comes, recordamini ita? — Sic recordor. — Et vos iudices? — Sic recordamur. — Quo dicto dicant iudices, interrogante comite, quid inde lex precipiat. Iudices vero hanc legem dicant, que est: « Si quis filiam suam » usque ad « Et si talis fuerit », aut sententiam eius dicant. Quo facto interrogetur mulier, utrum mundium suum ad parentes suos transire velit? Que confessa sponsetur: huc ad hoc venit Martinus, quod, si a Deo consensum est, vult sibi sponsare Cristinam, post Albertum relictam, et Andree filiam. — Interro-

quamlibet parentem in coniugium alii dederit, et contegerit casus ut ille maritus moriatur, potestatem habeat illa vidua, si voluerit, ad alio marito ambolandi, libero tamen. Secundus autem maritus, qui eam tollere disponit, de suis propriis rebus medietatem pretii, quantum dictum est, quando eam primus maritus spunsavit, pro ipsa meta, dare debeat ei, qui heres proximus mariti prioris esse invenitur. Et si noluerit accepere, habeat ipsa mulier et morgenegab et quod de parentes adduxit, id est faderfio: parentes vero eius potestatem habeant eam dandi ad alium maritum, ubi ipsi et illa voluerint. Et mundium eius prioris mariti parentes non habeant, pro eo quod ei denegaverunt volontatem suam: ideo redeat mundium eius ad proximus parentes, qui prius eam ad maritum dederunt. Et si parentes non fuerint legitimi, tunc mundius ille ad curtem regis perteneat. Et si tales fuerit mulier, quae maritum non vellit aut non possit habere, sit in potestatem illius ad quem mundius de ea pertenit. Et si ipse eam male habuerit aut tractaverit, et probatur, tunc liceat

---

gatur sponsus, an velit, et an sit paratus dare medietatem mete heredibus Alberti, quondam Cristine mariti? — Quo respondente: Albertus quondam ei dedit in meta solidos 40, et ob hoc paratus sum dare medietatem inde solidos 20. — si heredes Alberti affuerint, debent solidos 20 accipientes eam sponsare; si autem adesse noluerint, ad patrem redeat mundium. — Tunc dicatur sponso: da Andree wadiam, quod tu Cristine filie sue omnium que modo habes aut inantea acquirere poteris, que sunt, portionem quartam facies, et, si te retraxeris, auri libras 100 compones. — Tunc wadia a fideiussoribus accipiatur. Dehinc patri dicatur: Andrea, per hunc ensem et wantonem istum sponsa Cristinam filiam tuam. — Ipso affirmante, dicatur sponso, ut eam accipiat. — Dehinc dicatur: Andrea, da wadiam Martino, quod filiam tuam ei trades uxorem, et eam sub mundio cum rebus ad eam pertinentibus mittes; et tu, da wadiam, quod tu eam accipies; et si quis nostrum se subtraxerit, componat pars parti fidem servanti penam auri libras 100. — Antifacti et morgincaph cartule lecte sponse a sponso tradantur. Tunc pater, qui mundoaldus est, per manum dextram tradet eam marito. — Tunc dicatur: Martinus hunc caballum, solidos 20 valentem, Andree dat pro mundio Cristine uxoris sue et Andree filie; — et pater caballum accipiat. — Et tu Andrea, pro hoc caballo, 20 solidos valente, Cristinam, filiam tuam, cum rebus omnibus ad eam pertinentibus sub Martini mundio mitte, mundium et caballum sibi ad proprium trade. — Tunc Martinus patri mulieris launechil exsolvat, de quibus omnibus breve fieri rogetur, aut notitiam scribi a comite iubeatur. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu malo ordine retines Cristinam, cuius ipse est mundoaldus. — Respondet: Cristina, de qua me appellas, mea uxor est, et sub meo est mundio, ob ecce notitiam, quomodo in coniugium tradita est, quomodo tu, eius voluntatem denegando, mundium ammisisti iure. — Si Iohannes se voluntatem non denegasse dixerit et testibus sibi a marito probari non potuerit, cum suis sacramentalibus se purificet. Sin autem Johannes falsam dixerit notitiam cartule, idoniet per sacramentum iuxta Widonis capitulum (Wid. 6). — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod ei terram in tali loco malo ordine retines. — Respondet: terra, de qua agis, mea est propria ex parte Cristine, quondam mee coniugis; quia ecce notitia, quod michi tradita est in coniugium. — Si falsa dicta fuerit notitia cartule, quia de predio est contentio, appellatori electio datur (Ott. 1, 1), utrum duello an sacramento eam idoniare voluerit. — § 4. In hac lege precipitur, ut secundus sponsus prioris mariti heredibus mete medietatem restituat. Si prior maritus filiam et parentes alios reliquerit, quamquam filia heres est cum parentibus ceteris, tamen nullo modo ad eam pertinebat mundium, et nichil ei contingebat mete medietatis; quia, cum ipsa in alterius potestate semper permaneat, ut lex istius dicit que est: « Nulli mulieri sub regni nostri » (Roth. 204) et cetera, nullam in sua potestate habere potest. Moderno vero tempore,

eam ad parentes suos reverti: et si parentes non habuerit, tunc ad curtem regis habeat refugium, et mundium eius sit in potestatem regis.

Domne comes, date huic Mariae tutorem. — Dato, dic: domne comes, hoc dicit Maria cum Petro tutore suo, quod plures vices reclamavit se ad vos de Alberto suo cognato et suo mundoaldo, qui denegat suam voluntatem, et maritum, quem habet electum, non vult sibi dare; unde vos plures vices illi mandastis missos et epistolas, ut ad vestrum placitum veniret et sibi iustitiam faceret, et ille venire noluit. — Dicis tu ita Maria? — Sic dico. — Et tu, suus tutor, dicis ita? — Sic dico. — Et vos, domne comes, recordamini sic? — Sic recordor. — Et vos, iudices? — Sic recordamur. — Dicite, vos iudices, quod commandat lex? — Tunc debent dicere: « Si quis filiam suam aut quamlibet parentem in coniugio alii dederit » usque ad: « parentes proximos, qui prius eam ad maritum dederint ». — Cum dicta fuerit lex, interroga eum, qui

---

quamquam ab hereditate eiciantur parentes ceteri, et heres sit sola filia (Liutpr. 1), tamen a mete medietate non sequestrantur, quandoquidem ad eos pertinet mundium. — § 5. Notandum etiam, si heres prioris mariti, antequam ipsa maritum accipiat, mortuus fuerit, quod eius heredes medietatem metae non haberent. Lex enim ista solummodo heredi prioris mariti eam tribuit, et hic est heres heredis et non illius. Per usum tamen 20 solidos habebat. Hic tamen usus et exequatio non laudatur; quia, licet heres mariti decedat, cui medietas mete deberetur, si, cum ipse viveret, illa ad alterius nuptias procedet, tamen succedenti heredi prioris mariti medietas mete deberetur, quoniam heres heredis testatoris est heres, et qua ratione de defuncto testato, in eadem ratione de intestato defuncto. — § 6. A multis iudicibus dicitur, quod si femina ad maritum ambulaverit et heredes prioris mariti recipere medietatem mete noluerint, ut nichil ipsa habeat ex hoc quod prior maritus sponsalicio ei dederit; ideo quia hanc litteram que est: « secundus autem maritus, qui eam tollere disposuit, de suis propriis rebus medietatem pretii ipsius, quantum dictum est, quando eam primus maritus disponsavit, pro ipsa meta, dare debet eis, qui heredes proximi mariti prioris inveniuntur », ita intelligunt, scilicet, quod secundus maritus pro adquirenda ipsa meta, quam prior maritus dederat uxori, medietatem pretii dabat; tunc ideo quia dicunt, hanc aliam litteram, que est: « et si noluerit accipere hanc, ipsa mulier habeat morgincaph et quod a parentibus adduxit », dare intelligi, quod mulier sponsalicium habere non debet. Sed eorum intelligentia non valet, quoniam, si per hunc intellectum perderet donum sponsalicium, similiter perderet donationem factam sibi ab aliquo vel successionem aliquam, quam ex parte parentum suorum habuerit. Et item, si hoc verum esset, quod maritus secundus ideo daret medietatem pretii, ut metam, quam prior maritus dederit uxori, adquireret: cur tam stultissimi heredes prioris mariti essent, ut venirent ad placita et acciperent solidos 20 et perderent 40? Intelligendum est igitur, quod maritus ideo mete medietatem dare debet heredibus prioris mariti, ut secundo marito traderetur, sicut priori marito sponsata et tradita fuit. Et quod ideo detur medietas pretii, ut sibi tradatur, videri potest per sequentem legem (Roth. 183), in hoc quod dicit: « heredes prioris mariti accipiant medietatem de ipsius meta, sicut supra constitutum est, et ipsa per manum simili modo retradatur ». Negligenda est igitur hec littera, que est: « medietatem pretii quantum » etc., prout superius exposita est secundum sententiam antiquorum iudicum; sed legenda est hoc ordine, scilicet quod secundus maritus dare debet medietatem pretii, quantum dictum est pro ipsa meta, quando prior maritus sponsavit, quod est dicere: secundus maritus dare debet medietatem ipsius mete id est sponsalicii, quod prior maritus ei dederit. Vel meta ponitur hic pro pacto; et tunc ita legemus: scilicet, quod secundus maritus dare debet pro ipsa meta, id est pro ipso pacto, medietatem pretii et cetera.

vult ipsam feminam: vis accipere ad coniugium legitimum eam? — Volo, Deo volente. — Et tu, mulier, vis eum accipere ad legitimum coniugium? — Volo, Deo volente. — Et tunc dic: es tu paratus ad dandum medietatem de meta heredi prioris mariti? — Sum; 100 solidos dedit, ecce 50. — Post dic: si a Deo est factum, pro hoc venit Martinus, quod vult sponsare Mariam filiam Petri. — Venisti propter hoc? — Veni. — Da wadiam, quod facias ei quartam portionem de quanto tu habes aut inantea acquirere potueris, tam de re mobili, quamque immobili, seu familiis, et si te subtraxeris, componas libras 100. Et per istam spatam et istum wantonem sponso tibi Mariam meam filiam. — Et accipe tu eam sponsario nomine. Et commenda eam ei usque ad terminum talem. Tu, pater feminae, da vadiam ei, quod tu des ei eam ad uxorem, et mittas sub mundio; et tu vadiam da, quod eam accipias; et qualis se subtraxerit, componat solidos mille. — Cum venerit ad terminum, fiant cartulae lectae et fiat femina tradita per manum. — Propter hoc dat, Petre, hanc crosnam, ut mittas eam sub mundium cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus seu familiis, quae ad eam per legem pertinent, et mundium et crosnam tradas sibi ad proprium. Da ei launechild. — Precipite fieri noticiam, donne comes.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Donatam suam mundoaldam. — Ipsa mea est mundoalda et mulier mea; et tu denegasti voluntatem suam, et ecce notitiam. — Falsa est ipsa noticia; — aut: missus comitis vel epistola non venit ad me.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est de parte Donatae meae mulieris. — Non debes tu eam succedere, quoniam mea mundoalda fuit et non tibi eam dedi ad uxorem. — Aut ostendat noticiam ant probet per testes, quoniam fuit sua mulier, aut perdat terram.

183. De traditione puellae aut mulieris. Si quis pro libera muliere

---

183. In hoc quod hec lex dicit: « ut et ipsa mulier ad alium maritum debeat ambulare aut ad parentes reverti aut ad curtem regis », dicebant antiqui iudices, quod esset in suo velle positum ambulandi quo voluerit, sive ad maritum sive ad parentes reverti aut ad curtem regis, sive heredes prioris mariti ei consentirent vel non. Quod non est tenendum, quia, si ita intelligeretur, iam superior lex quae est « Si quis filiam suam aut quamlibet » et cetera (Cfr. Roth. 182) rupta esset a lege hac, quia illic legitur: « si femina maritum noluerit, et heredes prioris mariti eam ad maritum dare voluerint, revertatur ad parentes; et si parentes non habuerit, mundium ipsius ad curtem regis pertineat; et

aut puella mundium dederit, et convenit ut ei tradatur ad uxorem, posteaque contigerit marito mortuo, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat ambulare, aut ad parentes reverti aut ad curtem regis: tunc heredes mariti prioris accipiant medietatem de meta, sicut supra constitutum est, et ipsa per mano simili modo retradatur sicut priori marito tradita fuit. Nam aliter sine traditione nulla rerum dicimus subsistere firmitatem.

184. De exenio nuptiali. Si quando pater filiam suam aut frater sororem suam alii ad uxorem tradederit, et aliquis ex amicis, accepto exenio, ipsi mulieri aliquid dederit, in ipsius sit potestatem, qui mundium de eam fecit; eo quod maritus, si launigild requisitum fuerit, ipse debet solvere.

Petre, te appellat Martinus, quod, quando tu dedisti sibi ad coniugium Mariam tuam filiam, Paulus dedit ei 100 solidos per acceptum servicium ipsius feminae, quos sibi debes.

Petre, te appellat Martinus, quod, quando Donatus dedit tibi filiam suam ad coniugium, quod ipse dedit ei solidos 100 per acceptum servicium ipsius feminae, et vult, ut facias sibi widerdonem.

---

si maritum noluerit aut habere non potuerit, sit in potestate mundoaldi id est parentum prioris mariti ». — § 2. Item ab aliis dicitur « debeat ambulare » intelligendum esse de male tractata, quoniam in superiori lege, si mulier male tractata fuerit, liceat ei ad parentes suos reverti. Quod item est refutandum, quia, si illud ita intelligeretur, item haec lex superiorem rumperet, in hoc quod superior lex heredi prioris mariti mundium aufert, si ipse eas male tractaverit; sed hec ei adtribuit, ubi dicit: « tunc heredes prioris mariti accipiant medietatem de meta sicut supra constitutum est ». — § 3. « Debeat ambulare » igitur ita intelligendum est, scilicet ut ipsa vadat cum voluntate heredum prioris mariti. Et quod debeat ambulare cum voluntate istorum, videri potest per hoc quod ibidem legitur: « tunc heredes prioris mariti accipiant medietatem de meta sicut supra constitutum est », id est in superiori lege quae est: « Si quis filiam suam » et cetera et per hoc quod dicit: « et ipsa manu simili modo retradatur ». Nam si non intelligeretur cum voluntate heredum prioris mariti, ipsi non haberent medietatem de meta sicut supra dictum est, nec ab illis retraderetur. — § 4. Quamquam superior lex heredes prioris mariti mete medietatem accipere iubeat, si mulier ad secundum maritum transierit, tamen iuxta hanc legem, sive ad parentes sive ad regis curiam transierit, medietatem mete debent suprascripti heredes accipere. Quod commemorat lex que prope posita est que est: « Si pater filiam suam aut frater sororem » (Roth. 199), in qua legitur: « et pater vel frater mundium eius liberaverit, sicut constitutum est supra ». — § 5. In hoc quod hec lex dicit: « et ipsa per manum simili modo retradatur », et inferius dicit: « nam aliter sine traditione nullam rerum dicimus subsistere firmitatem », antiqui iudices, hoc preceptum generale facientes, dicebant, nullarum rerum traditionem stabilem esse, nisi per manum fieret. Sed male dicebant, quia non alia de causa dictum fuit nisi mulieris causa.

184. Si filie vel sorori aliquid datum fuerit qualicumque tempore, antequam alii ad uxorem tradatur, frater nullo modo retinere poterit quod datum est sorori, sed eius marito reddere debet; quoniam, si retinuerit, ipse appellare eum potest, quod malo ordine res mulieris sue tenuerit. Sed pater, si voluerit, nullo modo reddet marito filie, quod ei preterito tempore datum est, quando ex omnibus rebus, quas filius vel filia conquisierat, ususfructus patri conceditur secundum legem Romanorum, ut in secundo libro Institutionum legitur in lege que est: « Adquiritur nobis » (Inst. II, 9, 1) et cetera vel in Novellis (Julian. nov. 108?), exceptis ipsis rebus, quas filius possidet, et castrensi peculio et aliis quibusdam. Et tamen vir eius launechil persolvere debet, quia, licet usumfructum illius rei ibi pater retinuerit, filie tamen est proprietas.

185. De incestas et inlecetas nuptias. Nulli leciat novercam suam, id est matrinia qui fuit uxor patris, neque privignam, quod est filiastra, necque cognatam, qui fuit uxor fratris, uxorem ducere. Et si ipsa consenserit, vir qui eam ducit, conponat pro culpa in curte regis solidos centum, et mox separetur ab ea, constrictus a rege; et ipsa mulier habeat medietatem de omnis res suas, et medietatem amittat et curtes regia suscipiat: eo quod inlecitas consenserunt celebrare nuptias, hac poena susteneant, et mox, ut dictum est, separentur.

186. De violentia. Si vir mulieri violentias fecerit, et invitam tullerit uxorem, sit culpabilis sold. nongentos, medietatem regi et medietatem parentibus mulieris: et si parentes non habuerit, ipsi nongenti solidi ad curtem regis exegantur. Et mulier ipsa licentiam habeat cum omnes res suas proprias, quae ei lege perteneunt, elegendum, qui mundium eius in potestatem debeat habere, vult ad patrem si habuerit, vult ad fratrem, vult ad barbanem, vult ad manum regia, in ipsius mulieris sit potestatem, ubi sibi ipsa elegerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rapuisti Aldam filiam suam.

187. De violentias mulieris libere. Si quis violento nomine tullerit uxorem, conponat ut supra, et postea mundium eius faciat. Nam si contegerit casus, ut antequam mundium eius faciat, mortua fuerit, res eius parentibus reddantur: et ille vir, qui eam violento ordine

---

185. Hec lex de eo quod dicit: « ut vir componat solidos 100, et mulier medietatem de rebus suis habeat », rupta est a lege Liuprandi que est: « Item hoc censemus » (Liutpr. 33), quia illic legitur: « ubi autem inventi fuerint, qui suprascripta illicita coniugia contraxerint, de presenti separentur et poene isti subiaceant », id est omnem substantiam suam perdant.

186. Notandum, quod hic violentia tantum pro raptu ponitur; quod videri potest per litteram huius legis quae est: « et invitam tulit ». Sepe enim « et » pro « id est » ponitur. Per legem Liuprandi que est.....

187. In hoc quod hec lex dicit: « et postea mundium faciat » rupta est a lege Lotharii que est: « De raptoribus unde antiquorum patrum » et cetera (Loth. 105) in hoc quod dicit: « nam ipsis, a quibus rapte sunt, legitime demum uxores nullatenus esse possunt ». — § 2. Sciendum est, quod si aliquis feminam rapuerit, et ante appellationem et, antequam mundium eius faciat, mortua fuerit, per hanc legem widrigild eius debet componere, tamquam si fratrem eius occidisset. Sed iudices antiqui dicebant, quod ipse non debeat componere, quia hec lex in hoc casu tantum raptori faciat widrigild componere, quod posset eam mundiare, si viva esset, et cum eius parentibus convenisset: hodie tamen non liceret ei eam mundiare, nec aliquando eam legitime accipere. Quorum rationi sic obviari potest: si hac de causa widrigild non debet componi, eadem de causa possumus dicere, quod predicti 900 solidi non debent componi, cum hec lex in alio casu non precipit hos 900 solidos componi, nisi quod ei liceat mundiare eam, si conveniret. Unde hoc inconveniens sequeretur, quod pro femina violento nomine rapta nichil componeretur. Intelligendum igitur, compositionem debere fieri, licet coniugium sit proibitum, cum aliqua lege non proibeatur fieri illam. — § 3. Quam plures iudices dicebant, quod alius per hanc legem non componeret feminam mortuam, de qua hec lex loquitur, nisi qui nongentos solidos pro rapto illius composuerat. Sed male dicebant: quia, si nongentos solidos quis componeret, finem inde acciperet, et post finem acceptum nichil ei componeret, licet altera die mortua esset; videtur igitur, quod, quando femina mortua componebatur, de raptu eius appellatus ante eius mortem non fuerat.

tulerit uxorem, conponat eam mortua, tamquam si virum de similem sanguinem, id est si fratrem eius occidisset, ita adpretietur et parentibus pro mortua conponere cogatur, aut cui mundius de ea pertenuerit.

Petre, te appellat Iohannes, quod tu rapuisti Aldam suam sororem quae est mortua.

188. Si puella libera aut vedua sine volontatem parentum ad maritum ambolaverit, libero tamen, tunc maritus qui eam accepit uxorem, conponat anagrip solidos viginti et propter faida aliûs viginti; et si contegerit eam antea mori quam mundium eius faciat, res ipsius mulieris ad eum revertantur, qui mundium eius in potestatem habit [*cap.* 178. 195. 196. 204. 215]; nam amplius calumnia praesumptori non generetur: ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundium facere neglexit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu accepisti sine voluntate sua ad mulierem Mariam suam filiam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est de parte Mariae meae mulieris. — Non debes eam succedere, quia non fecisti mundium. — Aut probet, quod mundium fecit, aut perdat terram per hanc legem. — Haec appellatio secundum amentes.

---

188. In hoc quod dicit: « componat propter faidam solidos 20 et pro anagrip alios 20 », affirmatur a lege istius, quae est: « Si quis liberam puellam absque consilio » (Roth. 214). — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « et si contigerit ante mori quam eius mundium faciat », dat intelligi, quod ipse eam legitime possit accipere, que ad eum sine voluntate parentum venerat. Unde antiqui iudiçes hanc legem ruptam esse dicebant a capitulo Lotharii quod est « De raptoribus vero antiquorum patrum » (Loth. 105) et cetera, credentes litteram predicti capituli, que est « que vero vel vidue sunt, vel adhuc sponse non fuerunt et absque ipsarum aut parentum voluntate rapiuntur », in hoc quod inferius dicit: « nam ipsis, a quibus rapte sunt, nullatenus amplius legitime uxores esse possunt ». Sed male dicebant, quia iuxta antiquam veritatem sic iure legendum est: « absque voluntate parentum et ipsarum » et in capituli initio est: « nos sequentes statuta antiquorum patrum ». Rupta igitur non est, quia, licet absque parentum voluntate ad eum ivisset, tamen non est raptus, neque per capitulare, neque per dictum, neque per canones. Canones enim tunc tantum dicunt raptum fieri, quando rapiuntur absque ipsarum et parentum voluntate, vel quando se faciunt rapere, et tamen, dum rapiuntur, fingunt, se nolle pati. — § 3. A multis iudicibus dicitur, quod isti 40 solidi componi non deberent, nisi ei femina tradita fuerit ad uxorem, ut hec lex pluribus dictis ostendit, in hoc quod dicit: « qui eam accipit uxorem » et in hoc quod dixit: « ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundium facere neglexerit ». Sed si hoc esset, similiter de raptu fieret, scilicet quod non componerentur nongenti solidi per superiorem legem quae est: « Si quis violento » (Roth. 187) et cetera, nisi femina raptori traderetur et mundiaretur. Aliud igitur non est intelligendum, nisi quod propter offensionem dabantur 40 solidi et solidi 900, et postea si conveniebant, tradebatur et mundiabatur. — § 4. In hoc quod hec lex dicit: « ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundium facere neglexerit », dicebant antiqui iudices, quod, si non habuerit neglegentiam mundium faciendi, quod res mulieris non debet ammittere. Sed male intelligebant: quia « neglexerit » non est hic positum in sua propria significatione, sed pro « culpavit »; et quod « neglexerit » pro « culpavit » inveniatur, potest videri in capitulo Pipini, quod est « De diversis generationibus hominum » (Pipin. 27), in hoc quod dicit: « secundum ipsius legem, cui commisit neglegentiam, emendet ».

189. De fornicationis causa. Si puella aut mulier liberam voluntariae fornicaverit, cum libero tamen homine, potestatem habeant parentes in eam dare vindictam. Et si forte ambarum partium steterit, ut ille qui fornicavit eam tollat uxorem, conponat pro culpa, id est anagrip solidos viginti; et si non convenerit, ut eam habeat uxorem, conponat solidos centum, medietatem regi, et medietatem ad quem mundius de ea pertenuerit. Et si parentes neglexerint aut noluerint in ipsa dare vindictam, tunc liceat gastaldium regis aut sculdahis ipsam ad manum regis tollere et iudicare de ipsa, quod regi placuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu adulterasti Mariam suam filiam cum sua voluntate.

---

189. Notandum est, quod secundum iudices discretionem habentes hec lex loquatur de tali femina adultera, que publice non fornicabatur. — § 2. Si femina fornicata fuerit, et, antequam appellatio fiat, fornicator mortuus fuerit, vindicta tamen in ea dari debet. Quod videri potest per legem istius quae est: « Si quis puellam aut mulierem que in alterius » et cetera (Roth. 198), quia illic legitur: si femina fornicaria clamata fuerit ab aliquo, et probatum fuerit, « sit culpabilis sicut supra legitur in hoc edicto »; in ipsa enim lege non potest videri, utrum fornicator mortuus sit an vivus. Secundum hoc exemplum videre possumus, quia, sicut femina mortuo fornicatore vindictam accipit, sic et fornicator mortua adultera 100 solidos componere debet. — § 3. Si parentes facta appellatione de adulterio et causa manifesta mulierem adulteram ad coniugium tradiderint, illicitum erit matrimonium, quoniam hic legitur: « et si parentes in eam dare vindictam neglexerint, tunc liceat gastaldio ipsam ad manum regis tollere », quia satis « neglexerunt », quando ad maritum eam tradiderunt. — § 4. Si parentes, antequam de adulterio appellationem faciant, mundoaldam ad coniugium tradiderint, legitimum erit matrimonium: sed de adulterio taceant, quia dato mundio appellationem facere non possunt; sed tamen, si mundium non dederint, appellationem de adulterio facere minime prohibeantur. Et si adulter dixerit: « non debeo ego componere solidos 100, postquam femina a me legitimo viro est tradita, quia, quando lex precipiebat me conponere, valebam me cum ea, si convenerit, coniungere », cui sic potest obviari: « si adulterares sponsam alicuius, an ideo penam evaderes, quia non valeres convenire cum mundoaldo, ut eam acciperes? » — § 5. Si puella aut mulier adulterata ante appellationem adulterii monacha effecta fuerit, actio statim pereat, quia monacha non habet in hoc mundoaldum, et ideo non est, qui appellationem inde faciat adversus adulterum. Sed quondam, quamvis adultera monacha fieret, actio non deficiebat contra adulterum, ideo quia mundoaldum non amittebat (Cf. Liutpr. 92). — § 6. A multis iudicibus sic intelligitur vindicta, scilicet quod liceat parentibus in eam dare vindictam, sive in disciplinam, sive in venditionem et non in semationem corporis; quod fieri dicebant ad similitudinem legis Liuprandi que est: « Si quis amodo inventus fuerit » et cetera (Liutpr. 120), quia illic legitur: « ut detur vindicta in mulierem que turpi conversatione consenserit [vel in disciplinam vel in venditionem et non in corporis semationem ». Que similitudo non est competens; nam hec femina erat adultera, illa vero non; hec non erat coniugata, illa vero coniugata erat. — § 7. Secundum vero alios ita intelligitur vindicta, id est ut si occisa vel vendita; sic potest videri in quodam exemplo, quod in lege istius legitur que est: « Si servus liberam mulierem » (Roth. 221), quia illic legitur: « ut femina que servo fuerit consentiens sit occisa vel vendita ». Quod quamvis vitiari potest, in hoc scilicet quod hec lex dicit de libero, illa vero de servo, tamen magis competens similitudo est, quoniam, quemadmodum hec lex loquitur de adultera, ita et ipsa, et quemadmodum illa dicit, si parentes in eam vindictam dare neglexerint, quod ad partem regis admodum veniat adultera, ita et ista. — § 8. Hoc etiam a pluribus iudicibus dicitur, quod, si aliquis ad coniugium tullerit puellam aut viduam sine voluntate parentum et cum ea concubuerit, componat solidos 100 pro adulterio et solidos 40 per superiorem legem que est: « Si puella aut vidua » et cetera (Roth. 188); quod non est contradicendum. Sed tamen, si aliquis inde litem imponere vellet, facere potest

190. De sponsata alterius. Si quis puellam aut viduam alterius sponsatam, illa tamen consentiente, tulerit uxorem, conponat parentibus mulieris, vel ad quem mundius de ea pertenuerit, anagrip solidos viginti, et propter faida aliûs viginti, et mundium eius, qualiter steterit, faciat. Spunsum autem, cuius spunsatam fuit, omnia quae in meta dictum fuit, quando eam sponsavit, in dublum ei conponatur ab illo, qui ei de spunsata sua turpe fecit; et postea spunsus post accepta dubli conpositionis poena sit sibi contemtus, et amplius ex hac causa adversus fideiussoris calomnia non requiratur.

191. De rapto spunsatae alterius. Si quis puellam aut viduam spunsata alterius rapuerit, sit culpabiles parentibus puelle, aut ad quem mundius de ea pertenit sold. noningentos, medietatem regi et medietatem parentibus puellae, id est patri aut fratri, aut qui proximi sunt; et mundium eius, si convenerit, faciat. Spunso autem, in cuius turpe aut derisiculum egit, conponat dupla meta, quantum dictum est in die illa, quando fabola firmata fuerat; et amplius fideiussori aut raptori ab ipso spunso calumnia non generetur, sed sit sibi contemptus in ipsa dubla compositiones poena.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rapuisti Aldam filiam suam, Pauli sponsam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rapuisti Mariam suam sponsam et filiam Pauli.

---

dicendo ita: quando hec lex precipit adulterum componere solidos 20, si conveniret, ut eam ad coniugium acciperet, dedit intelligere, quod non erat accepta hec mulier causa coniugii, quoniam de ipsa accepta causa coniugii absque voluntate parentum componuntur tantum solidi 40, ut superior lex dicit que est: « Si puella libera aut vidua » et cetera, sive convenerat, ut eam in coniugio accipiat, sive non. Que contentio non valet. W. (sec. Wilih.?): nam pro solo adulterio componebantur solidi 20, si conveniret, solidi 100, si non conveniret, et adulterium committit aliquis cum ipsa femina quam accipit causa coniugii, si nondum esset sibi tradita, quia retro (Roth. 183) legitur: « Nullam rerum dicimus subsistere firmitatem sine traditione ». — § 9. Si quis mulieri quam in mundio suo habet, ob odium vel quia ei succedere vult, crimen imposuerit et exinde cum alio colludium fecerit ibi, qui cum ea concubuisse simularet, et ipsa negaverit, detur ei tutor, qui eam defendat et adiuvet per capitulum Pipini « Vidue et orphani tutores habeant » (Pipin. 5). Et si se purificare potuerit, mundoaldus eius mundium ammittat per legem istius quae est: « Si quis mundium de puella libera aut muliere habens excepto patre aut fratre ei crimen iniecerit » et cetera (Roth. 196); et si se purificare non potuerit, penam adulterii patiatur. — § 10. Si sacerdos vel quislibet, cui proibitum est uxorem habere, hoc adulterium perpetraverit, dicebant antiqui iudices, illum 100 solidos non esse compositurum, quia hec lex non alium precipit 100 solidos componere, nisi qui illam adulteram uxorem posset ducere. Sed male dicebant: quia, quandoquidem hec lex illum facit componere 100 solidos, qui eam accipere posset, si inter parentes et adulteram conveniret, multo magis ille debet componere, qui eam non potest uxorem ducere.

190. In hoc quod dicit: « et mundium eius qualiter steterit faciat » rupta est a capitulo Lotharii quae est: « Ut sponsam alterius nemo accipiat, precipimus » (Loth. 97). — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « Sponso autem cui sponsata fuerit omnia que in meta dicta fuerint, quando eam sponsavit, in duplum ei componantur » affirmata est a lege Liuprandi, que est « Si quis filiam aut sororem » et cetera (Liutpr. 118). Et per eandem legem adiungitur: « guidrigild in palatio ».

192. Si parentes de puella sponsa cum alio conludio fecerint. Si pater filiam suam aut frater sorore aut aliqui ex parentibus puellam alii spunsaverint et postea cum alio extraneo arte conludium ficerint, aut fraudem consenserint cum illo, qui eam aut violenter aut ipsa consentiente ducat uxorem: tunc ipsi parentes, qui huius conludium fraudis consenserint, conponant spunso qui eam sponsatam habuit,

---

192. In hoc quod hec lex dicit: « ducat uxorem » rupta est a « De raptoribus » et cetera (Loth. 105), in hoc quod dicit: « nam ipsis a quibus rapte sunt legitime demum uxores nullatenus esse possunt » et a capitulo Lotharii quod est: « Ut sponsam alterius nemo recipiat » (Loth. 97), et « Quia sponsam alterius » et cetera (Loth. 84), sed diversis respectibus. — § 2. Notandum est, quod hec lex de dupla meta affirmatur a lege Liuprandi quae est: « Si quis filiam aut sororem » et cetera (Liutpr. 118), et per eandem legem adiungitur guidrigild in palatio. — § 3. Notandum est quoque, quod, si vidua sponsata fuerit et mundoaldus fraudem consenserit cum illo qui eam uxorem duxerit, non secundum hanc legem sed secundum stantiam penam sustineat; lex enim ista de vidua non loquitur. — § 4. Iuxta hanc et predictas duas leges (Roth. 190, 191) tale placitum ponitur, scilicet: si quis in mundio suo quamlibet mulierem, postquam alii sponsaverit, alium ducere aut rapere consenserit, dicebant iudices antiqui [raptorem per predictas duas leges mundoaldo], mundoaldum per hanc legem sponso illi duplam metam debere componere. De raptore tamen male dicebant, de mundoaldo vero bene. Nam ille due predicte leges non in alio casu componere iubent, nisi quando fit mundoaldo nolente; quod videri potest in hoc, quod mundoaldus per ipsas leges a raptore compositionem percipit. Nam si eo consentiente raptus fieret: quis rex esset adeo stultissimus, qui eum compositionem suscipere iuberet! Quod iterum videri potest per legem Liuprandi que est: « Si quis filiam suam aut sororem », in hoc quod ipsa lex non facit illum qui rapuit mundoaldo consentienti, nisi guidrigild componere in palatio. Huic obviari potest sic: licet mundoaldus raptum consenserit, tamen compositionem querere potest, si voluerit, per Lodoyci capitulum quod est: « Si quis sponsam alterius rapuerit » et cetera (Lud. P. 14), quia in hoc quod dicit: « et si hoc defensor eius perpetrare consenserit et ideo raptori nichil querere voluerit », dat intelligere, quod posset querere, si vellet. — Sed male dicerent, quia « voluerit » non est positum in sua propria significatione, inmo pro « potuerit », et hoc tantum videri potest in lege Liuprandi, que est: « Si quis ante 12 annos » (Liutpr. 12), quia ibi legitur: « nubat cui voluerit »; quod est intelligendum pro « potuerit », quia, licet cum filio regis vellet nubere, non tamen posset. — § 5. Licet si consensum sit, mundoaldum raptum consentientem exinde compositionem querere non posse, tamen intelligendum est secundum erroneo, raptores sponso duplam metam debere componere per predictum capitulum Lodoyci. Nam eiusdem capituli litteram que est: « comes singulariter ex unaquaque re fredam nostram ab eo exactari faciat » sic exponunt, ut dicatur: ab eo, id est a raptore, exactari faciat; et hanc aliam que est: « sponso vero legem suam componat », sic exponunt, scilicet ut dicatur: raptor componat sponso suam legem, it est duplam metam. — Sed male exponunt: ad defensorem enim freda est exactanda, et defensor suam legem, it est duplam metam, sponso componat, ut hec lex precipit: « Si pater filiam » et cetera. Quod erronee tamen si non concedunt dicendo, quomodo illud melius referri potest ad defensorem, quam ad raptorem, cum lex indifferenter dicat? responde: quomodo dicere potestis, quod raptor legem suam componat sponso, cum lex nulla retroposita sit, que raptorem faciat aliquid componere sponso, si mundoaldus consenserit? — Respondent: non ideo dixit: « legem suam componat sponso », quod retro esset aliqua lex, que raptorem in predicto casu duplam metam faciat specialiter componere, sed ideo dixit: « legem suam », quia respexit ad istas que sunt: « Si quis puellam aut viduam sponsatam alterius » « Si quis puellam aut viduam » et cetera pro sola compositione, veluti si raptus esset sine consensu mundoaldi. Similiter edicti hoc detur exemplum: hec lex Liuprandi que est: « Continet autem anterioris edictum » (Liutpr. 119) non ideo dixit: « ideo statuimus, propter plagas aut feritas si fecerit vel adulterium, componat eidem feminae, sicum edictum continet », quod retro specialiter esset dictum, quod mundoaldus mulieri enti in suo mundio pro plaga aut ferita vel adulterio debet componere, sed pro sola compositione respexit in edictum ad ipsas leges que de compositione mulierum loquuntur. — Responde: licet similitudinem afferatis, sententia tamen nostra locum optinet veritatis.

simili poena ut supra in dupla meta quae tunc dicta fuerat in diae sponsaliorum, et postea spunsus amplius adversus eos aut fidiiussoris calumnia non requiratur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu sponsasti sibi Mariam tuam filiam, et postea consensisti fraudem cum Donato, qui eam tulit ad uxorem cum virtute aut cum eius voluntate. — Haec appellatio est secundum hanc legem.

193. Si puella libera servum alienum foris provincia secuta fuerit, requirant eos pariter dominus servi et parentes puellae: si eos invenerint, ambo poenam iuxta legem susteneant. Nam culpa ad domino, cuius servus fuerit, non requiratur.

Petre, te appellat Martinus, quod Donata sua mundoalda secuta est Marcoardum tuum servum foras de hac provintia. — De torto.

194. Si quis cum ancilla gentile fornicatus fuerit, conponat domino eius solidos viginti; si cum romana ancilla conponat sold. duodicem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu adulterasti Mariam suam ancillam.

195. De crimen in puellam iniecto. Si quis mundium de puella libera aut muliere potestatem habens, excepto pater aut frater, et in animam ipsius puellae aut mulieris insidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradere voluerit, aut volentibus ad eius violentiam faciendam consensum praebuerit, aut consilium dederit, et provatur, ammittat mundium ipsius, et illa potestatem habeat de duas vias:

---

193. Notandum est, quedam edicta habere hanc litteram: « ambo penam luxurie iuxta legem sustineant » et quedam: « ambo penam sustineant iuxta legem ». Sed quando hec littera, que est: « ambo penam luxurie iuxta legem sustineant », tunc in hac lege dicemus, quod talem penam sustineant, qualem lex istius regis dicit, que est: « Si servus liberam mulierem aut puellam » (Roth. 221), scilicet, quod occidantur aut vendantur, ut ipsa lex dicit. Et si ibi fuerit tantum: « penam iuxta legem sustineant », tunc dicemus, quod retro respexit ad legem que est: « Si quis foras provinciam temptaverit » (Roth. 3); patiantur penam, quam ipsa lex dicit, scilicet quod interficiantur.

194. Hec rupta est de ancilla, quia secundum Romanam legem compositio illius fieri debet, in hoc quod dicit: « secundum ipsius legem, cui commisit negligentiam, emendet » (Pipin. 27). — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « componat domino eius solidos 20 » affirmatur a lege Liuprandi quae est: « Si servus cuiuscumque » et cetera (Liutpr. 103), in hoc quod dicit: « componat dominus servi, sicut in edicto de adulterio continetur ».

195. In hoc quod hec lex dicit: « excepto patre aut fratre » notari potest, quod pater filiam suam et frater sororem suam invitam ad maritum dare possunt. Hic obicitur: eodem modo potest dici, quod pater aut frater in anima ipsius puelle insidiari possunt. Quae nichil valet obiectio, quia non ideo dixit: « excepto patre aut fratre » quod ipsi in ipsius anima, filie sororisque, insidiari deberet — constans est enim, patrem aut fratrem tale facinus nolle perpetrare — sed eorum honoris causa dictum est. Et quod eas invitas ad maritum dare possint, videri potest tunc per hanc legem, ut superius diximus, tunc per legem Liuprandi que est: « Si puellam ante annos 12 sponsaverit » (Liutpr. 12), in hoc quod dicit: « pater aut frater potestatem habeat, cui aut in quali etate voluerit, ad dandum aut sponsandum filiam aut sororem suam ».

vult ad parentís reverti, vult ad curtem regis cum rebus suis propriis, quae ad eam per legem pertenent, se commendare, qui mundium eius in potestatem debeat habere. Et si vir ille ista crimina negaverit, liceat eum se pureficare, et mundium sicut habuit habere, si se pureficaverit.

Donne comes, date huic Mariae tutorem. — Dato, dic: Donne comes, ita dicit Maria insimul cum Petro suo tutore, quod iam per plures vices est ipsa vobis lamentata de Paulo de tali loco suo mundoaldo, quod misit ei crimen, quod adulterasset, aut insidiatus est in animam ipsius, aut voluit eam invitam ad maritum tradere, unde vos iam per plures vices ei mandastis per brevem aut per epistolam, quod ad placitum vestrum venisset, et ei iustitiam fecisset, et ipse noluit venire. — Maria, dicis tu ita? — Dico. — Et Petre, qui es suus tutor, dicis tu ita? — Sic dico. — Donne comes, recordamini vos ita? — Sic facio. — Et vos iudices, dicitis sic? — Sic dicimus. — Tunc debet interrogare comes iudices: dicite, quod precipit lex. Tunc iudices debent dicere legem. Tunc postea comes debet interrogare ipsam mulierem, et debet ei ita dicere: in cuius mundio vis esse? — Ipsa debet, si non habeat parentes, si vult, respondere: in mundio palacii. Tunc debet dicere unus iudicum pro eo qui vult eam accipere uxorem: senior comes, si a Deo est factum, pro hoc venit Martinus, quod ipse vult sponsare Mariam mundoaldam de palatio. — Venis propter hoc? — Sic facio. — Dona comiti vadiam quod tu fatias ei Mariae quartam portionem, de quanto nunc habes aut inantea adquirere potueris, tam de re mobili, quamque inmobili seu de familia, et si te subtraxeris, ut componas solidos mille. — Per istam spatam et istum wantonem ego sponso tibi Mariam mundoaldam de palatio, et ego vobis commendo eam usque modo. — Donne comes, dona ei vadiam, quod tu des ei ad legitimum coniugium Mariam mundoaldam de palatio, et mittas sub mundio cum omnibus rebus mobilibus et inmobilibus seu familiis; et tu, Martine, dona ei vadiam quod tu accipias eam, et qualis ex vobis se subtraxerit, componat solidos mille. — Fiat scripta quarta et fiat tradita ad feminam. — Senior comes, accipite illam mundoaldam de palatio et donate Martino ad legitimam uxorem ad habendum. — Sic facio. — Senior comes, propter hoc donat Martinus istam crosnam et istam lanceam et istum scutum ad habendum a domno imperatore per mundium Mariae mundoaldae de palatio, ut mittas eam sub mundium cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus seu familiis, quae ad eam

per legem pertinent, et, retento scuto et lancea, tradas ei hanc crosnam et mundium ad proprium. — Retinentur enim illa duo a comite. — Donne comes, precipite fieri noticiam.

Petre, te appellat Maria cum Donato suo tutore, quod erat tua mundoalda, cum insidiatus es in suam animam, aut misisti ei crimen, quod esset adulterata.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Aldam suam mundoaldam. — Mea mulier est. — Aut probet noticiam aut per testes aut per iudices, aut perdat feminam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est de parte Donatae, meae mulieris. — Aut probet per testes aut per noticiam aut per iudices, quomodo fuit sua mulier, aut perdat terram.

196. De crimen adulterii. Si quis mundium de puella libera aut muliere habens, excepto patre aut fratre, et crimen ei iniecerit, quod adulterassit, amittat mundium ipsius, et illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, vult ad parentis reverti, vult ad curtem regis se commendare, qui mundium eius in potestatem debeat habere. Et si vir ille, hoc crimen, dixissit negaverit, liceat eum se pureficare si potuerit, et mundium eius sicut habuit habere.

197. De crimen nefandum. Si quis mundium de puella libera aut muliere habens eamque strigam, quod est mascam, clamaverit, excepto pater aut frater, ammittat mundium ipsius, ut supra, et illa potestatem habeat, vult ad parentes, vult ad curtem regis cum rebus suis propriis se commendare, qui mundium eius in potestatem debeat habere. Et si vir ille negaverit, hoc crimen non dixissit, liceat eum se pureficare, et mundium sicut habuit habere, si se pureficaverit.

198. De crimen in puella iniectum qui in alterius mundium est.

---

196. Si mundoaldus mulieri, quam habet in mundio, crimen miserit, quia adultera sit, non debet mundium perdere, si adultera conprobata fuerit, sed potestatem habeat in ea dare vindictam per legem retropositam que est « Si puella aut mulier libera voluntarie » (Roth. 189), quia non intelligendum est, ut mundoaldus mundium debeat perdere de alia, nisi de ipsa, quae adulterata non est.

197. Hanc legem et alias supradictas, in hoc quod dicitur « liceat se purificare », dicebant antiqui iudices ruptas esse a lege istius quae est: « Si qualiscumque causa inter homines liberos evenerit » (Roth. 359), in hoc quod facit reum iurare cum 12, si litigium 20 solidorum fuerit. W. sed ita salvatur, ut in hoc quod dicit: « liceat ei se purificare » intelligendum sit secundum legem, scilicet quod se purificet cum 12, ut supradicta lex precipit. Et haec est causa, quare cum 12, iurare debeat, quoniam libere mulieris mundium 20 solidorum est, et mundoaldus eius mundium ammitteret, nisi se purificaret. Igitur purificandus est cum 12 iuratoribus.

198. Petre, te appellat Martinus, quod clamasti Albergam suam mundoaldam fornicariam. — Respondet: de torto me appellas. — Si dixerit, quod dixerit, sed per furorem, iuret, sicut lex precipit. Si dixerit: fornicaria est, faciat pugnam. — § 2. Petre, te appellat Martinus, quod tu clamasti Albergam suam mundoaldam strigam. — Si dixerit, quod dixit per furorem, ut lex precipit,

Si quis puellam aut mulierem liberam, qui in alterius mundium est, fornecariam aut histrigam clamaverit, et pulsatus penitens manefestaverit per furorem dixissit, tunc praeveat sacramentum cum duodecim sacramentalis suos, quod per furorem ipso nefando crimen dixissit, nam non de certa causa cognovissit. Tunc pro ipso vanum inproperii sermonem, quod non convenerat loqui, conponat solidos vigenti, et amplius non calumnietur. Nam si perseveraverit et dixerit se posse probare, tunc per camphionem causa ipsa, id est per pugnam ad dei iudicium decernatur. Et si provatum fuerit, illa sit culpabilis sicut in hoc edictum legitur [*cap.* 189]. Et si ille qui crimen misit, provare non potuerit, wergild ipsius mulieris secundum nationem suam conponere conpellatur.

Petre, te appellat Martinus, quod clamasti Albergam suam mundoaldam fornicariam. — De torto. — Si dixerit, quod dixerit per furorem, iuret, sicut lex commendat. Si dixerit: fornicaria est, faciat pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu clamasti strigam Albergam suam mundoaldam. — Si dixerit, quod dixerit per furorem, ut lex precipit, iuret. Si dixerit: striga est, fiat pugna secundum val.

199. Si vidua in domo patris regressa fuerit. Si pater filiam suam

---

iuret. — § 3. Notandum est, quod in hac pugna non debet fieri sacramentum de astu. — § 4. Si quis feminam strigam clamaverit et probare posse dixerit, statim widrigild componat, quia non erit ei probandi licentia, quoniam hec lex rupta est de lege Rotharis que incipit: « Nullus aldiam alienam » et cetera (Roth. 377), quia illic legitur: « nullatenus credendum est, ut mulier hominem vivum possit intrinsecus comedere »; et si non est credendum, tunc exinde non debet fieri pugna. Et licet de pugna strice sit rupta, tamen de widrigildo non est rupta. Ugo tamen dicit, non esse ruptam, quia in hoc quod hec lex dicit: « sit culpabilis sicut in edicto legitur » notari potest, quia hec lex aliunde non precipit pugnam fieri, nisi unde illa per Rotharis edictum [iudicatur esse culpabilis. Et quia per legem « Nullus aldiam » striga] non iudicatur esse culpabilis, igitur de striga non precipit pugnam fieri; et si non precipit pugnam fieri; tunc ab illa non est rupta hec lex. — § 5. In hoc quod dicit: « sit culpabilis, sicut in edicto est », recordatur legis retroposite: « Si puella libera aut mulier voluntarie » (Roth. 189) in hoc quod dicit: « potestatem habeant parentes in eam dandi vindictam ». Per quod potest videri, quod lex non precipit pugnam fieri de striga, sed de sola adultera, ut superius dixit. — § 6. Notandum etiam, in hoc quod dixit: « et si probatum fuerit, illa sit culpabilis, sicut in hoc edicto legitur » debet haberi duplex intellectus: scilicet, quod, si vidua vel puella adultera comprobata fuerit, statim in ea detur vindicta, ut lex retroposita precipit, in quam ista respexit; vel si maritata adultera comprobata fuerit, non in eum statim vindicta detur. Quia, si parentes eam purificare potuerint, quod, postquam virum ipsum accepit, hoc adulterium non perpetravit, nulla in ea dabitur vindicta, nec a parentibus nec a marito: a parentibus non dabitur, quia non est in eorum mundio; a marito non dabitur, quia, quando adulterata est, non erat in suo mundio. Sed si parentes exinde purificare non potuerint, tunc maritus in eam det vindictam, ut lex istius dicit quae est: « Si quis cum uxore sua alium fornicantem invenerit » et cetera (Roth. 212).

199. In hoc quod hec lex dicit: « et pater aut frater mundium eius liberaverit, sicut supra constitutum est » respexit ad legem retropositam que est: « Si quis pro libera muliere aut puella mundium dederit » (Roth. 183). — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « ut filia mittat in commune omne quod pater ei dedit, quando ad maritum ambulaverit » rupta est in parte a lege Astulfi que

aut frater sororem ad maritum dederit, et contigerit casus, ut ille maritus moriatur, et pater aut frater mundium eius liberaverit, sicut supra [*cap.* 183] constitutum est, et illa in domo patris aut fratris regressa fuerit, et alias sorores in casa patris aut fratris invenerit, et postea pater aut frater mortuos fuerit, et illa remanserit in domo cum alias sorores, una aut plures, et ad facultatem patris aut fratris venerint dividendam cum aliûs parentes aut curtem regis: tunc illa vidua, qui in domo patris aut fratris regressa est, habeat sibi in antea morgingab et metfyo. De faderfio autem, id est quantum de alia dona, quando ad maritum ambulavit, pater aut frater ei dedit, mittat in confuso cum alias sorores, et illa aliae surores una aut plures tollant unaquisqua in antea tantum, quantum pro mundium pater aut frater liberandum ad parentes mariti defuncti dedit. Reliqua patris vel fratris substantia aequa lanciae dividant, sicut in hoc edictum legitur [*cap.* 158 . . . 160]. Et si sola in casa remanserit, in quantum ei per legem competit, heres succedat.

Petre, te appellat Martinus agens causam suam et Mariae suae

---

est: « A nostris decessoribus » (Astulf. 4), quando illic legitur: « ut pater filiam suam tertia parte rerum suarum meliorare posset, si due fuerint »; et si potest eam tertia parte rerum suarum meliorare, tunc, si dederit ei solummodo tertiam partem rerum suarum vel minus, non debet poni in confusum, id est in commune; sed si plus dederit, quod plus est, ponat in confusum. Ugo: sed ita salvatur, ut hec lex loquatur de tali filia, quam pater specialiter meliorabat de tertia parte rerum suarum, sed hec secundum eum loquitur de tali filia, quam pater specialiter non meliorabat. Vel aliter: prout patri licet, solos filios secundum Deum servientes meliorare, ita solas filias secundum Deum servientes meliorare licet, et hoc expressim, non tacite; quia, nisi specialiter exprimeret, nulla melioratio esset, cum, si intestatus decederet, equaliter heredes succederent; quia, sicut lex solos illos meliorare concedit, quam lex narrat Astulfi, ita de filiabus observari voluit. — § 3. In hac lege legitur: « quantum ei competit per legem, heres succedat », id est tertiam partem, ut leges dicunt, que statim post: « Omnis parentela » (Roth. 159) sunt posite. Sed et hec rupta est a legibus Liuprandi (Liutpr. 1-4) in initio positis, quoniam illic legitur, ut filie vel sorores in hereditatem patris vel fratris tamquam filii legitimi succedant. — § 4. Hec lex dicit, quod vidua debet partem suam in confusum ponere: sed maritata secundum quosdam nichil ponat in confusum, quia, cum hec lex non facit mentionem de maritata et lex Liuprandi (Liutpr. 3), que advocavit tam maritatam ad successionem quam viduam, non dixit, quod maritata poneret partem suam in confusum, tunc intelligendum est, quod non debeat in confusum ponere. Sed male intellegeretur, quia, cum Rotharis per hanc legem que est: « Si pater filiam suam aut frater sororem » (Roth. 181), in hoc quod dicit: « amplius non requirat », expulit maritatam a successione patris vel fratris, sed per hanc legem viduam ad successionem vocavit et fecit eam faderfium conferre, et postea maritatam Liuprandus ad successionem vocavit: procul dubio intelligendum est, quod Liuprandus cum Rothare exinde concordavit, scilicet quod debeat faderfium in confusum ponere veluti vidua. Per legem Novellarum quoque tam maritata quam vidua phaderfium in confusum debet ponere, que est: « Si quis pró filia » (Julian. Nov. 34, 6). Similiter sit in donatione propter ante nuptias, quam pater pro filio dederit secundum quosdam. — § 5. Petre, hoc te appellat Martinus agens causam sue mulieris Marie, quod, quando Albertus, tuus socer et suus, dedit Rebeccam tuam coniugem ad priorem maritum, dedit ei solidos 100 in phaderfium, et fuit mortuus ipse maritus, et dedit ei solidos 100 liberandum mundium, et ipsa regressa fuit in casa patris: modo pater mortuus est; vult, quod sua mulier tollat inantea tantum de communibus rebus, quantum pro mundio datum fuit, et phaderfium mittat in commune sororis.

mulieris, quod, quando Donatus, tuus socer et suus, dedit Albergam tuam coniugem ad priorem maritum, dedit ei 100 solidos in faderfium et fuit mortuus ipse maritus, et dedit ei 100 solidos, liberando mundium, et ipsa regressa fuit in casam patris: modo mortuus est pater; vult, quod sua mulier tollat inantea tantum de communibus rebus quantum pro mundio datum fuit, et faderfium mittat in commune sorori.

200. De occisione mulieris. Si maritus uxorem suam occiderit inmerentem, quod per legem [*cap.* 202. 211. 212] non sit merita mori, conponat solidos mille duocentûs, medietatem illis parentibus, qui eam ad maritum dederunt, et mundium susciperunt, et medietatem regi, ita ut per actorem regis distringatur, et poena suprascripta conponatur. Et si filiûs de ipsa muliere habuerit, habeant filii morgingab et faderfyo matris suae mortuae. Et si filiûs ex ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes, qui eam ad maritum

---

200. In hoc quod hec lex dicit: « Si maritus uxorem suam occiderit inmerentem, que per legem non sit merita mori, componat solidos 1200 », dicebat B. (Bonifilius?), quod, si aliquis uxorem suam occiderit nolendo, quia non est merita mori per legem, quod debebat componere ei solidos 1200. Sed male dicebat, quia hec lex de alio non loquitur homicidio nisi de eo quod factum erat volendo, quod potest videri in hoc quod edicta antiquissima habebant talem litteram scilicet: « si maritus uxorem suam per quamlibet occasionem occiderit inmerentem » et cetera. Et etiam lex statim sequens que est: « Si quis puellam » (Roth. 201) ostendit, quod hac lege debet esse « per quamlibet occasionem », in hoc quod illic est: « per quamlibet occasionem », et in hoc quod ibi fit similis compositio: quia nulla ratio esset, quod aliquis componeret tantum pro uxore sua nolendo occisa, quantum debet componi pro aliqua femina ab aliquo volendo occisa. Et si hoc esset, quod B. dicebat, hec alia iniquitas inde procederet, scilicet quod pro uxore sua componeret solidos 1200, et pro alterius uxore non componeret solidos mille 200, nisi septem libras et dimidiam, ut lex retroposita ostendit que est: « Si infans in utero » et cetera (Roth. 75). — § 2. Notandum est quod « parentibus » in hac lege positum est pro parente mundoaldo et pro extraneo, quod videri potest in hoc quod statim lex: « Si quis puellam » et cetera (Roth. 201) dicit: « et medietatem parentibus aut ad quos mundium de ipsa pertinet ». — § 3. In hac lege legitur: « et mundium susceperint »; id est pretium propter mundium. — § 4. Notandum est quoque, quod « filios » posuit in hac lege pro omnibus descendentibus. — § 5. Multi iudices dicunt, quod, si maritus uxorem suam occiderit, non vadit morgincap ad parentes, ideo quia ibi legitur: « revertatur »; cum morgincap non potest reverti ad parentes, quia ab illorum parentibus non venit. Sed eorum sententia a multis legibus reprehenditur; legitur enim in Digestis; « reddendi verbum, licet retro dandi habet significationem, tamen et per se dandi significationem recipit » (Dig. L, 16, 94). Per legem quoque Longobardam videri potest, quod « revertatur » aliquando in sua propria significatione non ponitur, immo pro « deveniat », veluti in lege Rotharis retroposita, que est: « Si fuerint filii legitimi et filii naturales » et cetera (Roth. 162). — § 6. Si non fuerint « parentes, qui eam ad maritum dederint », intelligendum est, ut alii parentes similiter compositionem accipiant. — § 7. Si femina a marito occisa filios tantum reliquerit et sanctimonales parentes, substantia mulieris filiis detur, et compositio integra detur regi. Huic sententiae opponi potest, quod regi non fuit data integra compositio, nisi tunc tantum quando facultatem habuit. Ideoque dicitur a quibusdam, quod filii medietatem compositionis adquirere possint, sic argumentandum: quemadmodum parentibus filiorum absentia morgincaph et faderphium acquiritur, ita filii absentia parentum compositionis medietatem adquirere possunt. Quod non valet, quia, si haec esset legis voluntas, tunc deficientibus parentibus compositionis medietas filiis specialiter attributa esset, quemadmodum parentibus morgincaph et phaderfium deficientibus filiis specialiter attribuitur.

dederunt. Et si parentes non fuerint, tunc ipsa conpositio et praedicta facultas ad curtem regis perveniat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti inmerentem Mariam tuam uxorem et suam filiam. — Si negat, iuret sicut lex retro (Roth. 166) *commendat. Sed potest dicere: non occidi, quod per legem emendare debeam. — Si dixerit, quod invenisset eam fornicantem, aut probet secundum quosdam, aut emendet.*

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Mea est per successionem Albergae meae uxoris. — Non debes eam succedere, quod interfecisti eam inmerentem. — Et ita probet secundum quosdam; sed iurabunt secundum valentes. — Nam iurabunt, quia non licet eam interficere ad suum libitum, sed rationabiliter.

201. De muliere libera asto occisa. Si quis puellam aut mulierem liberam per qualibit occasionem occiderit, conponat solidos mille duocentûs, medietatem parentibus, aut ad quem mundius de ipsa pertenit, et medietatem regi. Et si parentes non habuerit, tunc ipsa conpositio in integrum ad curtem regis perveniat; sic tamen, si asto animo, id est volontariae occiserit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti per tuam voluntatem Albergam suam mundoaldam.

202. Si mulier in morte mariti sui consiliaverit per se aut per

---

201. In hoc quod hec lex dicit: « componat solidos 1200 », rupta est a lege Grimoaldi quae est: « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3), quia ibi legitur, quod debet dominus servi componere 60 solidos et tradere servum ad occidendum. Sed opponi posset, quod ab illa non rumpitur; quia ipsa lex alias leges non dicitur rumpere, nisi illas quibus dominus servi nongentos solidos debet componere. Et male opponitur, quia, cum Grimoaldus rumpit leges retropositas, quibus dominus servi 900 solidos debet componere ob magnitudinem compositionis, multo melius intelligendum est, quod ipse hanc rumpit, qua dominus servi pro eo debet componere 1200 solidos

202. In hoc quod hec lex dicit: « sit in potestate mariti, de ea facere quod voluerit », rupta est a capitulo Lotharii quod est: « Nulli liceat, excepta causa fornicationis » (Loth. 95). — W. (Wilihelmus?): salvatur ita, ut lex ipsa loquatur tantummodo de tali femina, que ita « dimittebatur », quod ei se postea poterat sociare, quod videri potest in hoc quod dicit: « alioquin transgressori convenit priori sociari coniugio ». Sed hec erat talis, quam occidere vel vendere poterat; et postquam vel vendita esset vel occisa, non poterat ei se sociare. — Ugo: sed affirmatur rupta esse, quia melius non poterat eam dimittere, quam si hanc occiderit vel vendiderit. — § 2. Non intelligendum, ut per hanc legem positum sit in electione parentum, qualicumque modo vellent mulierem purificare, aut per pugnam aut per sacramentum », quamvis hic dicat: « liceat parentibus eam purificare, aut per pugnam aut per sacramentum ». Sed ita est intelligendum: si per pugnam maritus appellaverit, liceat parentibus per pugnam eam defendere; si per sacramentum, liceat eis parentibus per sacramentum defendere. Et hoc videri potest per legem Liuprandi que est: « Si quis alium astu compellaverit » (Liutpr. 70), quia in hoc quod dicit: « que solet fieri per pravas personas », id est per appellatores, tunc ideo quia inferius dicit: « et si hoc iuraverit, postea vadat exinde ad pugnam », dat nobis intelligere, quod in appellatoris electione erat de omnibus pugnis faciendi retro positis, quia, si de astu iurare nollet, pugna inde non fieret.

supposita persona, sit in potestatem mariti de ea facere quod voluerit; simul et de res ipsius mulieris. Nam si illa negaverit, liceat parentibus eam pureficare, aut per sacramentum, aut per camfionem, id est per pugna.

Donne comes, hoc dicit Martinus, quod, postquam ille sociavit Albergam sibi in coniugio, consiliata est de sua morte. — Quid dicis tu, Alberga? — Non sum sua mulier. — Aut dicat, qualiter sit sua mulier, aut nichil sit. — Si manifestaverit esse, debet dicere iudex: femina, dicis tu propter timorem aut suasionem de tuo marito? — Si dixerit: non feci, fiat appellatio ad parentem ita: Petre, te appellat Martinus, quod, postquam sociavit sibi in coniugio Albergam tuam filiam, consiliata est de sua morte. — De torto me appellat. — Si dixerit: feci, fiat ut legitur in lege.

203. Si mulier maritum suum occiderit, ipsa occidatur, et res eius, si filii non fuerint, parentes mariti habeant potestatem.

Alberga, te appellat Martinus, quod tu occidisti Marcoardum suum patrem aut Marcoardum suum fratrem.

204. Nulli mulieri liberae sub regni nostri ditionem legis lango-

---

203. Notandum est, quod a quibusdam dicitur: si mulier de morte mariti inculpata fuerit et ipsa negaverit, quod parentes eam purificare debent per pugnam, quia, cum lex superior (Roth. 202), facit eam purificare per pugnam si inculpata fuerit de consilio mortis mariti, melius debet purificare per pugnam, si de morte eius inculpata fuerit et negaverit. Sed male dicebant, quia capitulum Karoli prohibet pugnam fieri in omnibus iudiciis, in quibus specialiter non est expressum, ut pugna fiat, quod est: « Ut nullus presumat hominem ad iudicium ponere, nisi iudicatus fuerit » (Karol. M. 110), subaudi: « a lege ».

204. In hoc quod dicit: « neque aliquid de rebus mobilibus aut inmobilibus sine voluntate illius in cuius mundio fuerit habeat potestatem donandi aut alienandi » in parte rupta est a Liuprandi lege que est: « Si qua mulier res suas consentiente viro suo » (Liutpr. 22), in hoc quod dicit, mulierem posse vendere cum consensu comitis aut mariti, si fuerit interrogata a parentibus, et non posuit differentiam, sive esset in mundio mariti, sive non. Ugo: sed ita salvatur, ut non intelligatur, quod maritus eam non mundiasset, cum per capitulum Widonis commutare, liberare, donare valet, quod est: « Concedimus etiam, ut sicut mulieres » (Wid. 8). — § 2. Iudicum antiquorum quidam dicunt, aliquem non esse virum, nisi 18 annos habuerit; ideo scilicet, quod lex Liuprandi dicit: « Hoc prospeximus ut intra 18 annos non sit legitimus homo ad res suas alienandum » (Liutpr. 19), et si non est legitimus homo, non est vir. Alii dicunt, aliquem virum esse postquam 14 annos habuerit, quia capitulum Caroli quod est: « Illud preterea omnino precaventes » (Karol. M. 140) ostendit, quod, postquam 14 annorum fuerit, possit coniugem accipere, in hoc quod dicit: « nullus presumat, ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare », que pubertas dicitur 14 annorum per legem Romanam (Inst. I, 22 pr.): et quicumque coniugem accipit legitime, vocatus est vir per legem Liutprandi « Si qua mulier consentiente viro suo ». Ideoque dicebant iudices ipsi, quod si quis Longobardus moreretur et fratres relinqueret vel alios parentes et filios et filias, etiamsi filii essent 10 annorum, quod filie essent in potestate fratrum vel aliorum parentum et non filiorum; quia qui decem annorum sunt solummodo, viri non nominantur. Et alii sunt qui dicunt, quod in hac lege positum est « virorum » tam pro pueris quam pro viris, quod confirmatur per similitudinem capituli Pipini quod est: « Monasteria virorum ac puellarum » (Pipin. 3); ibi enim positum est « virorum » tam pro viris quam pro pueris, quia nulla ratio esset, quod pueri non distringantur vivere secundum regulam, quemadmodum viri. Et etiam in usu habetur, quod, si quis Longobardus feminam aliquam in suo mundio habens mortuus fuerit, ipse qui ad successionem venerit ad mun-

bardorum viventem liceat in sui potestatem arbitrium, id est selpmundia vivere, nisi semper sub potestatem virorum aut certe regis debeat permanere; nec aliquid de res mobiles aut inmobiles sine voluntate illius, in cuius mundium fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi.

Petre, te appellat Maria cum Dominico suo mundoaldo, quod tu tenes sibi malo ordine terram in loco tali. — Ecce cartam, quam michi fecisti de ipsa terra. — Si carta manifestat, quod fecisset sola, et manifestat, quod est Longobarda, fiat taliata. Si manifestat unum mundoaldum, aut probet, quomodo alii mundoaldi partem suam de mundio fecerunt ipsi mundoaldo, aut perdat terram. Si carta manifestaverit, quod femina vivat secundum legem Romanam, aut probet, quod vivat secundum legem Longobardorum, aut det penam de cartula.

205. De haldia violentiata. Si quis haldiam alienam, id est qui iam de matre libera nata est, violentiam fecerit, conponat solidos quadraginta.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti violentiam ad Mariam suam mundoaldam, quae erat de matre libera nata.

206. De liberta violentiata. Si quis libertam alienam, id est ipsa persona, qui libera dimissa est, violentia fecerit, conponat solidos vigenti.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti violentiam ad Mariam suam libertam vel ad Mariam suam ancillam.

207. De ancilla violentiata. Si quis ancillam alienam violentiaverit, conponat solidos vigenti.

208. De raptu. Si quis rapuerit haldiam alienam, et in curte alterius duxerit, et sequens dominus aut parentes eius: et cui curtis

---

dium quoque illius femine accedat, quicumque sit, puer vel vir. — § 3. Si qua mulier ens in mundio duorum virorum vel quam plurium cum consensu unius vel alterius mundoaldorum terram vendiderit, queritur, si venditio valeret? Vel (Wilihelmus?): quod sic solvitur: si venditio facta fuit cum consensu unius et absque voluntate alterius, vel cum consensu duorum aut trium et absque duorum aliorum voluntate, quod ex toto vacuari debet. Sed a quibusdam dicitur, quod debeat valere; quia, licet quamplures homines mundium alicuius mulieris communiter habent, et unus illorum tantum ad maritum dederit absque voluntate aliorum, coniugium tamen valere dicitur; et quemadmodum coniugium valet, ita et venditio. Que similitudo a quibusdam dicitur non valere, quia illud tale coniugium valet usu, et hic usus non est contra legem; sed illa venditio non valet usu; etiamsi usus esset, usus contra legem tamen esset (Pipin. 33), quia, licet consensu unius mundoaldi vendidisset, tamen sine consensu mundoaldi vendiderat. Et ideo venditio non valere asseritur. Et secundum alios dicitur valere ista vendicio in tot partibus, quod mundoaldi fuerunt qui consenserunt.

205. Notandum est, quod in hac lege et in duabus statim sequentibus violentiam tantum pro raptu ponitur: quod potest videri per tres statim sequentes leges (Roth. 208-210) quae de raptu loquuntur

fuerit, antesteterit et non permiserit vindicare aut foris extrahere, conponat solidos quatragenta, medietatem regi et medietatem cui fuerit liberta.

Petre, te appellat Martinus, quod Marcoardus rapuit Donatam suam aldiam aut ancillam suam, et adduxit eam in cortem tuam, et tu non permisisti eam vendicare aut foras extrahere.

209. De ancilla rapta. Si quis rapuerit ancillam alienam, et in curte alterius duxerit, et sequens dominus aut parentes eius: et cui curtis est antesteterit et non permiserit vindicare, conponat qui antesteterit solidos vigenti, medietatem regi et medietatem cui ancilla fuerit.

210. De rapto qui in curtem regis duxerit. Si quis rapuerit haldiam aut ancillam alienam et in curtis regis duxerit, et sequens dominus aut quicumque ex amicis aut servis: et gastaldius aut actor regis antesteterit, pro haldia de suis propriis rebus conponat illi, cuius haldia fuerit, solidos quadragenta, pro ancilla solidos vigenti.

Martine advocate de parte publica, te appellat Petrus quod Marcoardus rapuit Mariam suam aldiam aut ancillam, et duxit eam in cortem regis, et tu non permisisti eam vendicare aut foras extrahere.

211. Si quis uxorem alterius tulerit. Si liber aut servus uxorem alterius tulerit, eamque sibi in coniugium sociaverit, ambo occidantur, si tamen ambo consenserint.

Petre, te appellat Martinus, quod tu sociasti tibi in coniugio Mariam suam uxorem, aut Marcoardus tuus servus.

212. Si quis cum uxorem suam alium fornicantem invenerit. Si quis cum uxorem suam alium fornicantem invenerit, liberum aut servum, potestatem habeat eos ambos occidendi; et si eos occiderit, non requirantur.

213. De crimen adulterii. Si quis alii de uxorem suam crimen miserit, quod cum ea fornicassit, liceat ei cui crimen mittitur, aut

---

213. [In eo quod hec lex dicit: « liceat ei cui crimen mittitur aut per sacramentum aut per camphionem se purificare », dicebant quidam, quod hec lex non loquatur de servo concurbitato, ideo quia servus in iudicio interesse non potest, nec per sacramentum vel per pugnam appellare]. Sed male dicebant; quia hac occasione si velles dicere, quod hec lex de servo concurbitato non sit loquuta, cum simili occasione dici potest, quod non esset loquuta de servo concurbitante, cum nec sacramento nec bello possit se defendere. Intelligendum est igitur, quod hec lex de utroque, scilicet de concurbitato et concurbitante, sit loquuta, quemadmodum superior lex, que est: « Si quis cum uxore sua » et cetera (Roth. 212), et de utroque est locuta. Quia intelligendum est, quod dominus pro servo suo crimen imponere et bello aut sacramento eum defendere debet.

per sacramentum, aut per camfionem se purificare; et si probatum fuerit, animae suae incurrat periculum.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu adulterasti Mariam suam uxorem.

214. Si quis liberam puellam absque consilio parentum aut voluntate duxerit uxorem, conponat, ut supra, anagrift solidos XX et propter faida alios vigenti. De mundio autem qualiter convenerit, et lex habet; sic tamen si ambo liberi sunt.

215. De sponsata mortua. Si quis puellam aut viduam sponsatam habuerit, et contigerit casus ut ipsa ante moriatur quam a patre, aut qui mundium eius potestatem habet, tradita fuerit: tunc meta, quae data fuerat ab illo sponso, reddatur ei, tantum quantum in ipsa meta dedit. Nam alias res illius sint, qui mundium eius in potestatem habere videtur, eo quod ante traditionem mortua est.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse sponsavit Mariam tuam mundoaldam et dedit ei in sponsalicio solidos 100, et mortua est, et praecipit lex, quod ipse debet recipere quod dedit.

216. Si haldius uxorem libera tulerit. Si haldius cuiuscumque libera uxorem tulerit, id est fulcfrea, et mundium de ea fecerit, po-

---

214. Notandum est in hoc quod hec lex dicit: « sic tamen ut ambo liberi sint », datur intelligi, quod inter servum et liberam non potest esse coniugium. — § 2. Item in hoc quod dicit: « componat anagrip solidos 20 » affirmat legem retropositam quae est: « Si puella libera aut vidua sine voluntate » (Roth. 188).

215. In hoc quod hec lex dicit: « nam alie res illius mulieris sint illius qui mundium in potestate habere videtur, eo quod ante traditionem mortua est », et non posuit differentiam, sive haberet sororem que patri et matri successit sive non, rupta est in parte a lege Liuprandi: « Si sorores in casa patris » et cetera (Liutpr. 14) in hoc quod dicit: « et si contigerit unam ex hisdem sororibus mori, tunc que in capillo remanserint et que ad maritum ambulaverint in omni parte sorori sue defuncte, quamvis puella mortua fuerit, succedat ». — § 2. Item in hoc quod dicit: « nam alie res mulieris ipsius sint qui mundium in potestate habere videtur, eo quod ante traditionem mortua est », dicunt quidam, quod per solam traditionem adquirebatur mundium. Sed male dicebant: quia per legem Liuprandi ostendi potest, etiamsi tradita sit, quod non est mundiata, in lege que est: « Si aldius cuiuscumque » (Liupr. 138), in hoc quod dicit: « ad maritum eius componat, etiamsi non habet mundiatam » et traditam. — § 3. Hec lex de sponse et non de sponsi morte ante coniugium loquitur; sed in Codicis quinti libri de utriusque morte idem precipitur: « arris sponsaliorum nomine datis, si interea sponsus vel sponsa decesserit, que data sunt iubemus restitui, nisi causam, ut nuptie non celebrentur, defuncta persona iam prebuit » (Cod. V, 1, 3). In alio vero eiusdem Codicis capitulo dicitur: si sponsus sponsam osculatus ante coniugium mortuus fuerit sponsaliorum medietatem sponsa pro osculo retineat, altera medietas defuncti sponsi reddatur heredibus (Cod. V, 3, 16).

216. In hac lege « fulfreal » pro libera nascendo ponitur et non liberta, sicut a multis iudicibus dicitur, quia, si in hac lege et fulfreal positum esset pro liberta, cito in parte rupta esset hec lex a lege istius hic prope posita que est: « Si aldius cuiuscumque aldiam aut libertam » (Roth. 218), qua in lege legitur: « sint filii aldiones sicut et pater ». Et alia ratione videri potest, quod fulfreal positum est in hac lege pro libera nascendo, quia, si pro liberta poneretur, non diceret hec lex: « et parentes eius ad se recolligere neglexerint », cum liberta parentes non dicitur habere. — § 2. In hoc quod dicit: « et noluerint in ipsa domo patris residere, res paternas dimittant »; dat intelligi, quod, si vellent in ipsa casa patris residere, res paternas habeant.

steaque filios habens maritus mortuos fuerit: si mulier in ipsa casa noluerit permanere, et parentes eam ad se recollegere voluerint, reddant praetium, quod pro mundium ipsius mulieris datum est illis, cuius haldius fuit. Tunc illa absque morgingab aut aliquid de rebus mariti revertatur sibi ad parentes suos cum rebus, si aliquas de parentes adduxit. Et si filii de ipsa muliere fuerint, et noluerint in casa patris sedere, res paternas demittant, et mundium pro se reddant, quantum pro matre eorum datum est, et vadant sibi ubi voluerint liberi.

Maria cum Dominico tuo tutore, te appellat Martinus, quod tu es sua aldia, et malo ordine te subtrahis de sua aldiaeritia. — Libera femina sum nascendo; et tibi quid pertinet? — Aldius meus sociavit te in coniugio et fecit mundium de te. — Aut probet, quod fecisset mundium, aut taceat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus aldius, et malo ordine subtrahis te de sua aldiaricia. — Liber sum nascendo; et tibi quod pertinet? — Aldius meus sociavit matrem tuam in coniugio et fecit mundium. — Aut probet mundium, aut taceat.

Sed ita fit responsio: vere es libera nascendo, sed esse debes aldia, quia aldius meus, et caetera.

217. De haldia qui servum maritum tulerit. Si haldia aut liberta in casa aliena ad maritum intraverit et servum tulerit, libertatem suam amittat. Et si dominus neclexerit eam replecare ad servitium, mortuo tamen marito, vadat sibi una cum filiis suis et cum omnis res suas, quantas in tempore, quando ad maritum intravit, secum adduxit. Nam amplius nulla consequatur: vitium suum reputit, quia servum consensit.

Maria cum tuo tutore Petro, te appellat Martinus, quod tu es sua ancilla, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Libera sum per cartam, quam tu michi fecisti. — Tu debes perdere libertatem, quia intrasti in casam Marci et servum eius tulisti ad maritum. — Non feci. — Aut probet, aut taceat. — Si dixerit: tu misisti neglegentiam replicare me ad servitium vivente ipso servo, si potuerit, probet quod misit neglegentiam; si non potuerit, iuret dominus, quod non misit neglegentiam et fiat ancilla.

---

217. Maria cum tutore Petro, te appellat Martinus, quod tu es sua ançilla et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Respondet: libera sum per cartulam, quam tu michi fecisti. — Respondet: libertatem perdere debes, quia intrasti in casam Dominici et servum eius ad maritum tulisti. — Respondet: non est verum. — Aut probet aut taceat. Si dixerit: tu misisti neglegentiam replicare me ad servitium vivente ipso servo, si potuerit, probet, quod misit neglegentiam; si non potuerit, iuret dominus, quod non miserit neglegentiam, et fiat ancilla.

218. Si haldius haldiam uxorem tulerit. 'Si haldius cuiuscumque haldia aut liberta uxorem tulerit, si filius ex ipso coito habuerit, patri sequantur: sint haldii quales et pater.

219. Si haldius ancillam suam aut alterius tulerit ad uxorem, filii qui ex ea nascuntur, sint servi cuius et mater ancilla.

220. Si ancilla cuiuscumque in casam alterius ad maritum intraverit et servum tulerit, nihil de ipsa casa marito mortuo consequatur, nisi quantum secum adduxit.

221. Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi in coniugium sociare, animae suae incurrat periculum, et illa qui servum fuerit consentiens, habeant parentes potestatem eam occidendi aut foris provincia transvindendi, et de res ipsius mulieris faciendi quod voluerint. Et si parentes eius hoc facere distulerint, tunc liciat

---

218. Hec lex in partem rupta est et affirmata a lege Liuprandi que est: « Si aldius cuiuscumque aldiam » (Liutpr. 125); rupta est ex hoc quod dicit: « et mundium ex ea non fecerit, sint filii eius aldii cuius et mater fuerit », affirmata ex hoc quod dicit: « nam postquam mundium fecerit et filii nati fuerint, sicut anterius edictum continet, patrem sequantur ».

221. In hoc quod dicit: « servus animae suae incurrat periculum » et non posuit differentiam, sive intra annum sive post annum, rupta est in parte a lege Liuprandi quae est: « Si mulier libera aut puella servum tulerit » et cetera (Liutpr. 24) et a capitulo Lotharii quod est: « Si cuiuscumque servus liberam feminam » et cetera (Loth. 75), quoniam post transacti anni spatium servus non debet mori secundum Liuprandi legem et Lotharii capitulum. Salvari autem potest hoc modo, ut hec lex intelligatur tantum servum precepisse mori inter anni spatium, ut postea in Liuprando determinatum est. — § 2. Item hec lex in hoc quod dicit: « et illam, que servo fuerit consentiens, habeat eam parentes potestatem occidendi aut foras provinciam transvendendi » et non posuit differentiam, infra quem terminum hoc facere possint, in parte rupta est secundum antiquos iudices a lege Liuprandi predicta, que non vult, ut ipsa moriatur post transactum spatium anni. Sed non est ruptura, immo determinatio. — § 3. In hoc quod dicit: transvendatur et, si parentes eius facere distulerint, facit illam fieri ancillam palatii, inde affirmata est a lege Liuprandi, que est: « Si mulier libera », in hoc quod dicit: « ancilla palatii sit ». Quae utreque exinde in parte rupte sunt a capitulo Lotharii quod est: « Si cuiuscumque servus est » et cetera, si intra anni spatium ad vindictam ambo traditi non fuerint, quia illic legitur, ut illa, que intra anni spatium ad vindictam tradita non fuerit, efficiatur ancilla domini servi. — § 4. Notandum est, quod hec lex de libera nascendo tantum loquitur, quia, si loqueretur de libertina, iam rupta esset superior lex quae est: « Si aldia aut liberta » (Roth. 217), que libertam non facit mori, si servo copulaverit, immo eam revocat ad servitium prioris domini, si dominus exinde eam appellaverit illo servo vivente quem tulit. Solet igitur Guilihelmus volens alios reprehendere in hac lege tale placitum ponere: si libertina filios legitimos ex libero viro habuerit, et mortuo marito sibi in coniugium servum copulaverit, queritur, si filii eius vel alii parentes eam occidere debent? Quod si quis affirmaverit, male diceret, quia haec lex de liberta non loquitur, ut superius dictum est. — § 5. Quaeritur, si domina servum in coniugium acceperit vel adulteraverit, quid inde fieri debeat? et dicitur, quod hec lex neque illa Liuprandi nichil inde dicat, quod in hoc videri potest, quia in Liuprandi lege legitur: « aut dominus servi compleverit intra anni spatium, quod anterius edictum continet »: sed hic servus nullum habet dominum nisi dominam, quam in coniugium acceperit, que in semetipsam aut in servum illum vindictam non daret. Per Lotharii quoque capitulum quod est: « Si cuiuscumque servus liberam feminam » videri potest, quod nichil inde dicat, in hoc quod dicit: « ut in potestatem et in servitium domini illius cuius servus fuerit ambo revertantur ». Sed hic servus non poterat reverti in potestatem dominae suae, quia adhuc servus erat, et ipsa non poterat fieri ancilla sui ipsius, ut capitulum dat intelligi. Eundum est igitur per Romanam legem, quae omnium est generalis, quia in Codice legitur in 9° libro, quod servus ille comburi debet, illa vero occidi, in lege quae est: « Si qua cum servo occulte rem habere detegitur, capitali sententie subiungentur, tradendo ignibus »

gastaldium regis aut sculdhais ipsam in curte regis ducere et in pisele inter ancillas statuere.

Maria insimul cum Dominico tuo tutore, Petrus te appellat, quod tu es sua ancilla, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Libera sum nascendo; et tibi quid pertinet? — Tu te sociasti in coniugio cum Marcoardo meo servo, et est transitus annus. — Si dixerit, non me sociavi, aut non feci me sciente, aut non est transitus annus, aut probet qui appellat, aut taceat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Mariam suam mundoaldam. — Ipsa Maria mea ancilla est. — Quid tibi pertinet? — Sociavit se in coniugio Marcoardo servo meo. — Non sociavit, aut non fecit se sciente, aut non est transitus annus. — Aut probet dominus servi, aut perdat feminam. Si dixerit pa-

---

(Cod. IX, 11). — § 6. Sciendum quoque, quod iudices antiqui asserunt: si qua mulier, cuiuscumque nationis sit, servo cuiuslibet se copulaverit in coniugio, sive parentes eius ei dedissent sive non, sive in ea neglexissent dare vindictam sive non, sive esset Longobarda sive non, quod post transactum anni spatium sit ancilla illius cuius servus fuerit per capitulum Lotharii: « Si cuiuscumque servus liberam ». Sed a veritate plurimum deviare videntur. Illud enim capitulum non loquitur nisi de Longobarda; quod videri potest in hoc quod ibi legitur: « sicut lex — subaudis Longobarda — tales personas nostro fisco sociabat ». — § 7. Item errant in hoc, quod illam, quam parentes servo dederunt, per illud capitulum ancillam domini servi post transacti anni spatium esse asserunt; cum predictum capitulum aliam fieri ancillam domini servi non precipiat, nisi quam edictum fisco sociat. Sed edictum aliam fisco non sociat, nisi que absque voluntate parentum se servo copulaverit, quod videri potest in hoc quod dicit: « et illam que servo fuerit consentiens habeant parentes eius in potestatem occidendi aut vendendi et de rebus suis faciendi quod voluerit ». Rex enim non adeo esset stultissimus, quod predictam potestatem concederet, qui eam servo dederunt, parentibus. Contra hoc sic opponitur: non ob hanc causam rex est vocandus stultissimus; consimile enim dictum eius in Liuprandi lege que est: « Si quis dixerit coniugi sue licentiam dando » (Liutpr. 129) referre possumus: nam quod ibi legitur, quod vir uxorem suam potest interficere, licet eius precepto cum alio vadat concumbere. Quae oppositio non valet, quia illud coniugium erat legitimum, sed istud erat contra legem, et vir ipse exinde penas sustinebat, sed isti parentes exinde penam non habebant. Videri quoque potest per legem istius retropositam, que est: « Si quis filiam aut quamlibet parentem » (Roth. 182), quia hec lex, que est: « Si servus liberam mulierem » non loquatur nisi de illa, que absque parentum voluntate se servo copulaverat, in hoc quod ibi legitur: « si ipse eam male habuerit aut tractaverit, quod mundium debeat perdere ». Sed mala tractatio est, si mundoaldus mundoaldam suam servo tradiderit, quod potest videri per legem Liuprandi, quae est (Liutpr. 119): « Continet autem anterius edictum de frea sua », quae exposuit, qualiter Rotharis intellexit: « male tractaverit ». Et posset tamen dici, quod alii proximi parentes eius mundium habeant, cum femina sine mundio esse non valet; et ipsi alii parentes predictam potestatem de ea habeant, et sic potest dici: esse cum voluntate parentum. — § 8. Item ex hoc quod dicunt, quod illa sit ancilla domini servi, non ponentes differentiam, sive parentes eius neglexissent in eam dare vindictam sive non, male dicunt. Sepe enim contingit, quod non habent neglegentiam dare vindictam, et, cum non neglegunt, non fit ancilla: quia tunc tantum fit ancilla, quando parentes neglexerint dare vindictam. Sed qualiter non neglegunt, hoc modo contingere potest: veluti si non audent in eam dare vindictam, vel non possunt propter dominorum vel servorum asperitatem. Et etiam dicitur ab Ugone, quod non habeant neglegentiam, si ignoraverint, se debere dare vindictam per legem. Ideo tunc tantum dicuntur habere neglegentiam dandi vindictam, quando audent dare et non dant, et quando sciunt se per legem dare debere et non dant, sive appellatio sit inde facta vel non. Sed Wilihelmus dicit, quod ante appellationem minime committitur neglegentia: minime, quia « invitus agere vel causare nemo cogitur » (Cod. III, 7).

rens feminae, quod fuisset paratus infra annum dare vindictam, probet; sed melius est, ut dicat, quod non misit neglegentiam.

222. De ancilla matrimonii gratia. Si quis ancillam suam propriam matrimoniare voluerit sibi ad uxorem, sit ei licentiam; tamen debeat eam libera thingare, sic libera, quod est vurdibora, et legetimam facere per gairthinx. Tunc intellegatur libera et legetima uxor, et filii qui ex ea nati fuerint, legetimi heredes patri efficiantur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per successionem de parte mei patris. — Non debes eum succedere, quia habuit te de sua ancilla. — Ipse fecit matrem meam liberam et sibi legitimam uxorem per donationem. — Aut probet, aut fiat servus, et perdat hereditatem.

223. De eo qui sine heredis moritur. Si quis sine heredis mortuus fuerit, et res ipsius ad curtem regis pervenerit, nec donatum nec praestitum, quicumque ipsius mortui dedit aut prestetit, non habeat pontificium requirendi; quia postquam ad manum regis pervenit, terminum posuit et sine debitum aut aliquam repetitionem cecidit.

224. De manomissionibus. Si quis servum suum proprium aut an-

---

222. In hoc quod hec dicit: « tamen debet eam liberam thingare, sic libera quod est widerboram », affirmatur a lege Liuprandi que est: « Si quis aldiam alienam » (Liutpr. 105) in hoc quod dicit: « faciat eam widerboram sicut edictum continet de ancilla ». — § 2. Hec littera que est: « et legitimam facere per gayrethinx » etiam sic intelligenda est, scilicet, quod postquam eam liberam thingaverit, quod ipse faciat sibi esse eam legitimam, subaudis uxorem, per gayrethinx, id est per donationem; que donatio sit vel quarta, quam ei faciat, vel minus quarta (Liutpr. 7). — § 3. Hec lex dicit, quod debet fieri de ancilla propria, si dominus eam voluerit matrimoniare; sed de omni ancilla legitur in Codicis septimo libro.

223. In eo quod hec lex dicit: « si quis sine heredibus » et inferius dicit: « quod, postquam ad manum regis pervenit, terminum posuit et sine debito aut aliqua repetitione cecidit », intelligi dat, quod omnes heredes debent debitum illius persolvere, cui heredes sunt. Et notandum est, quod « debitum » dixit, quia dixerat « prestitum » et « repetitionem » propter launechild. — § 2. Sciendum est quoque, quod, si heredes inventarium fecerint, ut lex Romana in Novellis precipit (Julian., nov. I, 2), quod ex debito illius mortui quod alii fecit tantum solummodo tenentur, quantum ex eius successione habuerint. In Institutis idem legitur, scilicet quod omne debitum persolvat, sed iuxta que sibi de hereditate contigerit, dicente quadam lege Institutionum: « liceat eis adire ad hereditatem et in tantum teneri in quantum valere bona hereditatis contingit (Inst. II, 19, 6). Et sciendum est, quod heredes alicuius, secundum quod habent de successione, possunt habere actiones adversum debitores, ut in Codice legitur in lege quae est: « Manifesti et indubitati iuris est » (Cod. VIII, 32, 1). — § 3. In hoc quod hec lex dicit: « nec donatum nec prestitum, quicumque ipsi mortuo dedit aut prestitit, habeat pontificium requirendi », dicebatur ab antiquis iudicibus, illud quod habet libellario nomine vocari prestitum per legem istius que est: « Si quis comparaverit terram id est solum » (Roth. 227) in hoc quod dicit: « ostendat libellum scriptum, ubi rogatus fuisset prestandi »; quod ille, qui prestiterat illud libellario nomine, non habet pontificium, quod libellario nomine prestiterat, requirendi. Sed male dicebant, quia lex hec non est de huiusmodi locuta prestito, quod videri potest in hoc quod hec lex dicit: « et res ipsius ad curtem regis pervenerint »; sed quod libellario nomine acceperat, non suum erat proprium: pontificium igitur quod prestitit illud requirendi habeat.

224. In hoc quod hec lex dicit: « si ipse qui amunt factus est mortuus fuerit, curtis regis illi

cillam suam liberos dimittere voluerit, sit licentia qualiter ei placuerit. Nam qui fulcfree et a se extraneum, id est haamund, facere voluerit, sic debit facere. Tradat eum prius in manu alteri homines liberi et per gairthinx ipsum confirmit; et ille secondus tradat in tertium in eodem modo, et tertius tradat in quartum. Et ipse quartus ducat in quadrubium, et thingit in gaida et gisil, et sic dicat: de quattuor vias ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem. Si sic factum fuerit, tunc erit haamund, et ei manit certa libertas; postea nullam repetitionem patronus adversus ipsum aut filiûs eius habeat potestatem requirendi. Et si sine heredes legetimûs ipse qui haamund factus est, mortuus fuerit, curtis regia illi succidat, nam non patronus aut heredes patroni.

Item alio kap. (II.) Similiter et qui in pans, id est in votum regis demittitur, ipsa lege vivat, sicut et qui haamund factus est.

Item alio kap. (III.) Item qui fulcfree fecerit, et quattuor vias ei dederit, et haamund a se, id est extraneum non fecerit, talem legem patronus cum ipso vivat, tamquam si cum fratrem aut cum alio parente suo libero langobardo: id est si filius aut filias legitimas, qui fulcfree factus est, non demiserit, patronus succidat, sicut supter [*cap.* 225] scriptum est.

Item alio kap. (IIII.) Item qui haldium facere voluerit, non illi dit quattuor vias. Haec sunt quattuor genera manumissionum. Tamen necesse est propter futuri temporis memoriam, ut qualiter liberum aut liberam thingaverit, ipsa manumissio in cartolam libertatis commemoretur. Et si cartolam non fecerit, tamen libertas ei permaneat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum: tu dedisti me in manum Dominici, et Dominicus dedit me in manum Pauli, et

---

succedat, nam non patronus aut heredes patroni », datur intelligi, quod patronus aut heredes patroni illi succederent, si amon factus non esset; per quem solum intellectum heredes dicuntur illi succedere qui fulfreal tantum factus est, cum in alia lege non reperitur, quod heredes patroni illi qui fulfreal tantum factus est debeant succedere. — § 2. Inpans fit ordine huiusmodi: scilicet quod rex ponens denarios in manu ipsius pueri vel viri et postea ipsius manus percutiens ita, quod denarii de manu super caput saliant, dicendo: « ammodo hunc hominem liberum esse volo ». — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu es eius servus et malo ordine subtrahis te de servitio suo. — Respondet: liber sum, quia tu dedisti me in manum Dominici et Dominicus dedit me in manum Pauli et Paulus in manum Alberti et Albertus dimisit me liberum in quadrivium. — Et hoc probet per scriptum aut per homines. Si dixerit: tu dedisti me in manum regis et rex dimisit me liberum, vel: fecisti me fulfreald aut aldium, aut probet aut sit servus. — § 4. Petre, te appellat Martinus, quod tu malo ordine tenes terram que est in tali loco ad partem publicam unde ipse est advocatus. — Respondet: ipsa terra mea est propria ex parte Dominici mei liberti. — Non debes ei succedere, quia fecisti eum extraneum, aut dedisti in manum regis. — Aut probet aut taceat.

Paulus in manum Alberti, et Albertus in manum Viti, et Vitus dimisit me liberum in quadruvium. — Et hoc probet per scriptum aut per homines. Si dixerit: tu dedisti me in manum regis et rex dimisit me liberum, aut: fecisti me fulfreal aut aldium, aut probet aut fiat servus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco ad partem publicam unde ipse est advocatus. — Ipsa terra mea propria est de parte Dominici mei liberti. — Non debes eum succedere, quia fecisti eum extraneum a te, aut dedisti in manum regis. — Aut probet, aut taceat.

Scito, si quis Longobardus servo communi libertatem dederit, quod pars adcrescit sotio non danti, ut legitur in antiquo iure Romano (Cfr. Ulp. fragm. I, 18. Paul. r. s. IV, 12, 1. Inst. II, 7, 4), *quod lex Longobarda sequitur.*

225. De filiûs libertis. Si libertus, qui fulcfree factus est, filiûs dereliquerit legetemûs, sint illi heredes; si filias, habeant legem suam [*cap.* 154. 158 . . . 160. 171]; si naturales, habeant et ipsi legem suam. Et si casu faciente sine heredes mortuus fuerit, et antea iudicaverit se vivo res suas proprias, id est ande-gawere et ari-gawere secundum legem langobardorum, habeat cui donaverit. Nam quantum de res benefactori suo per donum habuit, si eas non oblegavit in libertatem, ad ipsum patronum aut ad heredes eius revertantur. Et si alequid in gasindio ducis, aut privatorum hominum obsequium, donum munus conquisivit, res ad donatore revertantur. Alias vero res, si, ut dictum est, heredes non derelinquerit, aut se vivo non iudicaverit, patronus succedat sicut parenti suo.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine ter-

---

225. In eo quod hec lex dicit: « sint illi heredes », dicebant antiqui iudices, quod rupta esset istius lex retro posita quae est: « De eo qui de filio naturali » (Roth. 157); sed qualiter salvatur, retro dictum est. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « sint illi heredes », dicebant antiqui iudices, hanc legem esse ruptam a Pipini capitulo: « Homo denarialis » (Pipin. 12) in hoc quod dicit: « non antea hereditare in sua agnatione, quam usque in tertiam generationem; homo cartularius similiter ». Sed ita salvatur: hec enim lex loquitur de successione, quam descendentes habent a suis ascendentibus, illud vero capitulum loquitur de successione quam a filio habet, et alii ascendentes a suis descendentibus et de successione, que habetur ab alio veluti agnatorum. — § 3. In hoc quod hec lex dicit, filium naturalem suam legem habere, a prima lege Liuprandi rumpitur, in qua filia tamquam filius in totum succedere precipitur. — § 4. In hoc quod hec lex dicit: « res ad donatorem revertatur » et non posuit differentiam, sive launechild esset inde factum, sive non, rupta est et affirmata a Liuprandi lege, que est: « De donatione que sine launechil » (Liutpr. 72): rupta, si launechil factum fuerit, affirmata, si launechil factum non fuerit. — § 5. Si patronus in libertatem faciendo aliquid liberto dederit et illud in eadem libertate non obligaverit, mortuo liberto relictis heredibus, ad patronum non debet reverti; quando iuxta hanc legem revertebatur, cum libertus absque heredibus erat.

ram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est, et michi vendidit Paulus tuus qui fuit libertus, et tu obligasti ei ipsam terram in libertatem. — Aut probet aut perdat terram.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse donavit Paulo, tuus qui fuit libertus, tanta mobilia quae valebant solidos 100, et fuit mortuus sine heredibus, et non dedit ei lonechild. — De torto. — Si dixerit: ipse vel ego tibi feci widerdonem, probet. — Si dixerit: ipsa mobilia non valebant ultra solidos 50, probet qui appellat, quod valebant solidos 100, si non potuerit, ipse iuret.

226. Omnes liberti qui a dominis suis langobardis libertatem meruerint, legibus dominorum et benefacturibus suis vivere debeant, secundum qualiter a dominis suis propriis eis concessum fuerit.

---

226. Haec littera que est: « legibus dominorum suorum et benefactorum vivere debent » secundum Gualcosum ita est exponendum: legibus, id est in conditionibus, quas ipse asserebat, per hoc quod dicit inferius: « secundum quod a dominis suis fuerit concessum », scilicet ut ille qui aldius factus fuerit ea condicione vivat quam suus patronus ei inposuerit, et de ceteris manumissionum rebus fiat similiter. Sed Wilihelmus, quod melius est, eandem litteram sic exposuit, scilicet ut, si patronus Longobardus fuit, qui manumittitur Longobarda lege utatur; ita tamen condicio a domino ei inposita servetur ab eo. — § 2. Si contigerit, quod aliquis lege Longobarda et Romana vivens mortuus fuerit et filium filiamque reliquerit, quomodo succedere, debent? Affirmat Wilihelmus, per suum diligens arbitrium, filium successionis medietatem habere inantea iuxta Longobardam legem, que precipit filium succedere in totum (Roth. 153, Liutp. 1), reliquam vero medietatem cum sorore equaliter divisurum iuxta legem Romanam, que utrosque ad successionem advocat: cum per alteram tantum eundum esse affirmari non potest. Quod autem unus homo hac utraque lege vivat, sic contingere potest: si duo fratres, unus clericus, alter laycus Longobardus communem servum manumiserint, manumissus ex parte patroni Longobardi lege Longobarda vivit iuxta hanc legem; ex parte vero clerici iuxta legem Romanam iuxta legem primi libri Institutionum que est: « Libertini sunt, qui ex iusta servitute manumissi sunt » (Inst. I, 5, 3). — § 3. Si quis Longobardus defunctus fuerit, relicto Romano et Salicho et Longobardo filio uno vel pluribus, ei succedant equaliter. Quod ita contingere potest: si Salichus legitimum habens filium « pro pretii partecipatione Romano se vendi passus fuerit » (Cf. Inst. I, 3, 3. I, 16, 1) vel aliquo alio modo in servitutem eius devenerit, posteaque [filium procreaverit et] dominus eum manumiserit utrumque Romanum factum, et aliquo modo in Longobardi servitutem devenerit, ab eo rursus manumissus legitimum procreaverit filium, equaliter ei defuncto debent succedere per legem: « Si libertus qui fulfreal factus » (Roth. 225), in hoc quod dicit: « filios dereliquerit legitimos, sint illi heredes ». Si autem aliter venerit, scilicet patre in libertatis statu permanente filii in Romani vel Salici servitutem lapsi fuerint, nullo modo ei intestato debent succedere, testante Institutionum lege quae est: « Est autem capitis deminutio » (Inst. I, 16, 6), ubi legitur: « et ne quidem, si manumissus fuerit, recipit cognationem ». — § 4. Si quis vivens lege Romana vel Salicha atque Longobarda mortuus fuerit et matrem ac fratrem sororemque reliquerit, queritur, quomodo ei succedere debeant? quia, si per legem Salicham iret, mater in totum succederet (Lex Sal. em. 62, 1); si per Longobardam, soror in totum succederet (Liutpr. 3); si per Romanam, equaliter ad successionem accederent (Jul. Nov. 109, 2). Sed quia per litteram tantum ire non possumus, per bonum arbitrium ad successionem sic venire iudicamus, scilicet ut mater hereditatis defuncti tertiam partem recipiat, soror aliam tertiam, reliquam vero tertiam mater soror frater equaliter dividant, et sic frater hereditatis nonam tantum partem habuerit. Quod sic contingere potest: si tres sorores servum communem habuerint, quarum una Longobardum virum habuerit, secunda Salichum, tertia Romanum habuerit, et ipsae eum servum iuris sui manumiserint, cum mulieres ad legem illorum vivant, manumissus eorum legibus vivet, et filii qui ex eo nascentur; et si aliquis eorum, subaudi filiorum, mortuus fuerit et reliquerit matrem sororemque et fratrem, de eius successione ita agatur, ut paulo ante determinavimus.

227. De emptionibus et vinditionibus. Si quis conparaverit terram, id est solum ad aedificandum, aut casam mancipiata, et quinque annos inter praesentes personas possederit, posteaque ipse vinditor aut heredes eius pulsaverit, dicendo quod praestetisset, nam non vendedisset: ostendat libellûs scriptûs ubi rogatus fuisset praestandi. Et si libellûs non habuerit, nihil aliud faciat emptor, nisi praebeat sacramentum secundum qualitatem pecuniae [*cap.* 359, 365], quod cum praetium suum rem ipsam conparassit, nec alteri debeat per legem dimittere. Tunc liceat eum firmiter possidere quod sibi comparavit.

Petre, te appellat Martinus, quod terra, quam in tali loco possides et tenes, sua propria est. — Non debet nec vult tibi respondere, quia te presente possedit per 5 annos. — Vere possedisti, sed malo ordine. — Non possedi malo ordine, quia tu michi vendidisti. — Non vendidi, sed locavi et prestiti. — Ostende igitur libellum, ubi rogatus fuisti prestare. — Nequeo. — Iurabo igitur secundum qualitatem peccuniae.

Et hoc secundum val.; secundum a. nichil valet, sed ita:

Petre, te appellat Martinus, quod terra, que in tali loco est, quam tu tenes, sua est. — Non debes adversus me agere, quia tu michi eam vendidisti. — Non vendidi, sed prestiti et locavi. — Ostende libellum, ubi rogatus fuisti prestare. — Et si non potuerit, iuret, ut lex precipit, a 5 annis; et infra 5 annos, si non potuerit libellum ostendere, absque sacramento remanet suo loco possessio (Cf. Inst. IV, 15, 4).

Et fiat, ut dixi, si actio est in rem; si vero locati et prestiti actio esse debet, ita fiat:

Petre, te appellat Iohannes, quod locavit tibi talem terram et prestitit, et finita locatione vult, ut eam relinquas. — Non michi prestitit, sed vendidit. — Ostende igitur libellum, ubi rogatus a te fuit prestare. — Faciat. — Sin autem: ego iurabo, si voluerit, quod ipse michi vendidit, ut lex precipit.

---

227. In eo quod hec lex dicit: « ostendat libellum scriptum ubi rogatus fuisset prestandi » datur intelligi, aliquem terram, quam libellario nomine tenet, non debere contendere esse sibi propriam adversus eum qui dederat ei tantum libellario nomine.. Sin autem libellum negans appellaverit falsum, quia de colludio est contentio, pugnam inde facere potest (Cf. Ott. I, 1). Sin autem eam terram ignorans esse propriam per libellum accepit, nichil ei officit, dicente Codicis capitulo: « Qui rem propriam conduxit alienam esse existimans, nichil sui iuris detrahit » (Cf. Cod. IV, 65, 20). — § 2. In eo quod hec lex emptorem iurare precipit, a Liuprandi lege « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8), in qua eorum testimonio qui affuerint credi oportere precipitur, rumpitur.

228. De possessione. Si quis alium de rem mobilem aut immobilem pulsaverit quod malo ordine possedeat, et possessor negaverit: ita prospeximus, quod si per annûs quinque fuerit possessio, tunc ille qui possedit, aut per sacramentum debeat negare, aut per pugna defendere, si potuerit.

Rotharis precipit, ut, si quis appellatus fuerit ab aliquo, quod teneret sibi aliquam rem, et possessor dixerit: « non tibi respondeo, quia possedi per quinque annos in facie tua », et ipse: « vere possedisti, sed malo ordine », et negaverit hoc ipse, et possessio eius rei per 5 annos fuerit, tunc a quinque annis defendat se de malo ordine perpetue aut per sacramentum aut per pugnam. Sed Grimoaldus precipit (Grim. 4), *ut a 30 annis non fatigetur per pugnam, sed tantum per sacramentum se deffendat. At Astulphus voluit* (Ast. 9), *ut, postquam possederit 30 annis, de ipso malo ordine nec pugna nec sacramentum sit, sed tantum approbet, si dubitatio fuerit, suam possessionem 30 annorum esse, et possideat inantea. Et ante quinque annos dicat actor, quod sibi res pertineat, ut legitur in Romana lege.*

Et hoc secundum va.; secundum dem. haec lex rupta est, nec placitum fit inde.

Vel ita fit actio:

Petre, te appellat Martinus, — tamen prius reus inquisitus per aeditam actionem, si voluerit dicere titulum suae possessionis; sin autem dixerit, se nolle, dic: — quod terra, quae in tali loco est, sua est, et tu eam possides malo ordine. — Et si reus negaverit, defendat se a quinque annis aut per sacramentum secundum qualitatem peccuniae, aut per bellum, si potuerit.

Et hoc perpetue secundum hunc: et per alios reges sit, ut superius diximus.

---

228. In eo quod hec lex dicit: « quodsi per annos quinque fuerit possessio, tunc ille qui possidet aut per sacramentum debet negare aut per pugnam se defendere si potuerit » in parte rupta est, in parte affirmata a Grimoaldi lege que est: « Si quis per 30 annos possederit casam terram familiam » (Grim. 4). Rupta in hoc, quod ipsa Grimoaldi lex post triginta annorum curricula pugnam fieri prohibet, affirmata per intellectum eiusdem legis; quia in hoc quod ipsa lex dicit « post triginta annorum curricula pugna non perveniat » dat intelligi, quod post quinque annos ad annos 30 fieri potest. — § 2. Erant quidam qui dicebant, possessionem quinque annorum non valere possessori, cum unius anni tantum possessor eodem modo per pugnam se defendebat aut per sacramentum, si actor suam probare non potuerit, quemadmodum possessor quinque annorum. Sed maledicebant, quia 5 annorum possessor, licet a non domino emisset, tamen si de malo ordine se defendere potuerit, rem non ammittet, etiamsi actor suam probare esse possit: sed si appellatus 5 annorum possessionem non habuerit, et actor suam rem esse probare potuerit, habebit; si probare non potuerit, et appellatus aliquo modo suam esse dixerit, aut probet aut taceat, id est perdat.

Si vero pro recuperanda vel restituenda seu adipiscenda possessione debet esse actio, ita fiat:

Petre, te appellat Iohannes, quod tu malo ordine possides quandam terram, quae in tali loco est, quam ipse possidere deberet. — Si vero negaverit tenens, et iam possederit per 5 annos, faciat, ut legitur in lege, si potuerit.

Et aliquando hoc, secundum titulum scilicet possessionis: nam si bonus est titulus, poterit saepe ante quinque annos similiter respondere, sepe non; si vero malus sit, antea et post, ut dixi superius, fiat.

Sed ut alii dicunt, aliter est, dum est litigium de nuda possessione, ut is qui tenet vincat possessionem. Asserunt, quinquennium sibi esse presidium, si possederit per quinque annos in facie eius, qui pulsat eum malo ordine possidere, si nec vi nec clam nec precario ab adversario possidet: et si negat, se malo ordine possidere, fretus eo presidio neget per sacramentum, aut per pugnam se defendat, si potuerit, id est si morbus et infirmitas vel etas (Ott. I, 9) *vel conditio* (Ott. I, 8) *eum pugnare non prohibuerit. — Dum vero fit actio in rem, saepe ea excludatur pro possessione 30 annorum.*

229. Qui rem alienam asto vindederit. Si quis rem alienam, id est servum aut ancillam, seu alias res sciens rem alienam esse, non suam, ubicumque transvindederit, et inventum aut provatum fuerit, in actugild eam restituat. Et si per ignorantiam vindederit, tunc praeveat sacramentum, quod credens suum vindedissit; reddat caput cum notrimen suo, qualiter se sit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente vendidisti unum suum caballum, qui valebat solidos 100. — De torto. — Si dixerit, quod vendidit per ignorantiam, iuret.

230. De mancipio lebroso. Si quis conparaverit mancipium, et

---

229. Haec lex in hoc quod dicit: « in octogild eam restituat » a Liuprandi lege rumpitur « Si quis servum alienum foras provinciam vendiderit » (Liutpr. 48), quae in quadruplum iubet componere... ut in secundo Institutionum libro legitur in lege quae est « Iure civili constitutum fuerat »: « qui alienam rem vendiderit vel ex alia causa tradiderit, furtum committit » (Inst. II, 6, 3), et in Codicis 9, libri capitulo quod est: « si qnis extra urbem vel comitatum furtive servum vel liberum vendiderit, mori precipitur » (Cod. IX, 20, 7?). — § 2. Martine, hoc te appellat Johannes, quod tu Paulum servum sciens non tuum vendidisti.

230. Si quis equum aut quolibet animal infirmum aut vitiosum esse sciens nescienti vendiderit, usu legis istius exemplo emendare compellatur. — § 2. Hec lex et superior (Roth. 229) in eo, quod solum hominem iurare precipiunt, ab istius lege que est: « Si qualiscumque causa » (Roth. 359) rumpitur. Sed ab Ugone ita salvantur, quia in hoc quod ipsa lex dicit: « et sacramentum dandum fuerit », potest videri, quod ipsa lex respexit solummodo ad ipsas leges, in quibus sacramentum erat dandum; sed in his legibus erat datum. Ad has igitur leges non respexit.

postea lebrosus aut demoniosus apparuerit, tunc vinditor si pulsatus fuerit, preveat sacramentum singulus [*cap*. 366], quod in conscientia ipsius de ipsa infirmitate non fuissit, quando eum vindedit, et amplius non calomnietur.

231. De ancilla conparata. Si quis conparaverit ancillam, et postea venerit alter homo, qui eam suam dicat esse, revertant pariter ad auctorem. Tunc auctor si vindicare non potuerit, praeveat sacramentum, quod consciens non sit fraudi, nec nullo conludio fecissit; reddat praetium tantum, quantum in diae illa quando eam tradedit accepit, et ancilla ipsa proprio domino restituatur. Et si ancilla ipsa post emptore filiûs fecerit, tunc ille qui eam prius vindedit et vindicare non potuerit, qualiter se sit, filiûs ipsius per suo dispendio reconparit, et proprio domino retradat, quatinus filii matre sequantur. Et si auctor mortuus fuerit sine heredis legetimûs, et facultas ipsius auctoris ad curtem regis ceciderit, nulla sit repetitio: sic tamen, ut dit sacramentum, quod de ipso conparassit, cuius res ad curtem regis ceciderunt.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Mariam suam ancillam.

Ita fit appellatio secundum a.; sed ita esse debet:

Petre, te appellat Iohannes, quod haec sua est ancilla, et ut eam sibi contendis, facta prius actione ad exhibendum. — Non debes adversus me placitare, quia ego comparavi ipsam ancillam de Martino. — Da wadiam de auctore. — Vendidisti tu mihi ipsam ancillam? — Non feci. — Aut probet, quod sibi vendidit, aut bellum adardiat de terciata, aut perdat ipsam ancillam. — Si dixerit: ego tibi vendidi, et tibi volo stare in auctorem, det wadiam, quod stet in auctoritatem. — Quid tibi pertinet? Ipsa fuit nata de mea ancilla, et mater michi pertinuit de parte mei patris; et quid ego? quid meus pater? quid istam Mariam? quid matrem eius? quid iste cui vendidi? per 30 annos habemus possessam. — Sed haec responsio inutilis est, debet enim ita esse: nolo nec debeo tibi respondere, quia inter me et patrem meum et hunc cui vendidi per 30 annos possessam habemus. — Tamen secundum quosdam: potes

---

231. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu malo ordine Albergam ancillam suam detines. — § 2. Si venditor se de colludio purgare non potuerit, usu Liuprandi legis que est « Si quis fraudulenter tulerit ancillam alienam » (Liutpr. 131) in duplum eam componere cogitur. — § 3. Ancilla ex qua cartula facta fuerit non iuxta hanc legem, sed iuxta cartule penam componenda est. — § 4. Legis huius de ancilla exemplo, quicquid venditur, venditore absque heredibus mortuo, non debet inde fieri repetitio.

probare tuam possessionem? — Non possum. — Et tu, potes probare, quod infra istos 30 annos investitus fuisses? — Non possum. — Iura tuam possessionem. — Sed secundum valentes non fit probatio, nec hinc, nec hinc; sed tenens, si dubitatio emerserit de possessione, iuret solus. — Si dixerit: non possum stare tibi in auctoritatem, iuret et faciat sicut lex commendat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Mariam suam ancillam; — vel ita: quod haec sua est ancilla. — Non debes michi repetere, nec agere adversus me, quia ego comparavi de Iohanne, qui est mortuus sine heredibus et cuius facultas ad cortem regis cecidit. — Et ita iuret. Si dixerit: mea propria est per cartulam, fiat sicut legitur in cartula.

232. De caballo couparato. Si quis caballum emerit et auctorem ignoraverit, et venerit certus homo, qui ipsum caballum suum dicat, tunc ille qui emit, si ut diximus auctorem non habuerit, nec scit de quo conparassit: praebeat sacramentum emptor, quia nec fur sit, nec collega furoni, nisi simpliciter[1] cum praetium suum comparassit; et

---

232. Lex hec dicit, emptorem debere iurare, se nec furem nec furis collegam: sed ex hoc partim rumpitur ab Octonis capitulo: « De furto aut scacho » (Ott. I, 6), quia inde precipitur, pugnam fieri, si pretium ultra 6 solidos fuerit et litigantibus placuerit. — § 2. Rumpitur etiam a lege Liuprandi: « De homine illo » (Liutpr. 78): qui mercatum ab emptore ignorante emit et testibus caruit, caballum pro furto componat. Sed ab Ugone ita salvatur: scilicet quod intelligendum est, quod hec lex non loquatur de caballo in mercato empto. — § 3. Quamquam hec lex de caballo specialiter precipiat, eius tamen exemplo ceteris de rebus datur intelligi. — § 4. Si caballi venditor veniens suum probare nequiverit, tantum emendet, quantum emptori interesset, si caballum non amisisset, scilicet quanti caballus erat pretii; in hoc inde potest intelligi in Codicis octavi libri capitulo, quod est: « Non dubitatur, etsi specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta ex empto competere actiones » (Cod. VIII, 45, 6). — § 5. Mos est, ut qui caballum intertiat iuret, caballum suum proprium, neque ulla alienatione, qua eum carere debeat, esse alienatum. — § 6. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod suum caballum tibi intertiavit. — Si appellatus intertiatum fuisse confitebitur, sed caballum mortuum esse dixerit, iuret, non sua mortuum esse negligentia. Sin autem caballum intertiatum se vendidisse dixerit, si cum misso potestatis intertiatus fuerit, quia res litigiosa erat, diffinitur iuxta Codicis octavi libri legem, que est: « Censemus, ut si quis lite pendente » (Cod. VIII, 37, 4): in quo legitur, si quis sciens rem litigiosam vel aliquo contractu susceperit, rem et pretium compellendus est ammittere, eo scilicet modo, ut alienator rei non solum pretium hoc non retineat, sed etiam eiusdem quantitatis aliud fisci iuribus inferat; sin autem nesciens emerit, vacuata alienatione pretium tertia sui parte recipiat augmentatum. — Vel si appellatus de iumento suo natum esse dixerit, testibus hoc probet: sin autem hoc facere nequiverit, actor suum approbet esse. Quodsi non potuerit approbare, appellatus, de suo iumento esse natum, cum suis sacramentalibus iuret. Sin autem se emisse et venditorem ignorare dixerit, iuxta hanc legem iuret, et actor eo tenore, quo hac lege iubetur, accipiat. — § 7. Notandum est, quod hic usus — scilicet ille qui caballum intertiat, iurare debet, quod ipse caballus suus proprius est, nec eum vendidit vel donavit, ut iusta lege perdere debeat, sed furtive ei abstractus fuerit — est contra legem positam in quarto Institutionum libro, quod est: « Sequitur, ut dispiciamus de interdictis », quia illic (Inst. IV, 15, 4) legitur: « commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit probare suam esse, remanet suo loco possessio ». Et usus, qui contra hanc legem est, non teneri debet, nam Pipinus dicit: « placuit nobis, ut nulla consuetudo superponatur legi » (Pipin. 35).

insuper addat in ipsum sacramentum: si quoquo tempore auctorem invenerit, non negare. Tunc post praestitum sacramentum reddat caballum, et sit sibi contemtus. Ille autem, qui se proprio domino dicit esse, sub tali titulo eum tollat, ut si cognitum fuerit, quod malo ordine vindicassit, et alter certus auctor venerit, qui suum ficerit, ipse caballus sibi nonus ei reddatur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum. — De torto. — Si dixerit: interciasti, sed venditum habeo aut donatum:

Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente vendidisti unum suum caballum, qui valebat solidos 20: — aut si dixerit: res littigiosa fuit, non potuisti alienare — reddat caput, ita ut legitur in Romana lege (Cf. Cod. VIII, 37, 4).

Petre, te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum. — Interciasti michi ipsum caballum, sed furatus est michi. — Iuret, quod non suae voluntatis nec consentiens fuisset, quod furatus est. — Si dixerit: interciasti michi unum caballum, et ecce caballus. — Quod tibi pertinet? — De meo iumento natus fuit.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum. — Interciasti michi ipsum caballum, et ecce caballus. — Quod tibi pertinet? — Ego comparavi simpliciter cum meo proprio precio. — Iuret, sicut lex commendat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu interciasti sibi unum suum caballum, et ipse dixit, quod comparavit eum, et non cognoscebat auctorem; et iuravit, quod nec fur erat nec collega furis, nisi simpliciter comparavit cum precio suo, et si tempore quoque auctorem invenerit, non negaret; et tu tulisti in tali ordine, ut, si cognitum fuisset, quod malo ordine vendicasset, quod componeres sibi nonum. Modo habet inventum auctorem, et vult ut stes ad rationem cum auctore suo ut convenisti. — Non fuit unquam istud placitum inter me et se. — Probet qui appellat, quod placitum fuit. Si dixerit: placitum fuit, sed caballus est mortuus, — iuret, quod sit mortuus. Si dixerit: venditum aut donatum aut comutatum habeo ipsum caballum — iuret. Si dixerit: ecce caballus, — interroga auctorem: quod sibi pertinebat, quando vendidit; si dixerit: quod suus proprius erat et de suo iumento natus fuit, — iuret cum suis sacramentalibus; et ipse sibi nonum reddat.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum, qui valebat solidos 100. — Interciasti tu michi

ipsum caballum, ecce caballus. — Quid tibi pertinet? — Ego comparavi de Dominico de tali loco. — Iuret, quod ad certum warentem eum conducat. — Vendidisti tu michi ipsum caballum? — Non feci. — Vis ei ardire? — Volo. — Et tu, vis te defendere? — Volo. — Wadiate pugnam. — Si dixerit: vendidi et volo stare in auctoritatem, det vadia, quod stet in auctoritatem; et ipse det vadia de contradictore, et reddat precium et recipiat caballum. — Quid tibi pertinuit iste caballus ad vendendum? — Ego comparavi de Donato. — Da vadia de auctore. — Et tibi quid pertinet? — Ego comparavi de Paulo. — Non vadat super tercium warentem. Aut iuret secundum usum, quod nec fur sit nec collega furonis, aut emendet sibi nonum.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum, qui valebat libras 5. — Ego comparavi ipsum caballum de Martino de Roma. — Aut ducat warentem infra tercium comitatum, aut perdat caballum, et faciat supradictum sacramentum.

Sed tota haec altercatio paene nichil valet: debet enim esse ut legitur in Romana lege.

233. Si quis de servo conparaverit. Servûs cuiuscumque non liceat sine permissum domini sui neque terram neque mancipia neque qualemcumque rem vindere, aut liberum dimittere. Si quis de servo conparaverit, et pretium perdat, et quod de servo emit, proprio domino restituat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine talem rem. — Ipsa res, quam tu dicis, mea propria est: ecce carta, quam fecit michi Marcoardus. — Non potuit tibi facere, quod ipse est meus servus. — Probet.

234. De servo massario. Servus massarius licentiam habeat de peculio suo, id est bove vacca cavallo, simul et de minuto peculio, in socio dare aut in socio recipere; vindere autem non, nisi quod pro utilitatem casae ipsius est, quatinus casa proficiat, et non depereat.

---

233. Hec lex a Liuprandi lege quae est « Si quis cum servo vel aldione » (Liutpr. 86) roboratur, in qua legitur: « et reddat ipsam rem qui suscepit absque pretio domino eius ». — § 2. Hec lex servum vel aliquam rem vendere vel libertare prohibet: idem intelligendum est de donatione vel aliqua alia causa alienationis, et etiam in supradicta lege quae est: « Si quis res suas alii thingare » (Roth. 172), quia ibi legitur: « quatenus qui thingat et qui gisel fuerit liberi sint, ut nulla in posterum oriatur intentio ». — § 3. Hanc legem predicta Liuprandi lex affirmat in hoc quod ibi legitur: « reddat ipsam rem qui eam suscepit absque pretio domino eius ».

234. Hanc legem predicta Liuprandi lex (Liutpr. 86) corroborat, quia in hoc quod ibi legitur: « et probatum fuerit, quod res suas naufragasset », dat intelligi, quod pro utilitate case vendere potest.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum bovem. — Ipse bos meus est, nam emi a Marcoardo. — Non potuit tibi vendere, quia meus servus est. — Ipse dedit michi propter utilitatem casae.

235. De haldiûs. Non liceat haldiûs cuiuscumque, qui haamund factus non est, sine voluntate patroni sui terra aut mancipia vindere, sed neque liberum dimittere.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum, ecce carta, qua libertavit me Marcoardus. — Contra legem est ipsa carta, quod ipse erat meus aldius.

236. De terminûs effossûs. Si quis homo liber terminum anticum exterminaverit, et probatum fuerit, sit culpabilis sol. octugenta, medietatem regi et medietatem in cuius fines terminum fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu aut Marcoardus tuus servus exterminavit unum suum terminum antiquum.

237. De servus, qui terminum effosserit. Si servus alienus terminum anticum exterminaverit, morti incurrat periculum, aut redimatur cum quadragenta solidis.

238. De arbore signato. Si quis homo liber arborem, ubi teclatura inter fines decernendas signata est, inciderit aut deleverit, octugenta sol. sit culpabiles, medietatem regi et medietatem cuius arbor fuerit. Et si servus per iussionem domini sui fecerit, dominus eius conponat ut supra octugenta solidos.

Petre, te appellat Martinus, quod tu aut Marcoardus tuus servus succidisti unam suam arborem signatum in silva sua.

239. Si servus sua aucturitate arborem, ubi ticlatura facta est inter fines decernendas, inciderit, aut moriatur aut redimat se cum quatragenta solidis.

240. De snaida in silva alterius facta. Si quis propter intento signa nova, id est ticlatura aut snaida, in silva alterius fecerit, et suam non adprobaverit, conponat solidos quadragenta, medietatem regi et medietatem cuius silva fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu aut Marcoardus tuus servus fecisti in silva sua signum novum aut signaidam.

241. De servo qui snaida fecerit. Si servus extra iussionem domini sui ticlatura aut snaida fecerit in silva alterius, manus ei incidatur. Et si cum iussione domini sui fecerit, domini repotetur culpa, ut supra.

242. Si quis sine iussionem regis aurum figuraverit aut moneta confinxerit, manus ei incidatur.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu figurasti aurum aut confinxisti monetam sine iussione regis.

243. De cartola falsa. Si quis cartolam falsam scripserit aut quodlibet membranum, manus ei incidatur.

Petre, te appellat Martinus, advocatus de parte publica, quod tu scripsisti cartulam falsam aut quamlibet membranam.

244. Si quis per murum de castro aut civitate sine noticia iudecis sui exierit foras, aut intraverit, si liber est, sit culpabiles in curtem reges solidos vigenti; si autem haldius aut servus fuerit, sit culpabiles sold. decim in curtem reges. Et si furtum fecerit, sicut in hoc edictum legitur [cap. 253 . . . 263], poena furti conponat.

Petre, te appellat Martinus advocatus de parte publica, quod tu existi, aut introisti infra castrum de Tusculano supra murum sine noticia iudicis tui.

245. De pignerationibus et devitas. Si quis debitorem habens, appellet eum semel bis et usque tertio; et si debitum non reddederit, aut non conposuerit, tunc debeat pignerare in his rebus, quibus pignerare lecitum est.

Petre, te appellat Martinus, quod tu debes ei 100 solidos dare.

Et si debitor vel fideiussor sub vadiis quis fuerint, non debet ita pignerare, nisi homines ut testes interfuerunt.

246. Si quis ante contestationem pigneraberit. Si quis alium pro quolibet debitum aut causam pignerare praesumpserit, antequam tertium eum pulsaverit, pignus quod ante contestationem tulerit, sibi nonum reformet in potestatem domini.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in tanto mobili, quod valebat solidos 10, antequam eum tercia vice contestatus es.

247. Nulli leciat alium pro alio pignerare, excepto illo qui gafand esse invenitur, id est coheres parens proximior, qui illi ad hereditatem, si casus evenerit, venturus est.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in tanto de suo mobili, quod valebat solidos 5.

---

243. Hec lex in hoc quod dicit: « manus eius incidatur » a Liuprandi lege quae est « De scribis hoc prospeximus » (Liutpr. 90), « et quod de carta falsa scriptum est in anteriore edicto, sic permaneat » confirmatur.

245. In hac lege « debitor » accipitur tam de maleficio quam de contractu, quod videri potest per legem sequentem, que sic exponitur: « et si debitum non reddiderit » quantum ad contractum, « aut non composuerit » quantum ad maleficium.

247. Pignus, de quo hec lex loquitur, trasactari non debet, quia lex Liuprandi (Liutpr. 107) non precipit nisi de pignore debitoris aut fideiussoris.

248. Si quis per errorem alium pro alio pigneraverit per servum aut ancillam, ita decernimus, ut postquam cognovit, quod male pigneravit, mox ipsum pignum relaxit. Et si pulsatus fuerit dominus servi, tunc preveat sacramentum quia per errorem fecit, nam non asto, et crededit debitorem suum pignerassit; tunc sit indempnis. Nam si plagas aut feritas fecerit in ipsum pignus, componat sicut in hoc edictum legitur (cap. 76 . . . 128). Et si sacramentum dare non presumpserit, quod per errorem pignerassit, reddat ipsum pignum in actogild.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in uno suo servo aut in una sua ancilla malo ordine.

249. De greges aequarum seu porcorum. Si quis greges aequarum seu porcorum sine iussionem regis pigneris nomine abstulerit, ille prior aut moriatur, aut componat solidos nongentos, medietatem regi et medietatem cui pignus abstulerit. Et qui cum eum fuerint, si tamen liberi sunt, unusquisque conponat solidos octugenta, medietatem regi et medietatem quem pigneraverit, ut supra. Et si servi dominum suum secuti fuerint, in conpositione domini conpotentur; culpa enim dominus fecit, nam non servus, qui dominum suum secutus est.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti sibi sine iussione regis in nomine pigneris unum suum gregem de iumentis aut de porcis.

Petre, te appellat Martinus, quod Paulus tulit in nomine pigneris unum suum gregem de porcis, et tu fuisti cum ipso, aut Dominicus tuus servus.

250. Si quis caballûs domitos, aut boves seu vaccas iugo domitas, pigneraverit sine iussionem regis, sibi nonum reddat.

---

248. Quod hec lex de pignorare loquitur in servo et in ancilla, in ceteris est intelligendum pignoribus.

249. Hec lex in hoc quod dicit: « ille prior aut moriatur aut componat solidos 900 », et inferius dicit: « et qui cum eo fuerint, si liberi sunt, unusquisque componat solidos 80 », et non posuit differentiam, sive hec adunatio fieret obligatione vel sacramento vel dextera, partim rupta est a duobus Lotharii capitulis (Loth. 4. 67) quae sunt « Volumus de obligationibus » et cetera et « De conspirationibus quicumque facere presumpserit »; quia si hec adunatio facta esset obligatione, ille qui erit in capite in exilium in Corsica mittetur et sequaces bannum solummodo componant, et si non habeat componere, 60 ictus unusquisque componat, si vero fuerit sacramento vel dextra, sequaces et ille qui in capite fuerit secundum Lotharii capitulum quod est « De conspirationibus » iudicabuntur. Sed ita salvatur: scilicet, quod hec adunatio, unde hec lex est locuta, non erat facta obligatione nec sacramento nec dextera. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « et si servi fuerint secuti dominum suum, hoc in compositione domini sui computetur », dat intelligere, eandem penam pro servis dominum non secutis dari debere, que pro liberis est danda. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equarum aut porcorum gregem ei pignoris nomine abstulisti et huius rei caput fuisti, aut Petrus huius rei caput fuit et tu sequax fuisti.

250. Hec lex Liuprandi lege: « Si quis permissum habuerit » (Liutpr. 108) partim corrumpitur,

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in uno suo caballo aut bove sine iussione regis malo ordine.

251. Si homo liber qui debitor est, alias res non habuerit nisi caballos domitos aut boves iunctorios, seu vaccas, tunc ille qui debitum requirit, vadat ad sculdahis et intimet causam suam, quia debitor ipsius alias res non habet, nisi quae supra leguntur. Tunc sculdahis tollat bobes aut caballos ipsius et ponat eos post creditorem, dum usque ei iustitia faciat. Et si sculdahis dilataverit facere, sit culpabilis in palatio regis solidos 12; et iustitia facta pignus restituatur.

Petre sculdasci, Martinus te appellat, qui est advocatus de parte publica, quod unus homo reclamavit se ad te de uno suo debitore, qui non habebat nisi caballum domitum, et tu dilatasti tollere caballum debitoris, et mittere apud creditorem usque dum ei iusticiam faceret.

252. Nulli leceat pro quolebit debitum casa ordinata tributaria

---

in hoc quod ibi lex creditori debitorem ac fideiussorem in equo domito, sicut concessum fuerit, pignorare permittit. Sed ita salvatur, scilicet quod intelligenda est hec lex, ut non loquatur de concessis.

251. In hoc quod hec lex dicit: « tunc sculdascius tollat boves aut caballos ipsius et ponat apud creditorem, dum usque ei iustitiam fecerit », affirmata est a capitulo Lotharii quod est « Similiter concedere volumus » (Loth. 76), quia in hoc quod dicit: « ut nullus iudex publicus aut ministri publici eas contra legem (subaudis istam) audeat pignerare in bobus », dat intelligere, quod secundum legem istam valeat in omnibus pignerare, tunc scilicet, quando debitor alias res non habuerit nisi caballos domitos aut boves domitos et cetera. — § 2. Predictum capitulum hanc legem sculdaem pro omni ministro publico posuisse insinuat, quia in hoc quod dicit: « ut nullus iudex aut minister publicus eos contra legem (subaudis istam) audeat pignerare in omnibus », dat intelligi, quod iudices aut ministri publici eos pignerare valent cum hac lege; sed h a c lege pignerare non valeret, nisi lex ista sculdasium pro o m n i ministro publico poneret. Quod hec lex dicit nisi quod sculdasciis locuta esset. — § 3. In hoc quod hec lex dicit: « sit culpabilis solidos 12 » partim rupta est a lege Liuprandi quae est « Si quis causam habuerit » (Liutpr. 25), in hoc quod ibi legitur: « ut sculdahis componat solidos 12, medietatem iudici et medietatem cuius causa est ».

252. Hec littera quae est: « Nulli liceat casam ordinatam tributariam loco pignoris tollere » sic est intelligenda, veluti, si alicuius debitor aliquam casam suam ad fictum dederit, creditor eius non presumat, domus eius fictum loco pignoris auferre; vel ita, ut nullus creditor domum, quam debitor ad fictum tenet, ab eo loco pignoris auferret. — § 2. Iste terminus viginti dierum et 40 non fuit positus propter pignorum transactionem, sed ideo est positus, ut decernatur, si post transactos 20 dies et 40 vel infra contigerit, ex ipso pignore mancipium aut quodlibet peculium mori, aut homicidium aut dampnum fieri, cui ipsum dampnum computetur, an creditori an debitori. Moderno vero tempore, si per 30 aut 60 dies creditor pignus redimere neglexerit, iuxta Liuprandi legem trasactabitur, que est: « Si quis fideiussorem aut debitorem suum pigneraverit » (Liutpr. 107). — § 3. In eo quod hec lex creditorem pro servo, quem pro pignore habeat, dampnum quod infra 20 dies fecerit emendare precipit, a Caroli capitulo rumpitur, quod est « Nemini liceat servum suum dimittere » (Karol. M. 26), in hoc quod dicit: « sed iuxta qualitatem dampni dominus pro illo respondeat ». Sed ita salvatur, quia in hoc quod predictum capitulum dicit: « Nemini liceat servum suum propter dampnum ab illo cuilibet illatum dimittere », hoc quidem de tali servo loquitur, qui c a u s a compositionis mali, quod servus fecerat, a domino dimittebatur: sed pro servo, de quo hec lex loquitur, nichil dominus debet componere, immo illi qui servos loco pignoris habent. Vel aliter salvatur: in hoc quod dictum capitulum dicit: « sed iuxta qualitatem dampni dominus pro illo servo respondeat » videre possumus, quod de tali servo loquitur, pro quo dominus responsurus erat; sed hic servus, de quo hec lex loquitur, erat talis, pro quo alius respondere iubetur. Vel aliter:

loco pigneris tollere, nisi servûs, ancillas, vaccas, pecoras; ita ut ipsum pignus, quod tullerit, per suam custodiam salvum faciat usque ad praefinitum tempus, sicut subter adnexum est: id est inter eas personas, qui intra centum milia intra se habetant, dies viginti. Et si infra istos dies viginti quis ille pignum suum iustitiam faciens et debitum reddens non liberaverit, et post transactûs viginti dies contigerit ex ipsum pignus mancipium aut quolebet piculium mori aut humicidium aut damnum facere aut alibi transmegrare, tunc debitor in suum damnum repotet, qui pignera sua liberare neclexit. Nam si infra istos vigenti dies servus aut ancilla mortui fuerint aut peculium perierit, aut homicidium aut damnum fecerit, ipse qui pigneraverit in suum damnum repotit, et proprio domino satisfaciat. Et si super centum milia inter se creditor et debitor habitaverit, tunc usque sexaginta dierum spatia poena suprascripta custodiatur.

253. De furtis. Si quis liber homo furtum fecerit, et in ipsum

---

in hoc quod predictum capitulum dicit: « vel eum in compositionem vel ad penam petitori offerat » notari potest, quod loquitur de eo quem dominus suus poterat tradere in compositionem vel ad penam offerre; sed hunc servum de quo hec lex loquitur, non poterat dominus tradere in compositionem vel ad penam offerre, quia non erat in eius potestate, immo in potestate illius qui eum loco pignoris habebat. — § 4. Quod in hac lege scriptum est: « Si intra istos 20 dies servus aut ancilla mortui fuerint aut peculium perierit aut pecus homicidium aut dampnum fecerit, ille qui pignoravit in suum dampnum reputet », dicunt quidam a Liuprandi lege ruptum esse que est « Si quis permissum habuerit a debitore aut fideiussore » (Liutpr. 108), eo quod ibi legitur: « et si mortua fuerint, non requirantur ». Sed male dicunt, quia ipsa lex Liuprandi loquitur tantum de bubus et caballis domitis, hec vero de indomitis. Quod hec lex de indomitis loquatur, hac ratione videri potest, quia, si de domitis loqueretur, iam rupta esset superior lex que est « Si quis caballos domitos » (Roth. 250), que non permittit caballos seu boves domitos pignerare. — § 5. Item quod hec lex: « ipse qui pigneravit in suum dampnum reputet », dicitur hec lex rupta esse a Rotharis lege quae est « Si quadrupedes in homine aut in peculio » (Roth. 325) in hoc quod dicit: « ipse componat dampnum cuius fuerit quadrupes »; sed per hanc legem dampnum, quod erat factum infra 20 dies ab ipso pignore, non componebatur ab eo cuius erat quadrupes, immo ab eo qui pignoratum habebat. Sed male dicebant, quia, si hec lex ab illa rumperetur, iam dici posset, quod hec lex: « Si quis canes alienos clamaverit aut incitaverit » (Roth. 322) que ibidem posita est, in hoc quod dicit: « non reputetur illi culpa cuius canes sunt, sed illi qui eos incitaverit », quod ab eadem lege rupta esset. Et si hec et illa ab ipsa lege essent rupte, similiter potest dici, quod ipsa que est « Si quadrupes in homine » (Roth. 325) rumpitur ab illa que est: « Si quis prestitum aut conductum caballum » (Roth. 327), in hoc quod dicit: « et, dum in ipso beneficio aut conductura fecerit dampnum, non requiratur proprio domino ». Sed neutram illarum ruptam esse intelligendum est, quia hec lex quae est « Si quadrupes » (Roth. 325) non loquitur de quadrupedibus pignoratis vel conductis sive incitatis sive prestitis. — § 6. In hoc quod hec lex dicit: « et post transactos 20 dies contigerit ex ipso pignore mancipium aut quodlibet peculium mori, aut homicidium aut dampnum facere aut alibi transmigrare, tunc debitor in suum dampnum reputet qui pignera sua liberare neglexit », partim rupta est a Liuprandi lege quae est « Si quis servum aut ancillam loco pigneris » (Liutpr. 109), in hoc quod ibi legitur: « et furtum aut homicidium aut quodlibet dampnum fecerit, non reputetur culpa ad proprium dominum, nisi ei qui eum tenuit ». Sed ita salvari potest: intelligendum est, quod ipsa lex loquitur secundum determinationem istius legis, scilicet, ut infra 20 dies non reputetur culpa proprio domino; sed post transactos 20 dies culpa ei reputabitur, ut hec lex dicit.

253. In eo quod hec lex et inferius posita (Roth. 254) latronem liberum solidos 80, servum vero 40 conponere aut mori precipit, nec differentiam, sive primum vel secundum seu tertium sit furtum, ponit, partim corrumpitur a duobus capitulis Caroli (Karol. M. 44. 84) quae sunt « De latronibus

furtum temptus fuerit, id est fegangit, usque ad decem silequas, furtum ipsum sibi nonum reddat, et componat pro tali culpa solidos octuginta, aut animae suae incurrat periculum.

254. Si servus furtum fecerit, et tentus fuerit in ipsum furtum, usque ad decem seliquas, sibi nonum reddatur, excepto componat pro culpa solidos quadraginta aut occidatur.

255. Si quis per proditorem, id est per certum indicatorem furtum invenerit, sib nonum qui furtum fecit ei restituat.

---

ita precipimus » et cetera, « Si quis latro de uno furto » et cetera, in quibus latro pro primo furto oculum, pro secundo nasum, non mori, sed perdere precipitur. Item in eo quod he due leges quae sunt « Si quis homo liber et servus » furtum sibi nonum componi precipiunt, sive latro inde moriatur sive non, partim corrumpuntur a Caroli capitulo quod est « Si quis latro » (Karol. M. 84), in hoc quo dicit: « de tertio vero furto, unde mori debet, mors illius furta illa excludat ». Si quis hanc tantum ruptam de servo esse assereret, hoc confirmando propterea quod in predicto capitulo legitur: « ut dominus servi illius secundum legem cui furta facta sunt persolvere deberet », permale assereret, quia predictum capitulum de quolibet latrone generaliter incipit, et, licet in servo se specialiter finiret, aliud idem intelligi voluit de libero. — § 2. Item lex quae est « Si quis liber homo furtum fecerit » eodem dicto ab alio Caroli capitulo rumpitur quod est « De illis hominibus » (Karol. M. 45), quia ibi legitur: « primum omnium de illis causis pro quibus iudicatus fuerit ad mortem, nullus potest facere repetitionem. » — § 3. Quam plures iudices, capitulum Caroli quod est « De latronibus ita precipimus » (Karol. M. 44) generale esse affirmantes, iuxta illud capitulum dicebant, quod quislibet latro — sive supra furtum hominis Longobardi sive cuiuslibet nationis captus fuerit sive non, sive illud furtum sit usque ad 10 siliquas sive non, sive 80 solidos habuerit (si liber, aut si fuerit servus, 40) sive non — pro primo furto oculum perdat, pro secundo eius nasus capelletur, pro tertio moriatur, cum predictum capitulum horum secundum eos indifferenter precipiat. Sed Ugo, eorum sententiam debilitans, omnimodo asserit, predictum capitulum solummodo loqui de latrone super furtum hominis Longobardi capto et quando furtum est usque ad 10 siliquas: quia in hoc quod predictum capitulum dicit: « non moriatur » evidenter patet, quod has leges respexit, que latronem mori non precipiebant, nisi supra furtum hominis Longobardi captum et quando furtum est usque ad 10 siliquas. Item in hoc quod dicebant, predictum capitulum indifferenter latronem precipere pro primo furto oculum perdere, pro secundo nasum, pro tertio mori, sive ipse habeat 80, si liber est, sive 40, si servus est, sive non, eorum sententiae depravate sunt: quia in hoc quod predictum capitulum dicit: « ut latro pro primo furto non moriatur sed oculum perdat », de ipso tantum latrone locutum est, qui per has leges mori iussus erat; et per has leges alius non erat iussus mori, nisi 80 vel 40, si servus fuerit, non haberet; et cum predictum capitulum alium perdere non precipiebat, nisi qui per has leges mori iussus erat, intelligendum est, quod, quemadmodum iuxta has leges a morte liberatus erat, si 80 solidos vel 40 haberet, ita iuxta predictum capitulum ab oculi amissione, nasi capellatione seu occisione, si 80 vel 40 haberet. Ad quod supradicti iudices respondebant: etiamsi ostensum esset, quod predictum capitulum de illo latrone tantum loqueretur, de quo he leges loquuntur, tamen iuxta illud Caroli capitulum quod est « Si quis latro de uno furto » (Karol. M. 84) intelligendum est, universaliter quemlibet latronem pro primo furto oculum perdere, pro secundo nasum, pro tertio mori ut supra diximus. — Ad quos Ugo: male dicitis; quia in hoc quod predictum capitulum affirmat: « De latronibus ita precipimus observandum », videri potest, quod de aliis latronibus non loqueretur, nisi de ipsis tantum, ex quibus « De latronibus ita precipimus » est locutum. Cui iudices sic opponunt: supradictum capitulum, si de aliis latronibus non loqueretur, nisi de quibus « Ita precipimus » secundum te est locutum, iam superfluum esset. Sed Ugo superfluum non esse ostendit; quia licet: « Si quis latro » id quod « De latronibus » dixit affirmet, tamen non est superfluum, quia inde repetit, ut aliud addat. Et quod aliud addat, videri potest in hoc quod dicit: « ut dominus servi illius secundum legem cui furta facta sunt solvere debeat », et in hoc quod dicit: « mors illius furta excludat »; et idem intelligere voluit, cum generaliter incipit inde de libero et servo. Iudices quoque, quod proposuerunt volentes affirmare, contra Ugonem sic argumentantur: tu dicis, quod hoc capitulum « Si quis latro » et illud quod est « De latronibus ita precipimus » de latronibus supra furtum hominis Longobardi

256. Si servus dum in fuga est, furtum aut damnum alii fecerit, et in ipsa fuga foris provincia migraverit et non redierit, tunc dominus servi medietatem pro ipsam rem quam furavit, aut damnum si fecit, restituat. Nam si regressus fuerit in potestatem domini sui, tunc de quantum tulit, caput tantum dominus eius in integrum reddat, cessante in hoc capitulo poena furti, eo quod in fuga fuit.

Petre, te appellat Martinus, quod Dominicus tuus servus, dum erat in fuga, tulit sibi furtive unum suum caballum, qui valebat

---

captis tantum loquitur. Sed male dicis; generaliter enim eam loqui de quolibet latrone oportet, quod videri potest per eiusdem Caroli capitulum, quod est « De vindicta et iudicio in latronibus facto, ut testimonio episcoporum absque peccato comites facere possunt » (Karol. M. 83), de omni latronum vindicta dictum esse intelligendum; quia que ratio esset, quod episcopi tantum testificarentur, comites posse darem vindictam absque peccato in latronibus supra furtum hominis Longobardi captis, et non in aliis? Nulla scilicet. — Contra quos Ugo: vera ratio esset, quod episcopi testificarentur, comites posse dare vindictam absque peccato tam in aliis quam supra furtum hominis Longobardi captis; sed tamen episcopi non poterant testificari, comites posse dare vindictam absque peccato in aliis, nisi in illis de quibus scriptum est in legibus; et de aliis non erat scriptum in legibus nisi de captis supra furta Longobardi hominis, ut superius ostendi. — Licet Ugo illorum iudicum sententiam visus sit depravasse, Guilihelmus tamen eorum sententiam asseritur laudare, aut specialiter dominus Wilihelmus utraque supradicta capitula « De latronibus », « Si quis latro » generaliter confirmet.

256. Huius legis secundum diversos diversa est materia. Nam secundum Wilihelmum huius legis est talis materia: si servus furtum fecerit aut dampnum, dum in fuga est, et non fuerit regressus, quando appellatio sit facta et manifestata fuerit, medietas dampni componatur. Et tunc placitum firmatur, et alia medietas numquam requiratur. Si autem regressus fuerit, quando appellatio facta fuerit et manifestata, caput tantum dampni restituatur. Sed secundum Ugonem, licet una medietas sit data, antequam regressus sit, altera tamen medietas si regressus fuerit, dabitur.—§ 2. Hec lex de conpositione furti a Liuprandi lege quae est « Si servus dum in fuga est » (Liutpr. 11) corroboratur, quia illic legitur: « sic exinde procedat iudicium, sicut gloriosissimus Rothar instituit ».— § 3. In hoc quod hec lex dicit: « tunc dominus servi medietatem dampni, quod fecerit restituat », dicebant iudices antiqui, hanc legem retro positam que est « Si quis homicidium in absconso perpetraverit » (Roth. 14) rumpere, in hoc quod dicit: « 900 solidos componat » et non posuit differentiam, sive homicidium illud esset factum in fuga sive non, et alias quam plures que de conpositione servorum loquuntur et non ponunt differentiam, sive homicidium illud esset factum in fuga sive non, sive malum illud de quo iubetur fieri compositio servi faciant in fuga sive non. Per quod potest fieri, quod hec lex fuit facta ad proficuum dominorum, cum leges retroposite dominos pro servis 900 solidos faciebant componere, sed hec lex solam medietatem 900 solidorum eos pro servis facit conponere, si servi malum illud in fuga fecerint et domi regressi non fuerint. Sed hec lex hodie magis haberetur ad dominorum damnum quam ad proficuum, quia, si servi, dum in fuga fuerint, culpam, unde 900 solidi iudicantur, fecerint et eorum domini, antequam servi domi revertantur, exinde appellati fuerint, iuxta hanc legem domini pro servis 900 solidorum medietatem conponerent; sed si predictam non fecerint culpam in fuga, et servi ante regressi fuerint quam domini eorum exinde sunt appellati, domini pro servis non componerent nisi 60 solidos et insuper personam servi traderent ad occidendum per legem Grimoaldi quae est « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3). Sed male dicebant, nam ita salvatur ab Ugone: predicte leges ab hac non corrumpuntur, quia non loquuntur de dampno a servis facto in fuga. — § 4. Notandum est quoque: si servus, dum in fuga est, hominem liberum super eum ambulando sine consilio domini sui occiderit, dominus medietatem tantum dampni, id est medietatem widrigild, sicut hec lex precipit, non conponeret, quia de hoc rupta est a Liuprandi lege « Si servus cum voluntate domini sui » (Liutpr. 21). Nam ibi legitur: « si servus sine consilio domini sui hominem liberum occiderit, componat dominus widrigild et tradat servum in manus parentum defuncti ». — § 5. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Petrus servus tuus fugiens fecit ei damnum usque ad solidos 20, aut certam suspectionem habet, quod res mobiles solidos 20 valentes ei fugiens abstulit.

solidos 100 aut fecit sibi dannum tale. — Volo tibi medietatem emendare, quia fugit foras provintiam. — Iuret, quod ambulavit foras provintiam. — Si dixerit qui appellat: non recipiam, nisi omne dannum quod michi fecit, quod regressus est — probet. Sin autem, iuret qui appellatus est, quod regressus non sit, et emendet medietatem.

257. Si mulier libera fulcfrea super furtum conprehensa fuerit, furtum quod fecerit, sibi nonum conponat; nam alia culpam non requiratur, pro eo quod iniuria passa est; sed vitium suum reputet qui opera indecentem facere temptavit [*cf. Roth.* 253. *Liutpr.* 146].

Maria, insimul cum Petro tuo tutore, te appellat Martinus, quod ipse comprehendit te super tanta mobilia sua, quae habebas sibi sublata furto, quae valebant solidos 10.

258. Si haldia aut ancilla super furtum tempta fuerit, conponat dominus earum furtum ipsum sibi nonum, excepto pro culpa solidos quadraginta [*cf. Grim.* 9].

Petre, te appellat Martinus, quod ipse comprehendit Mariam tuam aldiam vel ancillam super furtum.

259. Si liber homo puerum aut servum suum furtum facere iusserit et ipse furtus inventus fuerit, sibi nonum conponat, et alterum tantum in curtem regis persolvat, quia inhonestum esse vedetur et nulli rei convenit rationi, ut homo liber se in furtum debeat miscere aut consensum prebere.

---

257. Notandum est, quod in hac lege, fulfreal pro libera nascente et pro liberta posita est: quia si pro altera tantum poneretur, non haberemus legem, qua altera supra furtum comprehensa iudicaretur. Et querenti, ubi fulfreal pro libera nascente reperiatur, lex retro posita que est « Si aldius cuiuscumque liberam mulierem fulfreald tulerit » (Roth. 216) ei dicatur; vel ubi fulfreal reperiatur [pro liberta], vel alia lex retro posita que est « Si quis servum suum proprium » (Roth. 224) et cetera ei ostendatur: quia cum dixerit: « Item qui fulfreal fecerit », posuit fulfreal pro liberta. — § 2. Hec lex ideo dixit: « nam alia culpa non requiratur », ne aliquis intelligeret, quod ab ea que capta fuit, ut de latrone capto supra furtum, per supradictam legem (Roth. 253) 80 solidi exigantur. Vel alii dicunt, ideo dixit: « alia culpa non requiratur », ne aliquis diceret, quod ipsa femina agere posset adversus eum, qui eam accepit, de iniuria ab eo sibi illata.

258. In hoc quod dicit dominum solidos 40 debere componere pro ancilla a Grimoaldi ultima lege corrumpitur.

259. In eo quod in hac lege legitur: « et alterum tantum in curte regis persolvat », a Liuprandi lege que est « Si quis commendaverit res suas » (Liutpr. 130) corrumpitur, quia ibi legitur: « quod non possumus in una causa duas calumpnias inponere ». Sed a quibusdam ita salvatur, dicendo, illud quod est « non possumus in una causa duas calumpnias inponere » non esse generaliter dictum et specialiter dictum esse solummodo de causa illa unde hec lex locuta est. — § 2. Hec lex in hoc quod dicit: « nulli rationi convenit, ut homo in furto se debeat conmiscere aut consensum prebere », dat intelligere, omnem hominem pro sola iussione aut consensu furti esse culpabilem, quo a quarti libri Institutionum lege prima differre cognoscitur, in qua legitur: « certe qui nullam operam ad furtum faciendum contulit, sed tantum consilium dedit atque hortatus est ad furtum faciendum, furti non teneatur » (Inst. IV, 1, 11).

Petre, te appellat Martinus, quod tu iussisti Marcoardo tuo filio aut tuo servo, ut ipse furatus esset sibi talem rem.

Vel ita: Petre, te appellat Iohannes, quod habet certam suspectionem, quod Marcoardus tuus servus furatus est sibi tantum mobile solidos 10 valens.

260. Si quis aurum aut vestis seu qualibet rem in via invenerit, et super genuculum levaverit, et non manefestaverit aut ad iudicem non adduxerit, sibi nonum reddat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti talem suam rem in via, et super geniculum levasti, et non manifestasti, aut ad iudicem non duxisti. — Vel ita: quod habet certam suspectionem quod tu es fur.

261. Si servus, dum ancillam alienam habet uxorem, furtum fecerit, et ancillam et filiûs, servûs alienûs, notriverit, omnem furtum, quod fecerit, servus conponat; nam nihil repotetur in culpa nec in damnositatem ancillae vel filiis eius. Tantum est, si ancilla aut filii simul cum patre ad furtum faciendum non ambolaverint; nam si fecerint, similis illi efficiantur.

Petre, te appellat Iohannes, quod ipse habet certam suspectionem, quod Marcoardus tuus servus abstulit sibi furto tantum. — Si dicit: fecit, sed cum ancilla Iacobi, sua uxore, adunet se per usum.

Petre, te appellat Martinus, quod Dominicus, servus Pauli, habet Mariam tuam ancillam ad uxorem, et habebat filios ex ea; et habet certam suspectionem quod ipsa et ipsi cum eo insimul fecerunt tantum furtum, quod valebat solidos 20.

262. Si servus, dum in fuga est positus, res aliquas cuilibet homini commendaverit, posteaque proprius dominus requisiverit eas, et ille qui suscepit denegaverit, et postea inventum fuerit, pro furtum eas reddat.

Petre, te appellat Martinus, quod Paulus suus servus erat positus in fuga, et commendavit tibi sua tanta mobilia, quae valebant solidos 10.

263. Si plures homines furtum in unum fecerint, tam liberi quam servi, liceat eos si voluerint, se insimul adunare et furtum ipsum in actogild reddere. Si quis se ex ipsi deviderit, pro se tantum legibus conponat, id est ipsum furtum sibi nonum [*cf. cap.* 12].

---

260. Notandum, quod, licet hec lex dixisset: « rem in via invenerit », tamen idem intelligendum est, si alibi invenit: sed de via tantum ideo dixit, quia ad ea quae sepius accidunt aptatur regula iuris (Cf. Dig. I, 3, 4, 5).

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu furatus es sibi tanta sua mobilia, quae valebant solidos 10. — Furatus sum, sed volo me adunare cum Paulo.

264. Si liber aut servus vellit foris provincia fugire, et iudex aut quicumque, qui in finibus provinciae resedit, eum praeserit, teneat eum, et res, quas secum detulerit, salvas faciat; et mox mandet ad iudicem de locum unde fugire coepit, quatinus eum recipiat, et dit pro uno fugace solidos duo, ita ut cum rebus quas secum detulerit, reddatur. Et si contegerit eum de legamen fugire, praebeat sacramentum ille qui eum tenuit, quod non asto eum laxassit, sed cum tota virtutem custodire voluissit: post datum sacramentum res quas ei tulit, reddat, presura autem non queratur, et amplius non calomnietur. Et si fugax ille manus ad legandum non dederit, et occisus fuerit, non requiratur, nisi ipsas res reddantur; et si ille, qui ipsum fugacem prendere voluerit, ab ipso occisus fuerit, nec ipse requiratur.

Petre, te appellat Martinus, quod Dominicus suus servus volebat fugere foras provintiam, aut unus latro, qui habebat sibi furata tanta mobilia, quae valebant solidos 100, et tu eum comprehendisti. — De torto. — Si dixerit: comprehendi ego illum, sed fugit — iuret, sicut lex dicit. Si discordia fuerit de rebus, quas secum portabat, de quanto manifestat reddat; et iuret quod plus non fuerint.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum servum. — Non occidi, quod per legem emendare debeam.

265. De portonario qui super flumen portum custodit. Si quis

---

264. Lex ista, in eo quod comprehensum fugitivum a conprehendenti teneri precipit, a Liuprandi lege que est « Si servus fugax » (Liutpr. 43) corrumpitur, in hoc quod dicit: « tunc decanus aut saltarius qui in loco est » et cetera. Ideo de fugitivo conprehenso non per hanc legem, sed iuxta predictam legem iudicabimus. — § 2. Fugitivo capto res quas portabat oportet capientem auferre, quia, si contigerit, eum cum rebus de uno loco fugere, hac lege iubente ut comprehensor rés salvas faciat, compellendus est eas si perdiderit reddere. — § 3. Hec lex in hoc quod dicit: « componat pro uno fugace solidos duos » quidem roborata est a predicta lege Liuprandi quae est « Si servus fugax », in hoc quod dicit: « et habeat pro presura de ipso servo per caput solidos duos »; sed hec et illa exinde a Lotharii capitulo quod est « De fugitivis precipimus » (Loth. 33) corrumpuntur. — § 4. In eo quod fugitivum a comprehensore in repugnando occisum, aut comprehensorem ab eo comprehendendo peremptum componi prohibet, non putanda est a Liuprandi legibus (Liutpr. 20, 21) quae sunt « Si liber se defendendo », « Si servus cum voluntate » rupta, in quibus non precipitur nisi de eo, de quo retro iudicabatur fieri compositio. — § 5. Si fugitivi comprehensor sacramentum a lege ista iussum facere nequiverit, pro libero fugitivo widrigild parti publice, pro servo pretii quod appreciatus fuerit quantitatem domino eius componat. Pena hec usu et intellecto inventa est.

265. Notandum, quod hec lex dicitur esse diffinitio horum trium legum statim sequentium, que dicunt solummodo, quod portunarius conponere debeat, si probatum fuerit, quod ei imponitur, sed hec lex diffinivit, qualiter defendere se debeat, si, quod ei inponitur, negaverit. — § 2. Legis istius sententia, que portunarium solum iurare precipit a Rotharis lege que est « Si qualiscumque causa »

portonarium pulsaverit, quod fugacem hominem aut furem transposuisset, et portonarius negaverit: ita decernimus, ut praeveat solus sacramentum, quod ad conscientiam ipsius non pervenisset, quod fugitivos aut fugaces transposuissit, et sit exolutus a calomnia.

Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente transposuisti unum latronem, qui habebat sibi furata tanta sua mobilia, que valebant solidos 100.

266. Si portonarius furonem hominem sciens transposuerit cum aliquas res furtivas, collega sit furoni, et cum ipso furtum conponat; excepto sit culpavelis in curtem regis solidos 20.

267. Si portonarius mancipia fugitiva sciens transposuerit, si probatum fuerit, perquirat eas et proprio domino cum rebus, quas secum detolerit, restituat. Et si ipsi fugaces alibi transmigraverint ut non inveniantur, tunc portitor ipsa mancipia, simul et res, de quantas ausus fuerit iurare qui perdedit, ei ab ipso qui sciens transposuit fugacem, reddantur sub extimationem pretii, excepto pro culpa conponat ipse portitor in curte regis solidos 20.

Petre, te appellat Martinus, quod tu se sciente transposuisti Dominicum suum mancipium cum tanto mobili, quod valebat solidos 100.

268. Si portonarius hominem liberum fugacem transposuerit, et cognoverit quod fugax est, animae suae incurrat periculum, aut conponat wergild suo; quia postquam cognovit, quod in fuga erat, si eum tenere non potuit mox innotescere aut antecurrere debuit.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu te sciente transposuisti unum hominem liberum fugacem foras provintiam.

(Roth. 359) rupta est. Sed secundum Ugonem ita salvatur, ut in hoc quod ipsa lex dicit: « et sacramentum dandum fuerit » intelligamus, quod per ipsam legem dandum sit sacramentum in illis legibus solummodo, in quibus datum non est; sed in hac lege datum est, quare per ipsam legem in hac lege dandum non est.

266. Hec lex de solidis 20 a Liuprandi lege que est « Si quis commendaverit res suas » (Liutpr. 130) rupta est, in qua una de causa duas calumpnias fieri prohibetur. Sed ita salvari potest, ut retro aliam ab eadem lege salvavimus (Expos. ad Roth. 259, § 1).

267 Hec lex appellatorem iurare precipiens, ubi dicit: « de quantis ausus fuerit iurare qui perdidit », a Rotharis lege que est « Si pro quacumque causa » (Roth. 365) corrupta est, a qua appellatum aut emendare aut se purificare secundum legem et qualitatem cause precipitur. Ita tamen salvatur: quia, si sacramentum quod retro datum est appellatori daretur appellato, tunc appellatus non posset se idoniare secundum legem, ut ipsa lex precipit, immo contra legem esset. — § 2. Rumpitur hec lex quoque de conpositione 20 solidorum a lege Liuprandi quae est « Si quis commendaverit res suas » et cetera (Liutpr. 130) in hoc quod dicit: « non possumus in una causa duas calumpnias inponere »: ita tamen salvari potest, ut alias (Roth. 259, 266) ab illa salvare solemus.

269. Si mancipius cuiuscumque post alium hominem fugierit, et dominus secutus invitaverit in pace, ut reddatur in gratia, et si in gratia redditus fuerit et in ipsa culpa dominus in eum vindictam dederit, conponat solidos 20 illi, de cuius curte eum tolit; et si denegat, quod pro ipsa culpa in eum vindictam non dedisset, praebeat sagramentum singulus ad evangelia, et sit exsolutus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu recepisti in gratia Dominicum tuum servum, qui fugit in cortem suam, et postea dedisti vindictam in eum pro ipsa culpa.

270. Si quis ille, post quem mancipius alienus fugierit, et noluerit eum post secundam aut tertiam contestationem reddere, tunc constrictus restituat ipsum mancipium, et alium similem sub extimationem pretii conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dilatavisti Marcoardum suum servum reddere in gratiam post secundam aut terciam contestationem.

271. De curtem regis. Si mancipius cuiuscumque in curtem regis confugium fecerit, et gastaldius aut actor regis ipsum mancipium post secundam aut tertiam contestationem reddere dilataverit, ita iubemus ut reddat ipsum mancipium, et alium similem de suis propriis rebus, domino quem dilataverit reddere cogatur. Et si ille, qui de curte regis ipsum in gratia receperit, postea pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, conponat in curtem regis, unde eum tolit, solidos quadraginta.

Petre, te appellat Martinus, quod tu prolongasti et reddere post

---

269. Lex haec in hoc quod hominem solum iurare precipit a predicta Rotharis lege quae est « Si qualiscumque causa » (Roth. 359) rupta est; sed ita salvatur, ut supradicta lex quae est « Si quis portunarium » ab ea salvata est.

270. Legem hanc affirmat Lodoyci capitulum quod est « Si mancipia de domino suo » (Lud. P. 28), ubi legitur: « secundum legem ea solvere cogatur ». — § 2. Si servi in duplum componendi, componende sunt opere, dicente Liuprandi lege quae est « Si quis sciens aldium aut aldiam suam » et cetera (Liutpr. 141): « nam si requisierit dominus eorum, et ille qui eos habuerit reddere noluerit, reddat operas eorum ». — § 3. Qui Romani servum susceptum commonitus reddere noluerit, post primam ammonitionem servum illum et eiusdem pretii alium aut solidos 20 cogendus est reddere. Quod, usque ad tertiam commonitionem, si totiens repugnaverat, faciendum, est decretum ut in Codicis sexti libri dicente lege: « Quicumque fugitivum servum in domum » (Cod. VI, 1, 4).

271. Quamquam iuxta hanc legem solidi 20 duplicantur, non est intelligendum, ut 40 duplicentur ulterius (ex l. Roth. 370). — § 2. Hanc legem in hoc quod dicit: « ita iubemus ut reddat ipsum mancipium et aliud simile de suis propriis rebus », affirmat Lodoyci capitulum quod est (Lud. P. 28) « Si mancipia de domino suo », in quo legitur: « secundum legem ea solvere cogatur ». — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu servum tuum, qui in curte regia, cuius tu es advocatus, fugiit, post secundam aut tertiam ammonitionem reddere distulisti. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu vindictam de Marcoardo servo suo in gratia suscepto sumpsisti, qui in regiam curtem, cuius advocatus est, fugit.

terciam contestationem Dominicum suum servum, qui fugerat in cortem regis, unde tu es advocatus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu recepisti in gratia Dominicum tuum servum, qui fugerat in cortem regis, unde est advocatus, et postea dedisti in eum vindictam pro ipsa culpa.

272. De ecclesia. Si in ecclesiam aut in domum sacerdotis mancipius cuiuscumque confugium fecerit, et episcopus aut sacerdos qui in loco praeest, eum reddere in gratia post tertiam contestationem dilataverit, ita decernimus, ut reddat ipsum mancipium, et alium similem de suis propriis rebus, ut supra. Et si in gratia redditus fuerit, et postea dominus in ipsum vindictam pro ipsa culpa dederit, aut se edoniet ut supra, aut sit culpabilis ecclesiae ipsius solidos 40, ita ut per actorem regis exegantur, et in sagrum altarium, ubi iniuria facta est, ponantur.

Presbiter Petre, cum Dominico tuo advocato, Martinus te appellat, quod tu prolongasti sibi reddere post terciam ammonitionem Albertum suum servum, qui fugerat in aecclesiam sanctae Mariae.

Martine, te appellat Petrus, qui est advocatus de parte publica, quod tu recepisti in gratia Albertum tuum servum, qui fugit in aecclesia sanctae Mariae, et postea dedisti in eum vindictam pro ipsa culpa. — Et si actor istos 40 solidos retinuerit, poterit dominus aecclesiae eum inde appellare.

273. Si servus intra provincia in fuga vagatur, et dominus eum invenerit, et servus ipse fugiens in curtem alienam, et dominus eius insequens eum adprehensus fuerit, non reputetur culpa domini pro eo, quod in curte alterius furorem in servum suum habens rem suam prehindere visus est. Et si ille, cuius curtis fuerit, aut aliquis ex hominibus illius mancipium ipsum de manum tulerit aut antesteterit,

---

272. In hoc quod hec lex dicit: « aut sit culpabilis ecclesiae ipsius solidos 40 » partim rupta est a Pipini capitulo, quod est « De diversis generationibus hominum » (Pipin. 28) et cetera, in hoc quod dicit: « secundum ipsius legem, cui commisit neglegentiam, emendet »; quia, si ecclesia non est in proprietate hominis Longobardi, nulla per hanc legem ei fiet compositio, cum omnis ordo ecclesiarum secundum legem Romanam vivat (Ludov. P. 53). Sed si in proprietate hominis Longobardi fuerit, hec lex exinde bona est. — § 2. Notandum quoque est, quod hec lex in hoc quod dicit: « ut reddat ipsum mancipium et aliud simile » a predicto Lodoyci capitulo (Lud. P. 28) est affirmata ad modum legum supra dictarum (Roth. 270, 271). — § 3. Petre presbiter, hoc te appellat et Iohannem tuum advocatum Martinus, quod tu servum suum per domum tuam aut in ecclesia, in qua tu es maior, fugientem post secundam aut tertiam ammonitionem in gratiam ei reddere distulisti. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, partis publice advocatus, quod tu de servo in gratiam suscepto vindictam dedisti.

273. Notandum est, quod hec lex, in hoc quod dicit: « non cogatur dominus ipsius post talem fatigationem eum in gratiam recipere », dat intellegi, quod dominus servi eum in gratiam sit cogendus accipere, si ante talem fatigationem dominus curtis eum in gratia voluerit reddere.

nullum penitus, qui servum sequitur, in curte ipsa scandalum faciat; si fecerit, qualiter in hoc edictum legitur [*cap*. 34. 277], conponat. Et qui servum antesteterit aut de manum tolerit, et ipsius sit periculum. Nam si casu facientem contigerit mancipium ipsum mori aut alibi transmegrare, ipse qui eum de manu domini sui tolerit, restituat. Et si inventus fuerit ut reddatur, non cogatur dominus post tale fatigationem eum in gratia recipere, nisi voluerit.

Petre, te appellat Iohannes, quod Dominicus suus servus vagabatur intra provintiam, et ipse eum invenit, et servus fugit in cortem tuam, et ipse eum apprehendit, et tu tulisti eum sibi de manu.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti scandalum in corte sua. — Apprehendi servum meum in corte tua, sed si aliud scandalum dicis me fecisse, iniuste me appellas.

274. Si quis mancipium fugacem in casa sua nesciente domino super novem noctes habuerit, et contigerit ipsum mancipium aliquid mali penetrare, aut mori aut aberrare, ille qui eum suscepit et celavit aut mandare neglexit, reddat ipsum mancipium aut pretium eius, et damnum quod fecerit ipse conponat, qui eum post se habuit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu habuisti se nesciente unum suum mancipium fugax super novem noctes. — De torto.

275. Si mancipium alienum refugium post alium fecerit, id est

---

274. Hec lex, in eo quod dicit: « dampnum quod fecerit ipse componat qui post se habuit », rupta est a Caroli capitulo quod est « Nemini liceat » et cetera (Karol. M. 26) in hoc quod dicit: « sed dominus eius iuxta qualitatem damni dominus pro illo respondeat ». Sed ita salvari potest, ut retro supra diximus (Expos. ad Roth. 252, § 3) in « Nulli liceat casam ordinatam tributariam loco pignoris tollere » et cetera. — § 2. Notandum est quoque, quod hic homo, apud quem mancipium istud fugerit, tantum eum recipiebat, et non dabat ei annonam, neque viam ostendebat, et illud mancipium non erat fugax in fayda, quia si intelligeretur, quod hoc mancipium esset fugax in fayda, et quod data esset annona et quod ei via ostensa esset, iam subsequentes leges (Roth. 275, 276) huic legi essent contrarie: quae contrarietas in illis satis repperiri posset, si illud esset et diligenter perscrutarentur (cf. Expos. ad Roth. 276, § 4).

275. Hec lex, in hoc quod dicit: « nam qui susceperit et non mandaverit, reddat ipsum mancipium et dampnum quod fecit, similiter et operas », et non posuit differentiam, sive ille cuius mancipium erat sciret sive non, aut si ei mandavisset sive non, a Liuprandi lege rupta est et affirmata que est « Si quis homo sciens aldium aut aldiam » et cetera (Liutpr. 141): rupta, quia, si sciverit et eum non requisiverit aut per iudicem aut per publicum, et dimisit eum apud alium diutius permanere, a Liuprandi lege predicta prohibetur eius operas requirere; affirmata in hoc, quod predicta lex dicit: « nam si requisierit dominus eorum, et ille qui eos habuit et neglexerit reddere, reddat operas eorum sicut lex est ». — § 2. Hec lex, in hoc quod dicit: « et dampnum quod fecerit reddat », rupta est a Caroli capitulo quod est « Nemini liceat » (Karol. M. 26), in hoc quod dicit: « sed iuxta qualitatem dampni dominus pro illo respondeat ». Ita tamen salvari potest, ut supradictam legem ab ea salvavimus (cf. Exposit. ad Roth. 252, § 3: ad Roth. 274, § 1). — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei mandare neglexisti, ut servum suum, qui ad te pro offensa fugit, in gratiam reciperet.

in fraida, mox mandet domino ipsius, quam citius potuerit, aut per scriptum aut per certo homine, quatenus eum in gratia recipiat; et si noluerit eum recipere, et dilataverit, et contigerit eum alibi translatare, nulla culpa illi sit, qui eum prius in casa sua suscepit. Nam qui susceperit et non mandaverit, reddat ipsum mancipium, et damnum cui fecerit, simul et operas.

Petre, te appellat Martinus, quod unum suum mancipium fecit refugium apud te per offensionem quam sibi habebat factam, et tu non mandasti sibi, quod reciperet in gratiam.

276. Si quis mancipium sciens fugacem susceperit aut anonam dederit, aut viam ostenderit, et mancipius ipse fuga lapsus inantea fugerit, ipse eum perquirat, qui anonam dedit aut viam ostendere praesumpsit; et si eum non invenerit, reddat pretium mancipii, simul et de res quas secum portaverit; et si inventum fuerit, reddat ipsum et operas.

Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente recepisti Dominicum suum servum fugacem, et dedisti sibi manducare, aut ostendisti ei viam.

277. De haistan, id est furorem. Si quis in curtem alienam haistan,

---

276. Hec lex in hoc quod dicit: «reddat ipsum et operas» a predicta Liuprandi lege quae est «Si quis homo sciens aldium» (Liutpr. 141) et cetera rumpitur et affirmatur ad modum superioris legis. — § 2. Si quis servum fugitivum sciens esse furem in hospitio susceperit, non iuxta hanc legem sed iuxta Pipini capitulum, quod est «Quicumque post missam sancti Iohannis» (Pipin. 41) dabitur compositio. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Paulum servum suum sciens fugacem esse suscepisti et ei annonam dedisti aut viam ostendisti. — § 4. Sciendum est quoque, quod si aliquis mancipium susceperit et ei annonam non dederit neque viam ostenderit et latro non fuerit et non erit fugax in fayda ipsum mancipium, per suprascriptam legem penam suscipiat quae est «Si quis mancipium fugax in casa» (Roth. 274), ut supra diximus; si mancipium propter offensionem factam ad dominum apud aliquem fugerit, fiat secundum suprascriptam mediam legem (Roth. 275); si mancipium susceptum fuerit et ei annona data fuerit vel via ostensa et latro non fuerit, fiat secundum hanc legem.

277. Si quis irato animo in alienam domum introierit, quam aliquis permittente eo cuius est propria habitat, non ei cuius est propria sed habitanti cogendus est emendare, quandoquidem «sua» habitantis potest domus ipsa vocari, quod in Institutionum quadam lege quae est «Generaliter iniuria dicitur» evidenter exprimitur. Ibi enim legitur (Inst. IV, 4, 8): «vel domum suam vi introitum esse dicat. Domum autem accipimus, sive in propria domo quis habitet, sive in conducta vel gratis concessa, sive hospitio receptus sit». — § 2. Lex ista, curtem tantum nominans, domum intelligere voluit; quod videri potest in quadam Liuprandi lege que est «Si quis commendaverit res suas» et cetera (Liutpr. 130) in hoc quod ibi legitur: «quoniam si ille componat cuius res fuerint, postea ille cuius casam rupit querat ei rupturam case suae», cum nulla alia lex sit retroposita que locuta sit de casae ruptura, nisi «curtis» tam pro casa quam pro curte sit posita. Et quod in hac lege sit posita «curtis» tam pro casa quam curte, videri quoque potest in alia Liuprandi lege que est «Relatum est nobis, quod aliqui perfidi homines» et cetera (Liutpr. 140), quia in hoc quod dicit: «aut casas alienas, timentes illam compositionem que in antiquo edicto posita est», respiciens ad hanc legem ostendit, quod «curtis» in hac lege sit posita tam pro casa quam pro curte, cum alibi non contineatur de compositione rupture case, nisi curtis dupliciter ponatur.

id est irato animo, ingressus fuerit, vigenti sol. illi conponat cuius curtis fuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu introisti in cortem suam irato animo.

278. De hoberos, id est curtis ruptura. Mulier curtis rupturam facere non potest, quod est hoberos; absurdum videtur esse, ut mulier libera aut ancilla, quasi vir cum armis vim facere possit.

279. De concilio rusticanorum. Si servi, id est concilius, manu armata in vico intraverint ad malum faciendum, et quicumque liber homo sub regni nostri dicione positus cum illis in capite fuerit, animae suae incurrat periculum, aut conponat solidos nongentos, medietatem regi et medietatem cui iniuria inlata est. Servi enim, qui cum ipso fuerint ex eodem concilio, unusquisque solidos quadraginta sit culpabilis, medietatem regi et medietatem ut supra.

Petre, te appellat Martinus, quod servi de Aquino per concilium intraverunt super eum in vico de Palastino ad malum faciendum, et tu fuisti in capite in vico tali cum illis.

Petre, te appellat Martinus, quod servi de Gabiis per concilium intraverunt super eum ad malum faciendum, et Dominicus fuit in capite, et Paulus tuus servus fuit cum illis, aut fuit in capite.

280. De rusticanorum seditionem. Si per quacumque causa homines rusticani se collegerint, id est concilios et seditionis facere

---

279. In hoc quod hec lex illos qui in capite fuerint mori aut 900 solidos componere et sequaces 40 precepit, et non posuit differentiam, sive hec adunatio sit facta obligatione vel sacramento seu dextra, rupta est in parte a duobus capitulis Lotharii que sunt « Volumus de obligationibus » et cetera (Loth. 4. 67) et « De conspirationibus » et cetera: quare iuxta hanc legem exinde non ibimus, sed iuxta ipsa capitula exinde iudicabimus. Ita vero salvatur, ut intelligatur, hanc adunationem non esse factam obligatione, sacramento vel dextra. — § 2. Si per comitis neglegentiam adunatio facta sit aut emendata non fuerit, et ille qui adunationis caput est, habens aliquam dignitatem, solidis 900 caruerit, donec in regis presentiam veniat, mortis sententiam non subibit, quia capitulum Lotharii quod est « Collecta ad malum faciendum » et cetera (Loth. I, 55) ita precipit. — § 3. Notandum est quoque, quod preter penam que hac in lege precipitur iuxta Lodoyci capitulum quod est « Si servi per contumaciam » (Lud. P. 54) pro servo bannum, id est 60 solidos, compositurus est dominus. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu aut Petrus servus tuus caput fuisti servorum intrantium super eum in vicum talem, aut Andreas servus tuus fuit cum eis.

280. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod, servis vel liberis in tali loco adunatis et super eum maligne venientibus, tu eorum caput fuisti, cum bovem, quem de Petri servi sui domo abstulit, ab eo auferrent, aut in eandem adunationem ad sibi nocendum cucurristi. — § 2. Lex ista de liberis et servis debet intellegi. — § 3. Quod in hac lege scriptum est: « emendet regi et emendet ei cui iniuria illata est », tam de anime redemptione quam de 12 solidorum compositione oportet intellegi. — § 4. Si ista adunatio per sacramentum vel dextram sive per obligationem facta fuerit, ad modum supradicte (Cf. Roth. 279. Expos. § 1) legis a predictis Lotharii capitulis rumpitur et salvatur. — § 5. Hec lex de hoc quod dicit: « ut, si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur, ideo quia, qui eum occidit, se defendendo fecit », rupta est a Liuprandi lege quae est « Si quis liber homo se defendendo » (Liutpr. 22). Sed ita salvatur: si per ipsam legem hic componeretur quem Rotharis componi prohibuit, tunc non componeretur « sicut Rotharis instituit ».

presumpserint, et cuicumque se anteposuerint, aut mancipium aut peculium de manu tullerint, quod de casa servi sui dominus tollere voluerit: tunc ille qui in caput ex ipsis rusticis fuerit, aut occidatur aut redimat animam suam, quantùm adpretiatus fuerit; et unusquisque qui in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, conponat sol. duodecim, medietatem regi et medietatem cui iniuria fecerit aut se anteponere presumpserit. Et si ille qui rem suam quaerere aut exegere videtur, ab ipsis rusticis feritas aut plagas facta habuerit, sicut superius [*cap.* 43 *sqq.*] statutum est, ei conponatur; nam pro praesumptione tantum poena suprascripta patiantur. Et si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur, quia ille qui eum occisit, se defendendum et res suas vindicandum hoc egit.

Petre, te appellat Martinus, quod villani de Ulibris se adunaverunt per concilium et super eum venerunt in vicum talem, et tulerunt sibi unum mancipium de manu aut bovem, quem volebat tollere de casa sui servi, et tu fuisti in capite cum illis, aut cucurristi in ipsam seditionem ad malum faciendum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum servum. — Non occidi, quod per legem emendare debeam.

281. De furta et pena fenita. Si quis de lignario alterius lignum furaverit, conponat illi cuius lignarius fuerit solidos sex.

282. Si quis de casa erecta lignum quodlibet aut scandolam furaverit, conponat solidos sex.

283. Si quis de lignamen adunatum in curte aut in platea ad casam faciendam furaverit, conponat solidos sex; si autem in silva dispersum fuerit et furaverit, conponat in actogild.

284. De orto. Si quis in orto alterius introierit aut salierit ad furtum faciendum, conponat solidos sex; nam si post suam rem ingreditur et damnum non fecerit, non sit culpavilis.

285. De idertzon. Si quis sepem alienam ruperit, id est idertzon, conponat sol. sex.

286. De axegias. Si quis axegias de sepe, id est axegiato, una aut duas tulerit, conponat solido uno.

287. De sepe stantaria. Si quis de sepe stantaria facta vimen tulerit, conponat solidum unum; si autem pertica transversaria tulerit, conponat solidos tres.

---

281. Hec lex et prope sequentes leges, que alio modo quam sibi nonas res malo ordine sublatas emendari precipiunt, a Liuprandi lege que est « Si quis porcos » (Liutpr. 150) corrumpuntur, quia in ea legitur: « componat eum in octogild sicut qui malo ordine res alienas tulit » . . . . . . et respexisse ad alias leges nisi in quibus maligni actus pena specialiter non erat data.

288. De plovum. Si quis plovum aut aratrum alienum iniquo animo capellaverit, conponat solidos tres, et si furaverit, reddat in actogild.

289. De tentinno. Si quis tintinno de super cavallo aut bove furaverit, conponat solidos sex.

290. De iugum. Si quis iugum furaverit, conponat solidos sex.

291. De sogas. Si quis sogas furaverit de bovis iunctorios, conponat solidos sex. Et si qualemcumque rem mediocrem, unde sex solidi aut minus in hoc edictum sunt iudicati, si fur ipse supertentus fuerit, non sit figangit, nisi tantum conponat sicut constitutum est [*cf. cap.* 253. 254].

292. De vitem uvarum. Si quis vitem expoliaverit, id est aminicula tulerit super tres aut quattuor, conponat solidos sex.

293. De paló quod est carracio. Si quis palum de vite tulerit, conponat solidos sex.

294. De vite incisa. Si quis vitem de una fossa asto capellaverit, conponet solido uno.

295. De travicem vitis. Si quis travicem de vitem inciderit, conponat medio solido.

296. De ubas. Si quis super tres uvas de vinea alienam tulerit, conponat solidos sex; nam si usque tres tulerit, nulla sit illi culpa.

297. De ambulatorias. Si quis pastoriam de caballo alieno tulerit, conponat solidos sex.

298. De capistro. Si quis capistrum de caballo tulerit, conponat solidos sex.

299. De retis. Si quis retes alienas aut nassas levaverit, aut in piscaria aliena pisces tulerit, conponat solidos tres.

Petre, te appellat Martinus, quod tu levasti retia sua aut nassas aut de piscaria sua pisces tulisti.

300. De arboribus. Si quis rovore aut cerrum, seu quercum quod est modola, hisclo quod est fagia, infra agrum alienum aut culturam seu clausùram, vicinos ad vicinum inciderit, conponat per arborem tremisses duos. Nam iterans homo si propter utilitatem suam foris clausuram capellaverit, non sit culpavilis.

Petre, te appellat Martinus, quod tu incidisti unam arborem sibi, aut unum cerrum, aut capellasti sibi unam castaneam, nucem, aut unam olivam.

---

300. Malo ordine ablate sibi none sunt componende arbores.

301. Si quis castenea, nuce, pero aut melum inciderit, conponat solido uno.

302. De olivam. Si quis olivo capellaverit aut succiderit, conponat solidos tres.

303. Si homo aut quislevit peculius in sepe alterius texta cum vimen se impegerit, et mortuus aut aliquam lesionem passus fuerit, tunc ille qui sepem ipsam fecit et caput maiorem aut minorem de vimen foris dimisit, ipse sit culpavelis homicidii aut lesionis.

Petre, te appellat Martinus, quod unus suus caballus impalavit se, testa viminis foris stante, in sepe tua.

304. Si cavallus aut quislibet peculius in clausura alterius intus saliendum se inpalaverit, non reddatur ab ipso cuius sepem est: et si ab infra in foris salierit et se inpalaverit, tunc ille cuius sepe esse invenitur, eum conponat. Et damnum, si intra ipsa clausura fecerit, conponat ei cuius clausura est.

Petre, te appellat Martinus, quod unus suus caballus impalavit se in sepe tua foras saliendo.

305. Si quis fossatum circa campum suum fecerit, et cavallus aut alter peculius ibidem ceciderit, aut homo periclitaverit, non requiratur ab ipso, cuius fossatum invenitur esse, quia pro salvatione campi sui fecit, nam non dolose tractavit. Et si eum occulte cooperierit, et damnum si factum fuerit, conponatur ab ipso qui occulte fecit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti unum fossatum circa campum tuum et cooperuisti eum occulte, et unus suus caballus ibidem ceciderit.

306. De puteo. Si aliquid in puteo alterius ceciderit, et mortuum aut debilitatum fuerit, non requiratur cuius puteus est: quia puteus aquae communis omnium utilitatis invenitur esse.

307. De arma. Si quis alii armam suam simpliciter prestaverit, et ille qui acceperit, aliquid mali cum ipsa fecerit, non requiratur illi culpa, qui prestetit, sed ei qui malum cum ea penetravit. Et e contrario, si ille qui prestetit, consensum ad malum faciendum habuit, collegas illi sit ad ipsum malum sanandum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu prestitisti unam tuam spatam Marcoardo, unde ipse occidit suum patrem, et prebuisti eum consensum ad hoc malum faciendum.

---

304. Si incise arbores sublate fuerint, eo quod malo ordine sunt ablate, sibi none sunt conponende.

308. Si quis suam auctoritatem arma alterius tollere presumpserit, et malum cum ea fecerit, non sit illi culpa, cuius arma est, sed illi, qui cum ea malum fecit.

309. De fera. Si qua fera ab homine plagata fuerit et in ipso furore hominem occiderit, aut quodlibet damnum fecerit, tunc ipse qui plagavit ipsum homicidium aut damnum conponat, sub ea vidilicit observatione, ut tamdiu intellegatur culpa venatoris, quamdiu eam secutus fuerit, aut canis ipsius. Nam si ipsa fera postposuerit et se ab ea turnaverit, posteaque fera ipsa damnum fecerit, non requiratur ab eo qui plagavit aut incitavit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu plagasti unum cervum, et in ipso furore occidit patrem suum.

310. De pedica. Si in pedica aut in taliola fera tenta fuerit et in hominem aut in peculium damnum fecerit, ipse conponat qui pedica misit.

Petre, te appellat Martinus, quo in una tua taliola fuit tentus unus ursus, et occidit patrem suum.

311. Si quis super fera ab alio plagata, aut in taliola tenta, aut a canibus circumdata, iter suum postponens, volens eam lucrari, super ipsam se miserit, et ab ipsa plagatus fuerit aut occisus, non requiratur ab eo qui plagavit aut incitavit, sed suae culpae et audaciae repotit, qui cum auctoritate lucrandi animo se super eam misit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu plagasti unum ursum, et ipse occidit patrem suum.

312. De fera inventa ab alio vulnerata. Si quis fera ab alio vulnerata aut in taliola tenta aut a canibus circumdata invenerit, aut forsitan mortua, aut ipse occiderit et salvaverit, et bono animo manefestaverit, liceat eum de ipsa fera tollere dextro armo cum septem costas.

313. De fera celata. Si quis fera ab alio plagata, aut forsitan mortua invenerit et celaverit, conponat solidos sex illi qui eam plagavit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti unum ursum, quem ipse habebat plagatum et celasti.

314. Quamdiu fera intellegatur esse venatoris. Si cervus aut qualebit fera ab alio hominem sagittata fuerit, tamdiu illius esse intellegat, qui eam sagittavit, usque ad aliam talem horam diei aut noctis, id est oras vigenti quattuor, quo eam posposuit et se turnavit. Nam qui eam post transactas predictas horas invenerit, non sit culpavelis, sed habeat sibi ipsa fera.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habebat sagittatam unam feram, et tu invenisti eam, et vult, ut dones sibi eam.

315. De cervo domestico. Si quis cervum domesticum qui tempore suo rugire solit, fragiaverit, conponat domino eius solidûs duodicem; nam si furaverit, in actogild reddat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu furatus es ei unum suum cervum, qui iam rugiebat, aut occidisti.

316. Si quis cervum domesticum alienum, qui non rugierit, intrigaverit, conponat domino eius solidos sex; nam si eum furaverit, reddat in actolgild.

317. De aves domesticas. Si quis acceptore, grova aut cicino domestico alieno intrigaverit, sit culpabiles sol. sex.

Petre, te appellat Martinus, quod tu intricasti sibi unum acceptorem domesticum aut gruem aut cignum.

318. De apes. Si quis de apeculare vas cum apes furaverit unum aut plures, conponat solidos duodecim.

319. Si quis de arbore signato in silva alterius apes tulerit, conponat solidûs sex. Nam si signatum non fuerit, tunc quicumque invenerit, iure naturale [§ 12. *Inst. de rer. divis. II*, 1] habeat sibi, excepto in gahagio regis; et si contegerit dominum, cuius silva est, supervenerit, tollat mel, et amplius culpa non requiratur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti de una sua arbore signata apes aut acceptorem.

320. De acceptoris. Si quis de silva alterius accepturis tulerit, excepto gahagium regis, habeat sibi. Nam si dominus selvae supervenerit, tollat acceptoris, et amplius culpa adversus eum non requirat. Et hoc iubemus: si quis de gahagio regis tulerit accepturis, sit culpabiles solid. duodicem.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu tulisti de gaio regis unum acceptorem.

321. Si quis de arbore signato in silva alterius acceptures de nido tulerit, conponat solidos sex.

322. De canis incetatûs. Si quis canis alienûs clamaverit aut incetaverit et damnum fecirint in hominem aut in peculium, non repotetur illi culpa, cuius canis sunt, sed illi qui eos incitavit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu clamasti canem Iohannis et incitasti eum super suas bestias, et habuit tale dannum.

323. De homine rabioso. Si peccatis eminentibus homo rabiosus aut demoniacus factus fuerit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non requiratur; tantum est, ut sine culpa non occidatur.

324. Si canis aut caballus aut quislibet peculius rabiosus factus fuerit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non requiratur a domino, et qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur, ut supra.

Petre, te appellat Martinus, quod unus tuus caballus occidit Paulum suum patrem.

325. De quadrupedia, si in hominem aut in peculium damnum fecerit, ipse conponat damnum, cuius fuerit peculius.

326. Si caballus cum pede, si boves cum corno, si porcus cum dentem hominem intrigaverit, aut si canis morderit, excepto ut supra si rabiosus fuerit, ipse conponat homicidium aut damnum, cuius animales fuerit, cessante in hoc capitulo faida, quod est inimicitia; quia muta res fecit, nam non hominis studium.

Petre, te appellat Martinus, quod una tua quadrupes occidit patrem suum.

327. De caballo praestito. Si quis praestitum aut conductum caballum aut bovem aut canem aut quolibet animalem habuerit, et dum in ipso beneficio aut conductura est, damnun fecerit, non requiratur proprio domino, sed ille qui praestitum post se habuit, ipse homicidium aut damnum conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod habebas unum caballum de Dominico in prestito aut conductura, et occidit unum suum servum.

328. Si animales alienum animalem occiderit aut intrigaverit, id est boves bovem, aut quislibet peculius, tunc dominus qui animalem suum intrigatum invenerit, aut forsan iam marcidum aut minuatum, iubemus ut consignet ipsum intrigatum illi, cuius animales eum intrigavit, ut similem qualis in illa diae fuit, quando fragiatus est, recipiat ab ipso cuius animales hoc fecit.

Petre, te appellat Martinus, quod unum tuum animal intricavit unum suum bovem.

329. De cane furato. Si quis canem furaverit, sibi nunum reddat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu furatus es sibi unum suum canem.

330. Si quis se vindicandum occiderit canem alienum, id est cum spata aut virga, aut cum qualebit arma mano tenendo, non ei requiratur; tantum est ut ipsa virga tales inveniatur esse, ut mediocris spata. Nam si post ipsum iactaverit, et eum occiderit, reddat ferquido id est similem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti unum suum canem.

331. Si quis canem alienum nocte aut in diem damnum facientem in casa sua invenerit, si eum occiderit, non requiratur; et si occisus non fuerit, damnum quod fecirit, dominus reddat.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse invenit unum tuum canem in casa sua dannum sibi facientem.

332. De vacca praegnante. Si quis percusserit vacca pregnantem, et avortum fecerit, conponat tremisse uno. Et si mortua fuerit, reddat eam qualiter adpraetiata fuerit, simul et pecus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu percusisti unam suam vaccam pregnantem, et abortum fecerit, aut unam suam equam, aut unam ancillam.

333. De equa praegnante. Si quis percusserit equa praegnante, et avortum fecirit, conponat solidum unum; et si mortua fuerit, reddat eam, simul et pecus, ut supra [*cap.* 332].

334. De ancilla praegnante. Si quis percusserit ancilla gravida et avortum fecirit, conponat solidos tres. Si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, conponat eam, simul et quod in utero eius mortuum est.

335. De animale excoriato. Si lupus animalem cuiuscumque occiderit, et aliqui eum nesciente domino excortecaverit et celaverit, et per prodituren inventum fuerit, conponat solidos duodicem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu excoriasti unum suum bovem, quem habebat mortuum unus lupus, aut erat in taliola, et invenisti eum in tali flumine et excoriasti.

336. Si in flumine animal mortuus fuerit aut ubicumque, et ab alio homine, cuius non fuerit, excoriatus fuerit; qui eum excoriavit, conponat solidos duodicem.

337. De caballo plagato. Si quis caballum alienum aurem aut oculum excusserit, aut aliquam laesionem corporis fecerit, recepiat ipsum qui laesus factus est, et reddat ei ferquido id est similem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu excussisti ad unum suum caballum aurem aut oculum.

338. De coda caballi. Si quis caballum alienum coda cappellaverit, id est setas tantum, conponat solidos sex.

Petre, te appellat Martinus, quod tu capellasti ad unum suum caballum caudam.

---

337. Quod in hac lege et proprie sequente lege de caballo precipitur, usu et exemplo legis huius in quadrupedibus observandum est. — § 2. A lesione intemperabili est legis huius sententia.

339. Si quis caballum alienum plagaverit aut aliquam lesionem fecerit, tunc dominus illius cavalli retradat cavallum ipsum illi homini, qui ei lesionem fecit, ut ipse eum sanet; et dum ipsum sanare potuerit, det illi suum proprium cavallum, qualiter usque suam faciat utilitatem. Et si cavallus, qui lesus fuit, ad pristinam redierit sanitatem, reddat ipsum proprio domino; si autem ex ipsa lesione mortuus fuerit, reddat alium similem. Et si contegerit, ipse cavallus, qui pigneratus est, post ipsum moriatur, tunc satisfaciat [*cap.* 366, 368] ille, qui eum pigneratum habuit, si pulsatus fuerit, quia non per illius neglectum mortuos fuet; postea nulla sit repetitio.

Si Longobardus Longobardum appellaverit, quod suum caballum plagaverit, et negaverit, non secundum precium caballi, set secundum quod appreciata fuerit emendatio, purificare se debet.

Petre, te appellat Martinus, quod plagasti unum suum caballum. — Si dixerit, quod plagavit, recipiat ad sanandum.

Si caballus sanus factus est, antequam appellatio fiat, nichil fit.

---

339. Si vulneratus equus, antequam inde agatur, evasit, iuxta hanc legem nichil fiet. Sed iuxta quarti libri Institutionum leges, que sunt « Dampni iniuria actio », « Superest ut de actionibus » (Inst. IV, 3, 6) et Codicis libri tertii capitulum quod est « Contra negantem ex lege Aquilia, id est si dampnum per iniuriam dedisse probetur, dupli procedit condempnatio » et cetera (Cod. III, 35, 4) emendabimus, in quibus, utrum ante appellationem evaserit necne, nulla discretio est. — § 2. Appellatus aliquis de equi vulneratione non iusta equi pretium, sed secundum quod appreciata fuerit emendacio se purificet. — § 3. Si contigerit, quod ipse caballus, qui causa faciendi utilitatem datus, furatus fuerit, sic exinde fieri debet. Si ipse qui eum pigneratum habuerit ad ipsum custodiendum exactam diligentiam (Inst. III, 14, 4), id est subtilissimum studium, adhibuerit et voluerit eum domino reddere, furti actionem habere poterit per primam legem quarti libri Institutionum, quia illic legitur: « unde constat, creditorem de pignore subrepto furti agere posse » (Inst. IV, 1, 14). Si autem reddere noluerit, furti actionem non habebit, sed dominus. Et si exactam diligentiam non habuerit ille cui est datus causa faciendi utilitatem, reddere debet ad dominum per unam legem positam in tertio libro Institutionum que est « Re contrahitur obligatio », quia illic legitur: « creditor quoque qui pignus accepit re obligatur, qui et ipse de ea ipsa re quam accepit restituenda tenetur » (Inst. III, 14, 4). Et postquam reddiderit equum, a domino actionem furti habebit, non dominus, per predictam legem in quarto libro Institutionum positam, quia illic legitur: « sed actio ei competit cui interest rem salvam esse, licet dominus non sit; itaque nec domino aliter competit, quam si eius intersit, rem non perire » (Inst. IV, 1, 13). Similiter esse debet, si predictus caballus ad schachum abactus fuerit, quia in secunda lege quarti libri Institutionum sic legitur: « Et generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in re clam facta, ex hisdem causis omnes habere hanc actionem » (Inst. IV, 2, 2 i. f.). Sed Ugo dicit, lege Romana pretermissa iuxta hanc legem sufficientem diffinire posse; quia, quemadmodum iuxta hanc legem ille qui eum pigneratum habuit, si pulsatus fuerit, a culpa absolvitur, si se per sacramentum purificare potest, quod per eius neglectum mortuus non fuerit, similiter, quocumque modo ablatus fuerit, si de neglectu se purificare potuerit, a culpa absolvitur. — § 4. Quod in hac lege legitur: « tunc satisfaciat, quod per illius neglectum mortuus non fuerit », per hoc exemplum similiter debemus facere de omnibus neglegentiis in edicto scriptis, si actor probare non potuerit. — § 5. Equum ad sanandum susceptum, si, antequam de vulnere ipso sanetur, alia lesione aut morbo mori contigerit, susceptor eum emendare non cogitur. Si vero non moritur inde nec evaserit, iuxta superiorem legem quae est: « Si quis alicui equo aurem » (Roth., 337) et cetera habeatur a susceptore, alio pro eo eiusdem pretii reddito. Si autem furto aut aliqua sublatus fuerit violentia, hac lege dicente: « reddat ipsum proprio domino vel alium similem », iuxta predictam Institutionum legem furti actionem habebit su-

Petre, te appellat Martinus, quod tu plagasti unum suum caballum, et recepisti ad sanandum: modo est mortuus pro ipsa plaga.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse plagavit unum tuum caballum, et recepit ad sanandum, et dedit tibi unum suum caballum, unde tu faceres tuam utilitatem: modo est sanus tuus caballus, vult, quod des sibi suum et recipias tuum. — Meum recipio, sed tuum non dabo, quia mortuus est. — Iuret, quod per suam neglegentiam mortuus non sit.

340. Si quis cavallum alienum ascenderit et infra vicinia tantum cavallicaverit, id est prope ipsum vicum, conponat solidos duos; nam si inantea eum caballicare presumpserit et dominum non rogaverit, in actogild reddat.

Petre, te àppellat Martinus, quod tu ascendisti in unum suum caballum et caballicasti eum intra viciniam aut foras viciniam, et eum non rogasti.

---

sceptor, in qua legitur: « actio furti competit cuius interest rem salvam esse, licet dominus non sit ». — § 6. Quod in hac lege scriptum est: « et dum sanare potuerit, det illi suum caballum, qualiter usque suam faciat utilitatem », intellectum habet huiusmodi, ut, si pro utilitate facienda datum equum absque susceptoris neglegentia mori contigerit, loco eius ad utilitatem faciendam, donec vulneratus sanetur, ille qui vulneravit det alium equum valentem illum quem vulneravit; si equum quemlibet habere nequiverit, iuxta equi extimatam utilitatem ipsemet ad terminum tradatur servitio (Karol. M. 34). — § 7. Si quis caballum ad sanandum susceptum plagaverit, dici posset, quod ille qui plagaverit dare debeat suum caballum proprio domino plagati caballi, quemadmodum ille dedit qui eum ad sanandum susceperat. Sed iniquum esset: quia hec lex pro alio vulnere non precipit, caballum dari pro utilitate facienda, nisi pro quo caballi dominus utilitatem amittat; sed pro hoc vulnere dominus utilitatem non perdit, quia pro primo vulnere amiserat. Quapropter equanimiter considerandum est, ut unusquisque vulnus quod fecit sanet, et primo vulnere sanato reddatur equus qui pro utilitate restituenda datus erat, et ille det suum, cuius vulnus ad sanandum restat. — § 8. Usu et exemplo huius legis, si quis quodlibet animal plagaverit et inde utilitas possit ammitti, recipiat illud ad sanandum, et det eque valens eiusdem generis animal ad utilitatem faciendam, donec illud sanatum fuerit, et de ceteris ut supra. — § 9. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod equum suum vulnerasti aut ei lesionem fecisti. — § 10. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod equus suus a te vulneratus, quem ad sanandum suscepisti, ex ipso vulnere mortuus est. — § 11. Lex ista, equum ad sanandum receptum et eius lesione mortuum emendari precipiens, si, antequam ad sanandum accipiatur vel in ipsa vulnerationis hora, mortuus fuerit, emendandum esse insinuat. — § 12. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei suum equum, quem, tuum equum ad sanandum recipiens, pro facienda utilitate tibi dedit, sanato tuo reddere debes. — Si dixerit esse mortuum, et appellator et de morte ambiguus fuerit, appellatus, pro ambiguitate hac mortuum esse sacramento addens, non pro sua neglegentia mortuum esse iuret.

340. Hoc sciendum est, quod, si caballus usque Romam prestitus fuerit vel ad alium locum et inantea caballicatus fuerit per ipsum vicum, de quo dominus caballi rogatus non fuerit, satis per hanc legem appellatio fieri potest. Quod potest videri in hoc quod dicit: nam si inantea eum, subaudis caballum, quem per vicum absque rogatu domini equitaverat, caballicare presumpserit et dominum non rogaverit » et cetera. Legitur enim in prima quarti libri lege Institutionum: « Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur quam utendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligunt id invito domino facere » (Inst. IV, 1, 7). — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu absque eius permissu in caballum eius ascendisti et infra vicum aut extra equitasti.

341. De disfigurato cavallo. Si quis cavallum alienum preserit, ipsumque disfiguraverit aut circinaverit, furti poena sit culpabilis, id est in actogild, sibi nonum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu prehendisti unum suum caballum et diffiguravisti vel circinavisti.

342. Si quis cavallum alienum aut quodlibet peculium, credens suum praeserit, et dominus proprius eum cognoverit, calumniaque generare voluerit; ita decernimus, ut prebeat sacramentum ille qui eum tenuit, quia non asto animo, nec aliqua causa faciente eum praesisset, sed credidit suus fuisset: sit absolutus a culpa furti, et reddat caballum proprio domino inlesum. Si autem non praesumpserit iurare, reddat eum in actogild; quia postquam cognovit, quod suus non fuit, mox debuit proprio domino innotescere. Nam si eum, postquam cognovit, quod suus non fuit, ascenderit, sit culpabilis, ut supra, solidos duo.

Petre, te appellat Martinus, quod tu prehendisti unum suum caballum, et postquam tu cognovisti, quod tuus non fuit, caballicasti eum infra viciniam aut foras.

343. De peculio in damnum inuento. Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium damnum facientem inuenerit, ipsumque in curte inclauserit, et non venerit certus dominus qui eum cognuscat: tunc

---

342. Hec lex in parte rupta est capitulo Octonis quod est « De furto aut scacho » (Ott. I, 6), quia, si proprius dominus qui caballum cognovit pugnam de furto facere voluerit, non fiet sacramentum hoc quod hic precipitur. Sed iudices antiqui dicebant: non est rupta; quia, si esset rupta, iam actor se periuraret, cum appellatus se defendit per istam legem. Sed male dicebant; quia nullus potest facere pugnam, quod actor vel reus non se periurat. Sed si hoc esset, quod inde non fieret pugna et latro tantum inde iuraret, hodie non ammitteret oculum vel nasum (Karol. M. 44), quia propter metum corporis se periuraret. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equum animo furandi comprehendisti.

343. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equum aut bovem suum in dampno tuo inventum domi aut in curte tua clausisti, et eum ad conventum vel ad comitem usque ad quartam vel quintam vicem ducere neglexisti. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « nam si ista neglexerit et inventus fuerit, sibi nonum reddat », et non posuit differentiam, sive equus ille aliquid mali passus fuerit vel non, in parte rupta est et affirmata a Liuprandi lege que est « Si quis caballum in dampno suo », et cetera (Liutpr. 85), rupta in hoc quod dicit: « si ipse caballus nichil mali passus fuerit, componat pro ipsa illicita presumptione iuxta quod ipse caballus fuerat, medietatem pretii quantum ipse caballus appretiatus fuit et ipsum caballum sanum restituat domino eius »; affirmata in hoc quod dicit: « nam si ipse caballus mortuus fuerit aut lesus, sic componat sicut in anteriore edicto legitur », id est sibi nonum et addit medietatem ipsius equi. — § 3. Hec lex quoque in hoc quod dicit: « et si istam cautelam observaverit, erit absolutus a calumpnia » ab eadem lege Liuprandi affirmatur, in qua dicitur: « et illam rationem fecit, quam anterius edictum decrevit, sic exinde procedat iudicium, sicut gloriosissimus Rotharis rex instituit ». — § 4. Queret aliquis: si quis equum in dampno suo repertum ad clausuram duxerit, et ad conventum vel ad iudicem suum ducere et sicut suum custodire et de mortui corio signum servare neglexerit, utrum semel aut bis sibi nonum equum sit compositurus? vel: si ductum ad conventum vel ad iudicem quinquies aut quater sicut suum custodire et de mortui corio signum servare neglexerit, quaeritur, utrum sit

ille qui eum in damnum invenit, ducat eum ad iudicem qui in loco ordinatus est, aut certe ante ecclesia in convento usque quarta et quinta vicem, et omnibus vocem praeconia innotescat, quia caballum invenit. Et si non venerit, qui eum cognuscat, iubemus ut ille, qui eum invenit, caballicet et custodiat eum tamquam suum proprium. Et si mortuus fuerit, signa de ipso corio conservit, ut cum venerit certus dominus, habeat quod ei ostenderet: nam si ista neclexerit et inventum fuerit, sibi nonum eum reddat, et ista cautela observaverit, sit absolutus a calumnia.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti unum suum caballum facientem dampnum et minasti ad clausuram. — De torto. — Si dixerit: ecce caballus, dicat: ego te appello, quod tu non minasti ante iudicem aut ante conventum. — Aut probet, quod minavit, aut emendet sibi nonum. — Si dixerit: non misi neglegentiam ad minare, iuret.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti unum suum caballum facientem dannum, et minasti ad clausuram. — Si dixerit: ego minavi ipsum caballum ante comitem, et mortuus est, aut ostendat signum de corio, aut iuret, quod non misit neglegentiam ad custodiendum, aut emendet sibi nonum. Si monstraverit signum de corio, et qui appellat dixerit: non est hoc signum de meo ca-

---

compositurus equum sibi nonum, semel aut bis? Sed si quis dixerit, quod ille ter sit compositurus equum illum sibi nonum, quem ducere ad conventum vel ad iudicem et sicut suum custodire et de mortui corio signa servare neglexerit, male dixerit: quia compositio per neglegentiam custodiendi sicut suum proprium vel observandi signa de mortui corio de solo ad conventum ducto fieri precipitur. Et item: si quis dixerit, quod ille sit compositurus equum bis sibi nonum, qui sicut suum custodire et de mortui corio signa servare neglexerit, male dixerit: quia compositio per neglegentiam servandi signum de corio de eo tantum, qui ad conventum ductus tamquam proprius est custoditus, exigitur. — § 5. Si quis equum in dampno suo inventum proindeque domui vel curti clausum ad conventum vel comitem ducere, vel, postquam duxerit, custodire sicut suum neglexerit, et interim furto aut schacho ei sublatus fuerit, quia pro neglegentia sibi nonum eum compositurus est, furti ei deveniat actio; si enim neglegentia defuerit, furti actione probabit equi dominus. Quod utrumque Institutionum quarti libri lex prima testatur dicens: furti autem actio ei conpetit, cui interest rem salvam esse, licet dominus non sit. Itaque nec domino aliter competit, quam si eius intersit rem non perire » (Inst. IV, 1, 13). Similiter esse debet, si predictus caballus ad scachum abstractus fuerit, quia secunda lege quarti libri Institutionum legitur sic: « et generaliter dicendum, ex quibus causis furti actio conpetit in re clam facta, ex eisdem causis omnes habere hanc actionem » (Inst. IV, 2, 2. i. f.) scilicet scachi. — § 6. Quaeritur, si quis equum in dampno suo repertum ducere ad conventum et cetera quod hec lex precipit observare neglexerit, et, cuius sit equus, non ignoraverit, utrum sibi nonum componere debeat? Cui sic est respondendum: hec lex inde nichil loquitur, quod optime videri potest, quia in hoc quod dicit: « et si non venerit qui eum cognoscat » licet, quod hec lex locuta est solummodo de tali equo, qui, cuius esset, ignorabatur. Sed iuxta sequentem legem que est « Si quis peculium de dampno suo » et cetera (Roth. 346) exinde iudicabimus: licet lex ista, de caballo et alio peculio incipiens, de solo caballo finiatur, intelligendum est tamen, de caballo et ceteris peculiis precepisse. Notandum est quoque, quod lex Liuprandi (85), de caballo solo precipiens, huius legis intellectui aliud reliquit peculium.

ballo, qui appellatus est iuret, quod non alium caballum invenit nisi ipsum unde hoc signum est. — Si dixerit qui appellat: tu fecisti in ipsum caballum plus quam in tuum proprium, iuret qui appellatus est, quod plus non fecit quam in suum proprium.

344. De peculio asto in damno misso. Si quis caballûs aut armenta asto animo in messe aliena aut in prato vel in quolibet damnum miserit, conponat per capat solidum unum, excepto damnum, sicut arbitratum fuerit, et loci consuetudo* [*cap.* 346] est: sic tamen si pastor non ausaverit iurare, quod asto animo non misisset; si iuraverit, sit exsolutus a culpa, tamen damnum conponat.

345. Si quis porcûs aut pecora asto animo in damnum alterius miserit, et se non ausaverit eduniare, conponat solido uno, excepto damno.

Petre, te appellat Martinus, quod tu misisti asto animo in messem suam quattuor caballos aut porcos, et fecerunt sibi tantum de danno, quod valebat solidos 5.

346. Si quis peculium de damno ad clausura minaverit, et ille cuius peculius est ei antesteterit, conponat solidum unum, excepto damno,

---

344. Lex ista « caballum et armenta » nominans equos et boves maioresque bestias, de quibus tantum armentum dicitur, posuisse putandum est: prope sequens vero minores tantum bestias intelligere voluit. — § 2. Sunt qui has utrasque leges (Roth. 344, 345) a lege Rotharis, que est « Si quis campum alienum astu » et cetera (Roth. 357) ruptas esse arbitrantur in hoc quod hec lex, que est « Si quis caballos », dixerit: « componat per caput solidum unum excepto dampno », et in hoc quod hec lex statim sequens dixit: componat solidum excepto dampno », cum ipsa lex quae est « Si quis campum » non precipiat compositionem nisi solidorum sex. Sed male arbitrantur, quia si hoc esset, iam hec iniquitas inde procederet: scilicet, quod minus componeretur pro campo ex toto disperso, quam si in parte dispersus esset. Quare, si campus in parte vastatur, eundum est tantum iuxta has duas leges; si ex toto vastatur, eundum est per has et per aliam quae est « Si quis campum » et cetera; ipsa enim loquitur de campo in eo casu tantum, quando ex toto vastatur, quod potest videri in hoc quod dixit: « deleverit ». Si utreque leges loquuntur de dampno campi, sive in parte sive in totum vastetur, et in Institutis legitur: « Nunquam enim actiones de eadem re concurrentes, presertim penales, alia aliam consumit » (Inst. IV, 9, 1 i. f.).

346. Notandum est, peculium hic positum esse tam pro maioribus bestiis quam pro minoribus; et quod peculium quandoque ponatur tam pro maioribus quam pro minoribus, videri potest per legem retropositam que est « Servus massarius licentiam habeat » (Roth. 234) in hoc quod dicit: « de peculio suo boves vaccas caballum » et cetera. — § 2. Hec lex solidum pro contradictione componendum esse precipiens superiores leges (Roth. 344, 345), si bestie astu in campum misse sunt, non rumpit sed penam exauxit, et super hanc penam solidi sex dentur per legem subsequentem quae est « Si quis campum alienum » (Roth. 357), si totus campus devastatus fuerit. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes quod tu bestias tuas, quas de dampno suo ad clausuram ducebat, ei contradixisti. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu sibi, pignus tres partes unius denarii valens aut fideiussorem volenti tibi dare pro emendanda vicinorum convenientia aut dampno, pro quo bestias suas ad clausuram duxisti, eas reddere noluisti, nocte una retinuisti. — § 5. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu bestiis suis a te de dampno ad clausuram ductis aquam non dedisti. — § 6. In hoc quod hec lex dicit: « et si ille cuius peculium est, tenens duritiam cordis id liberare neglexerit, tunc habeat id ille qui in dampno invenit novem noctes » et cetera que sequuntur, datur intelligi, quod etiamsi aquam eis dedisset, emendare tamen peculia debet, si mortua fuerint, quia non precipit lex ut teneat, nisi ipse cuius fuerit liberare dispexerit.

ut arbitratum fuerit. Et si in curtem perminaverit, tunc ille cuius peculius est roget eum, ut ei reddatur; sic tamen ut dit pignus per ultimum valente siliquas tres, aut certe fideiussorem sub tali titulo, ut damnum quod arbitratum fuerit conponatur, aut fabula [*cap.* 344], quae inter vicinûs est. Et si pignus suscipere noluerit, et una nocte peculium post se tenuerit, conponat solido uno. Et si ille, cuius peculius est, tenens duritiam cordis eum liberare dispexerit, tunc habeat eum ille, qui in damnum invenit, novem noctis; aqua tantum ei dit, et de damnum in hoc sibi sit contentus, eo quod novem noctis ipsum peculium tenuit. Et si ex ipso peculio aliquid mortuum fuerit, neglegentiae suae repotit, qui dispignerare neglexit.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse minabat tuum peculium de suo danno ad clausuram, et antestetisti ei.

Petre, te appellat Martinus, quod tu minasti suum peculium de tuo danno ad clausuram, et ipse voluit tibi dare pignus valens siliquas vel 3 de emendare dannum, et noluisti accipere, sed tenuisti peculium apud te una nocte.

Petre, te appellat Martinus, quod tu minasti suum peculium de tuo danno ad clausuram, et vult tibi emendare dannum, et reddas sibi peculium. — Tu dispexisti liberare, et mortuum est. — Hoc ego dico, quod tu non dedisti ei aquam. — Iuret, quod dedit ei aquam.

347. Si hominem iterantem caballus aut quislibet peculius secutus fuerit, et ille quem sequitur, in ligamen aut in clausura eum miserit, ipse eum salvum faciat, sicut supra [*cap.* 343] constitutum est, ut veniente proprio domino restituat. Nam si sequere coepit, et se de via turnavit, nulla sit culpa illi, quem sequere coepit.

Petre, te appellat Martinus, quod eras tu iterans, et unus suus caballus te fuit secutus, et tu misisti eum in ligamine. — De torto. — Si dixerit: ipse caballus tornavit se de via, probet. Sed melius est, ut dicat: nullus tuus caballus me secutus fuit, quod per legem

---

347. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equum suum te iter agentem sequutum, et a te in mundum vel in clausuram missum ad conventum vel ad iudicem usque ad quartam vel quintam vicem ducere neglexisti. — § 2. Neque hanc neque superiorem legem (Roth. 343) vel inferiorem (Roth. 348) intelligendum est alium equum ad conventum vel ad iudicem duci precipere, nisi illum qui cuius sit ignoratur. — § 3. Quod in hac lege dicitur: « ipse eum salvum faciat sicut supra dictum est », ita oportet intellegi, scilicet ut ad conventum ducat vel sicut suum custodiat aut de mortuo corio signatum conservet et, si neglegens in hoc fuerit, sibi nonum reddat. — § 4. Lex ista vel prope sequens a Liuprandi lege quae est « Si quis caballum alienum » et cetera (Liutpr. 85) non rumpitur: ipsa enim lex Liuprandi de caballo in dampno inventoris invento, hec vero non. — § 5. Hec lex atque superior (Roth. 342) ita intelliguntur, ut qui equum vel aliquid requirit peculium suum, per usum iuret suum esse proprium.

emendare debeam. — Si dixerit: ecce caballus, iuret, quod non misit neglegentiam de minare ante comitem vel ante conventum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu eras iterans, et unus suus caballus te secutus fuit, et misisti in ligamine et tu eum vendidisti.

348. Si quis ab alio homine rogatus fuerit, caballum aut quolibet peculium querere, signaque ei dictaverit, et ille forsan qui rogatus est, caballum alienum aut peculium per errorem praeserit: si venerit proprius dominus et calumniam generare voluerit, ita prospeximus, ut ille qui eum per errorem tenuit, praebeat sacramentum, quia credidit ipsum esse, unde rogatus fuerit; tunc reddat caballum et amplius non calumnientur, si eum male non tractaverit. Et si non venerit proprius dominus, reddat eum illi, de quem ipsum tulit, ut ipse iterum iuxta legem, sicut supra [*cap.* 343] decretum est, conservit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu prehendisti unum suum caballum malo ordine. — Prehendi ego ipsum caballum, sed Marcoardus perdidit unum suum caballum et rogavit me ut quaererem et dictavit signum, et ego sperabam fuisse ipsum. — Iuret, sicut lex dicit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu perdidisti unum tuum caballum et rogasti Dominicum, ut quaereret, et dixisti signum, et ipse prehendit unum suum caballum per errorem et dedit tibi, et tu misisti neglegentiam de minare ad comitem.

349. De porcûs, si in isca alterius paverint et inventi fuerint, si

---

348. Hec lex in parte rupta est a capitulo Octonis quod est « De furto aut scacho » (Ott. I, 6), quia si dominus caballi calumpniam furti generare voluerit et inde pugnam facere, non fiet sacramentum quod in hac lege precipitur. Sed eodem modo sanari et rumpi potest, quemadmodum diximus superius in « Si caballum alienum credens suum » et cetera. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equum suum anima furandi comprehendisti. — Respondet: comprehendi, sed putans esse eum de quo eram rogatus. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equum suum, quem errore comprehensum Albertus a te rogatus tibi dedit, ad conventum ducere neglexisti.

349. In hac lege in eodem loco secundum diversos diversa littera legitur. Quidam enim dicunt, hac lege legendum esse « per porcos », alii « per porcum ». Sed quando « per porcos » legetur, intellegendum est, quod per omnes porcos componi debeant solummodo siliquae tres; sed si « porcum » legimus, tunc per unumquemque porcum componi debent silique tres. — § 2. Hec lex in hoc quod dicit: « nam si super fuerint de 10 et usque ad 10, occidatur unus mediocris et non requiratur » corroboratur a Liuprandi lege quae est « Si quis porcos in silvam » (Liutpr. 150) in hoc quod dicit: « usque ad 10 porcos et occiderit porcum unum, sic sit sicut edictum anterius continet ». — § 3. In hoc quod hec lex dicit: « ferquidum id est simile » et non posuit differentiam, sive inde porcum detulisset vel non, partim rupta est a Liuprandi lege quae est « Si quis porcos », in hoc quod dicit: « componat eum in octogild sicut ille qui malo ordine res alienas tollit ». Sed si porcum inde portaverit, malo ordine tulit, quia hec lex non precipit eúm occidi nec tolli. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ex tantummodo 10 porcis suis aut minus in silva tua inventis duos aut plures aut unum mediocrem solidos 10 valentem occidisti. — § 5. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ex 6 porcis suis aut minus in silva tua inventis unum solidos 10 valentem occidisti aut tenuisti.

minus sunt de decim, non occidatur neque unus ex ipsis; sed ille qui eos invenerit, teneat unum ex ipsis, et habeat salvum, et conponatur ei per porco siliquas tres. Nam si super fuerint de decim, et usque ad decim, occidatur unus mediocris, et non requiratur; nisi si minus fuerint de decim et occiderit, reddat ferquido, id est similem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti novem suos porcos in silva tua et tenuisti unum: modo vult tibi emendare dannum, et reddas sibi suum porcum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti novem suos porcos in silva tua et tenuisti unum, et vult componere siliquas tres, ut reddas sibi suum porcum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti 5 suos porcos in silva tua et occidisti unum.

350. Si quis in pratum porcos fossas facientes unum aut plures invenerit, occidatur unus tantum et non requiratur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti unum suum porcum.

351. De verre. Si quis verrem alienum furaverit, conponat solidos duodicem; ipse dicitur sonorpair, qui omnis aliûs verres in grege battit et vincit. Tamen in uno grege, quamvis multitudo porcorum fuerit, unus conpotetur sonorpair; nam si minor grex de trigenta capetum fuerit, non repotetur sonorpair, nisi si triginta aut super fuerint. Et si in damnum ipse sonorpair occisus fuerit, aut similem aut meliorem ipse qui occiderit, restituat et damnum ei conponatur; nam si aliis verres aut porci furati fuerint, in actogild reddatur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili, quod valebat solidos 30.

352. De porcario battudo. Si quis porcario de homine libero battederit, ipse qui de curte ipsius exit, nam non de casa massarii, conponat solidos vigenti. Tantum est ut porcarius ipse ferita prius non faciat aut scandalum committat; nam si fecerit plagas aut feritas, arbitrentur et conponantur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu battisti unum suum porcarium servum, qui de corte sua exit.

---

351. In eo quod hec lex verrem furtim sublatum 12 solidis componendum esse precipit a Liuprandi lege quae est « Si quis porcos » (Liutpr. 150) corrumpitur, in hoc quod ibi legitur: « sic componat sicut ille qui res alienas malo ordine tollit ». — § 2. Si quis verrem dictum sonorphayr in dampno occisum inde portaverit, quia malo ordine sublatus est, iuxta Liuprandi legem sibi nonum reddere debet. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu verrem suum dictum sonorfayr in dampno tuo occidisti.

353. Si duo porcarii inter se battederint aut scandalum commiserint, plagas aut feritas conponatur; nam alia culpa non requiratur.

354. De campo alieno arato. Si quis campum alienum araverit, sciens non suum, aut sementem spargere presumpserit, perdat opera et frugis, et ille qui campum suum conprobaverit, habeat fruges.

Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente exarasti unum suum campum.

355. De campo exarato. Si quis exaraverit campum alienum seminatum et suum non potuerit provare, aliud tantum fruges, quod devastavit, proprio domino reddat, et pro incautam presumptionem conponat solidos sex.

Petre, te appellat Martinus, quod tu exarasti unum suum campum seminatum.

356. De prato secato aut exarato. Si quis pratum alienum segaverit aut exaraverit, et fenum reddat, et pro inlecita presumptione conponat solidos sex.

Petre, te appellat Martinus, quod tu exarasti unum suum pratum.

357. Si quis campum alienum asto cum peculio suo delierit, aut spicas manibus evellerit, conponat solido sex.

Petre, te appellat Martinus, quod tu vastasti unum suum campum asto cum peculio tuo.

358. Nulli sit licentia iterantibus erba negare, excepto prato intacto tempore suo, aut messem. Post fenum autem aut fruges collectas, tantum vindicit cuius terra est, quantum cum clausura sua potest defendere. Nam si cavallûs iter facientibus de stupla aut de ipsa pascua, ubi alia peculia pascent, movere presumpserit, in actogild ipsûs cavallûs conponat, pro eo quod ipsos de arvo campo, quod est fonsaccri, movere praesumpsit.

Petre, te appellat Martinus, quod erat iterans, et tu movisti unum suum caballum de pascuis, ubi alia peculia pascebant.

---

354. Quod hec et due proxime leges sequentes de invasione precipiunt, invasor debet pati compositurus bannum iuxta Pipini capitulum quod est « Ut nullus alteri presumat » (Pipin. 23). — § 2. Si ille qui pratum secuit fenum inde asportaverit, qui malo ordine abstulit sibi nonum compositurus est.

358. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu equum eius iter agentis de pascuo agro expulisti. — § 2. Usu et legis huius exemplo, si quis alienum equum de conpascuo agro expulerit, sibi nonum eum est compositurus. — § 3. Huic legi Caroli capitulum quod est « De iterantibus » (Karol. M. 14) concordat.

359. De sacramentis. Si qualiscumque causa inter homines liberos et sacramentum dandum fuerit, si usque ad vigenti solidos fuerit causa ipsa aut amplius, ad evangelia sancta iurit cum duodecim aidos suos, id est sacramentales, ita ut sex illi nominentur ab illo, qui pulsat, et septimus sit ille qui pulsatur, et quinque quales voluerit liberos, ut sint duodicem. Quod si minor fuerit causa de vigenti solidis usque ad duodicem, sibi sextus iurit ad arma sacrata; tres ei no-

---

359. Hec lex rumpit omnes leges retropositas, que appellatum solum iurare precipiunt. Sed ita salvantur ut retro dictum est in portunariorum legibus (Cfr. Expos. ad Roth. 265, § 2). Et ita salvantur: nam sacramentum, quod iuxta hanc legem fit, est cum wadia; illud vero, quod retro fieri iubetur, erat sine wadia. Et quod sacramentum iuxta hanc legem factum sit cum wadia, videri potest per subsequentes leges (Roth. 361 sqq.), que sunt . . . . ., in hoc quod de wadia locuntur. — § 2. Hanc legem dicunt antiqui iudices partim ruptam esse ab istius lege que est « Si aliqua intra creditorem et debitorem » (Roth. 366), in hoc quod debitorem singulum iurare precipit. Sed ita salvari potest, quia sacramentum iuxta hanc legem factum sit de rei quantitate, illud vero sit solummodo de tenore wadie; vel aliter: non est rupta, immo exceptio. — Item hanc legem asserunt iudices ruptam esse partim a Liuprandi lege que est « Si quis permissum habuerit a debitore » (Liutpr. 108), in hoc quod ibi legitur: « satisfaciat ei ad evangelia ». Dicitur etiam in partem rupta esse a Pipini capitulo, quod est « Quicumque post missam sancti Iohannis » (Pipin. 41), in hoc quod ibi legitur: « aut iuret solus quod numquam eum audisset ». — § 3. Quod in hac lege scriptum est: « et si minor sit causa de 12 solidis, sibi tertius iuret, ad arma sacrata », ita est intelligendum: sibi tertius iuret quod enim si unius nummi minutatum esset litigium; quod potest videri in hoc quod hec lex de numero solidorum loqui incepit. Quorum non laudatur sententia. — § 4. In Romanorum legibus appellator causam suam testibus approbare precipitur, quod si nequiverit, iureiurando se appellatus purificet. Quod evidenter exprimitur in his Codicis capitulis: « In bone fidei contractibus, necnon et in aliis ceteris causis, inopia probationum per iudicem iureiurando causa cognita res decidi oportet » (Cod. IV, 1, 3): « Delata conditione iurisiurandi reus, si non per actorem, quominus de calumpnia iuret, steterit, per iudicem solvere vel iurare, nisi referat iusiurandum, necesse habet » (Cod. eod. 9): « Actor, quod asseverat, probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non astringit, cum per rerum naturam factum negantis nulla sit probatio » (Cod. IV, 19, 23). Ideoque, quando Rotharis leges suas componere cepit, qualiter suarum legum placita diffinirentur, non ubique diffinivit, sed secundum legis Romanae diffinitionem dimisit; id est, ut actor, si potest, approbet illud, unde alium appellat, et si probare non potest, ipse qui appellatus est se purificet. Et de quantis actionibus Rotharis rex voluit, ut probatio non fieret, nominatim precepit in legibus retropositis, ut se purificaret ipse qui appellatur, sicut possumus in lege videre prope initium edicti posita, que est « Si duo aut tres homines » (Roth. 12), quia ibi legitur: « sic tamen, si in consilio fuerit, componat ut supra solidos 20 aut de ipso consilio se purificet » et in aliis quam pluribus. Quapropter quod in hac lege legitur: « et sacramentum dandum fuerit », sic intelligendum est, quod tunc tantum sit dandum sacramentum reo, quando actor probare non potest: in illis tamen legibus, in quibus Rotharis dedit nominatim sacramentum appellato, semper ei est dandum, licet actor probaverit vel non. Quod autem dictum est retro, Rotharem suarum legum placita secundum Romane legis diffinitionem dimisisse . . . . ., quia Rotharis cum per hanc legem tum per alias placita suarum legum satis diffinivit. Contra quod dicitur: si Rotharis suarum legum placita, que indeterminate reliquit, secundum legis Romane diffinitionem non dimisit, similiter dici potest, quod Grimoaldus atque Liuprandus ceterique edicti reges quarundam suarum legum placita, que non determinaverunt, iuxta huius legis Rotharis diffinitionem non dimiserunt. Sed si iuxta huius legis Rotharis vel secundum diffinitionem legis alterius Rotharis que est « Si pro quacumque causa aut culpa » (Roth. 364) placita ipsa indeterminata non dimisissent, tunc non haberemus legem, iuxta quam appellati de ipsa causa se defenderent. Quare intelligendum est, ipsos reges suarum legum placita indeterminata relicta iuxta Rotharis dimisisse diffinitionem, et Rotharis secundum Romane legis diffinitionem suarum legum placita, que non diffinivit, similiter reliquit. — § 4. Item quod in hac lege legitur: « et sacramentum dandum fuerit », secundum alios sic intelligitur, scilicet ut tunc tantum sit dandum

minit qui pulsat, et duos liberos sibi elegat qui pulsatur, quales voluerit; et sextus sit ipse. Et si minor fuerit causa de duodicem solidis, sibi tertius iurit ad arma: unum ei nominit et alium sibi querat, et tertius sit ipse.

359*. Si quis alii wadiam dederit et eam recipere neglexerit per fideiussorem, et apud eum remanserit una nocte aut duabus vel tribus, nichil conponat; si remanserit quarta nocte, conponat solidos 12; si

---

reo sacramentum, quando actor probare non potest, quia sive ille agat de illa causa in qua specialiter sit datum sacramentum reo, sive de alia, actor semper probare debet si poterit, ut lex Romana precipit, hoc confirmando per capitulum Caroli quod est « De periuriis ut caveantur » (Karol. M. 21); quia in hoc quod dicit: « et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore », id est reo, datur intelligi si causator est in presentia, quod accusator id est actor ad hoc probandum semper debet testes eligere. Sed male dicebant; nam hic intellectus ita non est incipiendus universaliter. Immo intelligendum est secundum legem, scilicet ut actor non probet, ubi sacramentum specialiter est datum reo. Per Lodoyci quoque capitulum, quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15) supradictam sententiam confirmabant, quia in hoc quod dicit: « testes contra eum per iudicium producti fuerint » — ab actore subaudis — dicebant ipsi, actorem per iudicium id est per legem ubique debere testes adducere ad probandum quod alteri inponit. Sed male dicebant, quia predictum capitulum non ideo dixit « per iudicium », ut testes ab actore ubique sint producendi, sed ideo dixit « per iudicium », ut legaliter adducerentur, id est ut tunc non adducantur, quando actor lege eos prohibetur adducere; quia si tunc adducerentur, non per legem essent producti, immo contra legem. Vel ideo dixit « per iudicium producti fuerint », scilicet ut ipsi testes sint tales, quales lex Liuprandi que est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8) iubet esse, cum dixit: « testes vero ipsi tales sint, ut eorum oppinio in bonis precellat operibus, vel quorum fides ammittatur, id est quibus princeps aut iudex credere possint »: et etiam ideo dixit « per iudicium », ut ipsi testes habeant bonam famam inter suos pagenses, ut Caroli capitulum precipit, quod est « Volumus etiam atque iubemus, ut comites » (Karol. M. 66), et ut sint separati, ut Caroli capitulum, quod est « Ut testes ad testimonium dicendum » (Karol. M. 50). — Rursus quod in hac lege scriptum est: « et sacramentum dandum fuerit », sic potest intelligi, scilicet ut ubique detur sacramentum reo, excepto, ubi specialiter probatio est actori data, veluti in lege Liuprandi que est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » in hoc quod dicit: « non reprobetur ipsa causa, nisi in eorum testimonio ambe partes credant » (sed hoc exemplum parum dicitur ad hoc valere, quia iuxta hanc legem non magis competit comprobatio actori quam reo) veluti in Pipini capitulo quod est « Ut iudex unusquisque per civitates » (Pipin. 8) (hic enim probatio specialiter est data actori, ubi dicit: « tunc ille qui reclamat, si potuerit, approbet illud »), et veluti in Lotharii capitulo quod est « Ut in testimonium non recipiantur de his capitulis » (Loth. 27), et veluti in capitulo eiusdem Lotharii quod est « Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio » (Loth. 78) in hoc quod dicit: « crimina vero, si super eum inponere voluerit, probare cogatur » et in ceteris quam pluribus. — § 5. Item quod in hac lege scriptum est: « et sacramentum dandum fuerit », secundum Ugonem sic intelligendum est, scilicet ut tantum sit dandum sacramentum reo, quum actor deficit in probatione, quod est dicere, ut actor ubique probet si potuerit, et si non potuerit probare, defensio detur appellato, ut paulo ante dixi. Sed si quis huic sententie opponeret dicendo, hanc legem secundum hanc sententiam retropositas leges rumpere, que nominatim defensionem appellato dederunt et secundum eos, sive actor possit probare vel non, differentiam non posuerunt, male opponeret, quia retroposite leges non alio casu defensionem appellato dederunt, nisi quando actor probare defecerit.

359*. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu per quattuor aut 6 noctes per fideiussorem wadiam, quam de 20 solidis dedisti, recipere neglexisti. — § 2. Lex hec affirmatur a lege Liuprandi (Liutpr. 35) idem habente principium. Notandum est quoque, quod in hac lege scriptum est: « et si ille qui ipsam wadiam receperit eam reddere neglexerit » et cetera, Rotharem non fecisse, quia, si Rotharis fecisset, numquam Liuprandus idem in legibus suis fecisset, quia superfluum esset, nisi aliud addidisset; sed Liuprandus nichil aliud addidit, superfluum igitur esset. Si Rotharis illud non apposuit, non est igitur in Liuprando superfluum.

remanserit quinta nocte, conponat solidos 24; si remanserit sexta nocte, conponat solidos 36. [Et si ille qui ipsam wadiam acceperit eam reddere neglexerit per fideiussorem, et apud eum remanserit, sic conponat sicut et ille qui wadiam suam recipere neglexerit]. (*De hoc capitulo, quod in antiquioribus Edicti codicibus desideratur, vid. Boretium in praefat. ad librum Papiensem*, § 44).

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod tu dares illi solidos 100 in Kalendis Maiis, et habuisti neglegentiam deliberare vadia, et remanserint apud eum per 4 noctes.

360. De wadia et fideiussorem. Si quis alii wadia et fideiussorem de sacramentum dederit, per omnia, quod per wadia obligavit, adinpleat. Et ille, qui pulsat et wadia suscipit, proximioris sacramentalis qui nascendo sunt, debeat nominare: tantum est excepto illos, qui gravem inimicitiam cum ipso qui pulsat, commissam habet, id est si ei plaga fecit, aut in mortem consensit, aut res suas alii thingavit, ipse non potest esse sacramentales, quamvis proximus sit, eo quod inimicus aut extraneus invenitur esse.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum. — De torto. — Iura cum Donato tuo filio et cum Paulo et Anselmo seu Victore atque Benedicto sive Philippo tuis fratribus.

Domne comes, hoc dicit Martinus quod in Kalendis Maiis appellavit eum Benedictus, quod occidisset patrem suum, et ipse dixit:

---

360. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu fecisti iniuriam Marie hanc, cuius ipse est mundoaldus. — Respondet: iniuriam, de qua me appellas, non feci. — Tunc appellator iuret ita, si pulsatus fuerit de astu: « Iniuriam, de qua te appellavi, tu Marie, cuius ego mundoaldus sum, ut puto, fecisti, si me Deus adiuvet et ista sancta Dei evangelia ». Appellatus vero ita: « Iniuriam, de qua me appellasti fecisse Marie, cuius tu es mundoaldus, ego non feci, si me Deus adiuvet ». Dehinc sacramentales eiusdem appellati iurent, sacramentum ab appellato factum verum esse. — § 2. Quod in hac lege: « omne quod per wadiam obligavit adimpleat », dicebant antiqui iudices, generale esse preceptum. Quod non laudatur; sed dicitur, solummodo esse dictum de wadia de sacramento dato. — § 3. Ideo in hac lege « nascendo » positum est, ne adoptivi parentes sacramentales fierent. — § 4. Quamquam lex ista tres tantum offensiones nominatim dixisset, tamen intelligendum est de qualibet et ceteris maioribus. — § 5. Si hec inimicitia clarefacta fuerit, que in hac lege legitur, nec esset alius sacramentalis in loco ipsius qui inimicus aut extraneus esse invenitur, et si clarefacta non fuerit, per usum iurare debet ipse qui appellatus est, quod ipse parens qui ei nominatur ipsam offensionem ei fecit quam nominavit. — § 6. Si sacramentalis nominatus, eo quod appellatum offenderit, hac lege mutari iubetur, tunc multo dignius mutandus est, si eum appellatus ipse offenderit. — § 7. Si appellator parentes non nominaverit vel si nominaverit parentes, sed non propinquiores, quia guadimonium huic legi repugnat, non causa cadet appellatus, etiamsi super annum sacramentum dare distulerit. — § 8. Quod in hac lege scriptum est: « aut res suas alii thingaverit » diverso modo intelligitur. Nam Ugo dicit, quodsi ille qui nominatur esse sacramentalis suas res vendiderit, ut appellatus ad eius successionem non veniret, vel si appellatus res suas vendidit et nominatus sacramentalis ad eius successionem non veniret, quod non fiet sacramentalis hac lege. Sed secundum Guilihelmum ita intelligitur, scilicet quod ipse qui rem appellati alii thingavit, vel e converso, hac lege prohibetur nominari sacramentalis; quod melius est.

de torto; fuit interrogatus, si potuisset probare, et ipse dixerit: quod non poterat, ideo et dedit vadia, si se recordatus esset, quod emendaret aut iuraret cum suis sacramentalibus; modo est paratus de iurare. — Dicis tu ita, Martine? — Sic dico. — Et tu, recepisti vadia ita? — Sic feci. — Tunc iurent: « de hoc unde te appellavi, quod tu occidisti patrem meum, me sciente de torto non appellavi, sic Deus ». — « De hoc, unde tu me appellasti, quod occidissem patrem tuum, de torto me appellasti, sic Deus ». — Sacramentales sic: « Quod ipse iuravit verum iuravit, sic Deus ».

361. Si quis alii pro quacumque causa wadia et fideiussorem de sacramento dederit, dit ei spatium usque in duodecim noctis ad ipsum sacramentum dandum; et si forsan propter aegritudinem aut alia causa supervenientem in predictum constitutum non potuerit iurare, suspendatur causa usque ad alias duodecim noctis. Et si nec tunc conpleverit, et totum annum unum volontariae dilataverit et sacramentum non dederit, tunc rem ipsam, unde agitur, amittat et ille adquirat, qui wadia suscepit. Et contrario: si ille, qui wadia susceperit, dilataverit sacramentum audire et annum totum protraxerit, post transacti anni spatium nulla in posterum habeat facundiam de

---

361. A multis iudicibus sic hec lex intelligitur, ut homo non ammittat rem, unde agitur, si per 12 noctes sacramentum facere voluntarie dilataverit, nisi per totum annum numerando ab eo die, quo wadiam dedit, audire vel facere neglexit, ideo quod hic legitur: « et si nec tunc compleverit et per totum annum voluntarie dilataverit ». Sed eorum sententia in hac lege reprehenditur, quia cum hic precipiatur: « et forsitan propter egritudinem aut aliam causam supervenientem in predicto constituto non potuerit iurare, suspendatur ipsa causa usque ad alias 12 noctes », apertissime nobis datur intelligi per predictam scripturam, ut, si non propter infirmitatem vel aliam causam supervenientem remanserit usque ad alias 12 noctes, causa non suspendatur; ex quo ergo causa non debet suspendi, a causa cadit is cuius non impedimento sed culpa sacramentum dilatatum est. Et ne infra semet ipsam hec lex rumpat, oportet ut sic intelligatur, id est ut si dans wadiam aut accipiens sacramentum [propter infirmitatem vel aliam causam supervenientem] in constituto die audire vel facere neglexerit, usque ad alias 12 noctes audiendi causa prolongetur; et si nec tunc sacramentum fieri potuerit, advenientibus similiter predictis necessitatibus, et postea per totum annum, numerando ab eo die cum quo predicte 24 noctes transacte sunt, voluntarie dilataverit, qui wadiam dedit vel accepit, ammittat rem unde agitur et alius acquirat qui faciendi vel audiendi sacramentum paratus fuerit. — § 2. Notandum est tamen, quod Guilihelmus predictam sententiam in hoc tantum variat, scilicet quod predictas 24 noctes infra predictum annum numerat, referendo hoc vocabulum quod est « voluntarie » in hac lege appositum ad maiorem anni partem, et non ad 24 noctes supradictas, ita exponens: « toto anno voluntarie dilataverit », id est « maiore parte anni voluntarie dilataverit »; et quod totum quandoque accipitur pro parte, istud detur exemplum: « Toto tempore anni liceat iudicibus causas agere, tumultum questionum terminare et diffinire » (Ott. III, cap. unic.). — § 3. Notandum est quoque, quod Ugo iudicum sententiam super reprehensam confirmat, quod est: ut homo non ammittat rem unde agitur, si super 12 noctes sacramentum facere voluntarie dilataverit, nisi per totum annum, numerando ab eo die quo guadiam dedit, audire vel facere neglexerit; quia in hoc quod hec lex dicit: et si nec tunc compleverit et toto anno voluntarie dilataverit » datur intelligi, quod infra annum rem unde agitur non debet ammittere. Per legem quoque Liuprandi que est « Si quis pro causa sua aliquid iudici dederit » (Liutpr. 95) eandem sententiam affirmat, quia in hoc quod ipsa lex dicit: « Rotharis rex decessor

ipsam rem loquendi; sed ille qui paratus fuit sacramentum dare, firmiter possedeat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod iurares cum tuis sacramentalibus, quod non haberes occisum Donatum suum patrem, unde te appellavit, et prolongasti voluntarie facere sacramentum per totum annum. — Non dedi ego ista vadia. — Aut probet qui appellat, aut nichil sit. — Si dixerit: non est transactus annus, probet qui appellat. Si dixerit: ego infirmus fui, probet, sed melius est ut dicat: quod non prolongavi voluntarie facere sacramentum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod iurares cum tuis sacramentalibus, quod haberes possessam per 30 annos unam peciam de terra quae iacet in tali loco, et prolongasti voluntarie facere sacramentum per totum annum. Si dixerit: ego fui paratus infra annum ad faciendum sacramentum, probet, et si potuerit probare, aut probet qui appellat, quod paratus fuisset ad audiendum, aut causam refutet. Et si ambo potuerint probare aut non potuerint, nullus habeat poenam, sed vadat placitum inantea.

---

noster in anteriore edicto sic statuit, ut post anni spatium, cuius pars neglexerit, amittat causam suam, dat intelligi, quod infra anni spatium causam suam non debet ammittere. — § 4. Sed si quis predicte sententie iudicum ab Ugone affirmate opposuerit eo ordine, quo superius eidem sententie opponitur, secundum Ugonem eius oppositionem sic dubitamus: non est intelligendum, quod per hunc intellectum huius legis, quem tu michi contraposuisti, is qui sine aliquo impedimento in capite 12 noctium sacramentum facere vel audire dilataverit, rem unde agitur debeat ammittere, immo per eundem intellectum intelligendum est, quod penam wadie debeat solvere. Vel aliter: intelligendum est scilicet, quod possessionem rei unde agitur debet ammittere, sed proprietatem rei non debet ammittere, nisi post annum, veluti in Lodoyci capitulo quod est « Si cuiuscumque hominis proprietas » (Lud. P. 16). Ibi enim videri potest, quod possessio rei misse in bannum aufertur illi, cuius erat ipsa res, proprietatem vero non amittat, nisi post annum: que sententia a rei veritate removetur. — § 5. Si quis alieni guadiam de sacramento dederit et sacramentales nominati fuerint, sicut supradicta lex precipit (Roth. 359), numquam per ipsius guadie obligationem causam perdiderit, ideo quia secundum legem wadia ipsa data non fuit. — § 6. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei per 12 dies sacramentum dare volontarie distulisti, unde tu ei wadimonium dederas, te cum sacramentalibus iuraturum, patrem suum non occidisse. — § 7. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu transactis 24 diebus, quibus inpeditus fueras, per totum annum sacramentum dare voluntarie distulisti, unde tu ei wadimonium dederas, te cum sacramentalibus iuraturum, per 30 annos possedisse terram illam, de qua te appellavit. — § 8. Si quis causatorum, paratum se fuisse dicens, testes duxerit, quorum testimonium falsum esse claruerit, non causa casurus, donec alter se paratum fuisse probaverit. Si vero parationis sue breve ostenderit, quod falsum esse claruerit, quamquam in Guidonis capitulo (Wid. 6) legitur: « et ostensor ipsius carte post rerum ammissionem widrigild suum componat », non tamen lite cadet, donec alter paratum se fuisse probaverit, quod in quadam lege edicti que est « Si quis possederit qualemcumque rem » (Liutpr. 114) potest videri in hoc quod ibi legitur: « et ille ipsam rem recipiat, cui antea per legem pertinere debuerit ». Sin autem parationis breve aut testes apparuerint, non tamen causa vincet, donec alterum faciendi sacramentum dilatationem voluntarie fecisse probaverit.

Et ita secundum quosdam fiunt appellationes, sed si est actio in personam, ut michi videtur, aliter esse debet [per conjecturam stulticiae]; ita quidem:

Petre, te appellat Iohannes, quod tu consiliatus es de morte sua. — De torto me appellas. — Non debes michi ita respondere nec potes, quia altera vice te appellavi, et vadium et fideiussorem de sacramento dedisti michi et voluntarie toto anno dilatavisti et sacramentum non dedisti. — Probet ita; sin autem, ipse iuret, quod non, vel rem amittat.

Petre, te appellat Iohannes, quod tu consiliatus es de morte sua. — Non tibi respondeo, quia altera vice me appellasti, et ego vadium et fideiussorem de sacramento dedi, et fui paratus ad illud dandum et tu toto anno voluntarie audire dilatasti. — Vel utantur aliis exceptionibus. Quod quidem melius sit; tantum in actione pro possessione in re secundum valentes.

362. Si post sacramentum iudicatum aliquis moriatur. Si contegerit homini post datum fideiussorem de sacramentum et sacramentalis nominatûs mori, et filiûs demiserit, posteaque ille qui causam quaerit pulsaverit filiûs dicendo: quia quicquid pater per wadia et fideiussorem obligavit, fili conplere debent; tunc necesse est filiûs, quamvis virtutem minorem habeant a patre, aut per sacramentum negare, quod pater eorum non promisissit aut certe, quod pater eorum spondedit, adinpleant. Et si aliquis de ipsos sacramentalis mortuus fuerit, potestatem habeat ille qui pulsat, in locum mortui alium similem nominare de proximûs legitimûs, aut de natûs, aut de gamahalos id est

---

362. Quamquam lex ista de aliis heredibus nisi de filiis non iubeat, usu tamen exemplo eius de ceteris ut de filiis debemus intelligere. — § 2. Si quis de maleficio interpellatus emendandi vel se purgandi wadiam dederit et, interim heredes reliquerit, mortuus fuerit, heredes purificationem vel compositionem illam persolvant, excepto si defunctus inde mori vel servus fieri debuit, vel si aliqua in persona eius fuit exercenda vindicta. Sin autem interpellatus non fuerit defunctus sed ab hostibus captus fuerit vel aliquo maleficio postea alterutrius servus factus fuerit, heredes nichil de maleficio persolvere debent, nisi forte aliquid inde sibi devenerit. Quod in Codicis quarti libri capitulo (Cod. IV, 17) intelligi potest: « Post litis contestationem eo qui vim fecit vel concussionem intulit vel aliquid deliquit defuncto, successores eius in solidum, alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri, iuris absolutissimi est, ne alieno scelere ditentur ». — § 3. In eo quod hec lex filium, patrem wadiam non dedisse, iurare precipit, a quibusdam dicitur rumpi eo quod in quadam Liuprandi que est « Quicumque homo sub regni nostri dicione » (Liutpr. 15) scriptum est: « ut eorum qui interfuerint credatur testimonio ». Sed errant non animadvertentes ibi scriptum esse: « ut inter dantes et accipientes sacramentum non perveniat »; filius enim nec dans nec accipiens fuit wadiam. — § 4. Dicitur quoque hec lex, in hoc quod precipit alios nominari sacramentales quam parentes, superiorem legem (Roth. 360) rumpere, que non precipit alios sacramentales nominari nisi parentes. Sed male dicitur: nam hec lex in alio casu loquitur quam illa, quia ipsa loquitur inter personas principaliter litigantes, hec vero inter personas secundario litigantes, quia secundum hanc legem unus illorum inter quos principaliter fuerit intentio mortuus erat.

confabulatûs. Et si dixerit qui pulsat, quod sacramentum ruptum fuissit, praebeat sacramentum qui negat, si ausus fuerit: quia neque patris neque ipsius sacramentus ruptus non fuissit; postea iurit sicut supra constitutum est.

363. De sacramentum ruptum. Sacramentum tunc intellegitur ruptum, quando presentis sacrosancta evangelia aut arma sacrata, ipse qui pulsatur, cum sacramentalis suos coniuncxerit, et non ausaverit iurare, aut ipse aut aliquis de sacramentales suos se subtraxerit; tunc intellegitur sacramentum ruptum.

Petre, te appellat Martinus, quod pater tuus dedit sibi vadia de iurare, quod non haberet factam iniuriam ad Mariam suam mundoaldam, et non iuravit dum vixit: modo vult, ut adimpleas quod ipse promisit et unde vadia dedit. — Haec appellatio secundum quosdam.

Petre, te appellat Martinus, quod pater tuus dedit tibi vadimonium de iurare, quod haberet possessam per 30 annos unam peciam de terra quae iacet in tali loco, et dum iurare debuit, postquam sol occiderit et post spacium ad inquirendos sacramentales fuit ruptum sacramentum eius vel sacramentalis, et vult, ut dimittas ei ipsam peciam de terra.

364. De eo, qui prius manefestaverit et sacramentum promittit. Si

---

363. Si sacramentalis nominatus se subtraxerit, non statim perdiderit causam ipse qui sacramentalem conduxit, sicut hec lex precipit, sed secundum legem Liuprandi que est « Si quis alii wadiam de sacramento dederit » (Liutpr. 60) spatium habebit requirendi alium sacramentalem, si causa usque ad 20 solidos aut amplius fuerit; si minus de 20 solidis fuerit causa, nichil propter predictam legem inde fuerit, quia de lite minori 20 solidis non loquitur, ut ibi declarabitur. Et per predictam quoque Liuprandi legem in hoc quod dicit: « et postea ipse qui nominatus est, cum ad sacramentum iverit et evangelia posita fuerint, se subtrahere quesierit, ut sacramentum rumpatur, sicut in anteriore edicto constitutum est », datur intelligi, quod hec lex que est « Sacramentum tunc intelligitur ruptum » non loquitur de aliis sacramentalibus nisi de nominatis. Ideoque, si sacramentalis non nominatus se sacramento subtraxerit, sacramentum secundum Wilihelmum non rumpitur. — § 2. Notandum est quoque, si causa de 20 solidis fuerit aut amplius vel minus et nominatus vel alius sacramentalis se subtraxerit, non debet statim causa perdi, sicut in hac lege legitur; sed in quacumque hora diei sacramentum persolverit, securus inde erit per capitulum Lotharii quod est « Ut quicumque sacramentum vel debitum « (Loth. 29).

364. Causa de contractibus, culpa de maleficiis hic ponitur. — § 2. Lex hec in eo quod hominem appellatum et confessum emendare precepit, cuidam Codicis libri septimi concordat quod est « Confessos in iure pro iudicatis haberi placet, quare sine causa desideras recedi a confessione tua, cum et solvere cogeris » (Cod. VII, 59). — § 3. Quod in hac lege scriptum est: « liceat ei se edoniare secundum legem et qualitatem cause » intelligendum est per sacramentum aut per pugnam vel illis modis, quos superius in « Si qualiscumque causa inter homines liberos » (Roth. 359) numeravimus. — § 4. In hoc quod hic legitur: « componat secundum quod in hoc edicto legitur » dicebant quidam, hanc legem non agere de contractibus, immo de maleficiis; sed male dicebant: quia licet se finiret in maleficiis, tamen intelligendum est, quod idem dicat de contractibus, cum generaliter incipit de utrisque. — § 5. Hac et superius posita lege, que est « Si qualiscumque causa inter homines liberos » (Roth. 359) nemo nisi Longobardus se sacramento purificare compellitur. Quacumque vero lege vivens alius, si a Longobardo interpellatus fuerit, iuxta suam legem

pro quacumque culpa homo pulsatus fuerit ab alio, et negaverit, liceat eum se eduniare secundum legem et qualitatem causae. Si autem manefestaverit se fecissit, conponat secundum quod in hoc edictum legitur. Nam nulli liceat, postquam prius manefestaverit, postea per sacramentum negare, quod non sit colpabiles, postquam ipse se culpabilem adsignat. Quia multûs cognovimus in regno nostro tales pravas opponentes intentiones, haec nos moverunt presentem corregere legem et ad meliorem statum revocare.

Petre, te appellat Martinus, quod fecisti ei unam plagam in capite. — De torto.

Petre, te appellat Martinus, quod tenes sibi unum servum malo ordine.

365. De debitum patris mortui. Si quis post mortem patris filium de debitum appellaverit, quod pater debitor fuissit, et filius negaverit, ita decernimus ut praebeat filius sacramentum secundum qualitatem pecuniae [*cap.* 359. 366], unde pulsatur, quod pater ipsius ei debitor non fuissit; aut per pugna defendat, si potuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod habet certam suspectionem, quod pater tuus, quando venit ad mortem, erat sibi debitor ad dandum solidos 100. — Haec appellatio secundum quosdam.

366. Si aliqua inter creditorem et debiturem atque fideiussurem surrexerit intentio, et dixerit creditor: « quia in tale praetexto wadia

---

se purificet, dicente Pipini capitulo (Pipin. 27) quod est « Ut unusquisque homo secundum suam legem se ipsum defendat » et « secundum ipsius legem cui commisit neglegentiam emendet ». Quod enim « defendat » dictum est, de sola purificatione debet intelligi, quia iuxta appellati legem purificatio, iuxta appellatoris compositio facienda est.

365. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod ei solidos 100 persolvere debes, quos ipse patrem tuum sibi debuisse certe suspicatur. — § 2. Si filius defuncti patris de debito appellatus negaverit, quantumcumque sit debitum, pugnam inde facturus est, nullo alio alicuius defuncti herede pugnam inde facturo. — § 3. Non est intelligendum, ut per hanc legem sit in electione filii defendere se, qualicumque modo vellet, id est aut pugna aut sacramento, quamvis hic dicatur: « prebeat filius sacramentum secundum qualitatem pecunie unde pulsatur, aut per pugnam se defendat si potuerit ». Sed ita intelligendum est: si filius per pugnam pulsatus fuerit, liceat ei se defendere per pugnam; si per sacramentum, liceat ei se defendere per sacramentum. Et hoc videri potest per legem Liuprandi que est « Si quis alium astu compellaverit de pugna » (Liutpr. 70), quia in hoc quod predicta lex Liuprandi dixit: « que solet fieri per pravas personas », id est per appellatores, dedit nobis intelligere, quod in electione appellatoris erat de omnibus pugnis faciendi retropositis.

366. Hec lex a Rachis prima lege partim roboratur, partim corrumpitur; roboratur in hoc quod ibi legitur: « si vero tales homines inter non fuerint, quorum ammittitur fides, tunc exinde procedat iudicium, sicut gloriosissimus Rotharis rex instituit »; corrumpitur in hoc quod ibi precipitur: « si veraces homines aut comes affuerit, ut eorum sit credendum testimonio ». — § 2. Lex ista a duabus Liuprandi legibus, que sunt « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8) et « Quicumque homo sub regni nostri dicione » (Liutpr. 15) roboratur. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu 100 solidos, unde tu sibi wadiam dedisti, ei debes. — Wadiam tibi dedi, sed tantum de solidis 20.

suscepi », et fideiussor negaverit, non est causa fideiussori sacramentum prevere; nisi debitur singolus [*cap.* 230] satisfaciat aut ad evangelia, aut ad arma: « quia in tale capitulo nec wadia dedi nec fideiussore posui ».

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadiam dare solidos 100 in Kalendis Maiis. — De 50 solidis dedi vadia, non de plus. — Probet actor; sin autem, appellatus iuret.

367. De waregang. Omnes waregang, qui de exteras fines in regni nostri finibus advenerint seque sub scuto potestatis nostrae subdederint, legibus nostris langobardorum vivere debeant, nisi si aliam legem ad pietatem nostram meruerint. Si filiûs legetimûs habuerint, heredes eorum existant, sicut et filii langobardorum; si filiûs legetimûs non habuerint, non sit illis potestas absque iussionem regis res suas cuicumque thingare, aut per quolibet titulo alienare.

368. De camfionibus. Nullus camphio praesumat, quando ad pugnando contra alium vadit, herbas quod ad maleficias pertenit, super se habere, nec alias tales similes res, nisi tantum arma sua quae convenit. Et si suspicio fuerit, quod eas occulte habeat, inquiratur ad iudicem, et si inventa super eum fuerit, evellantur et iactentur. Et post istam inquisitionem tendat manum ipse camfio in manum parentes aut conliberti sui, ante iudice satisfaciens dicat, quod nullam talem rem quod ad maleficias pertenit, super se habeat; tunc vadat ad certamen.

369. De causas regales. Omnis vero regales causas, quae ad manum

---

367. In eo quod hec lex eos qui ex alieno regno huc habitare devenerint Longobardos fieri precipit, a Pipini capitulo quod est « De diversis generationibus » (Pipin. 27) rumpitur. — § 2. Lex ista alienigenas Longobardos factos res suas, si filios non habuerint, absque regis permissu alienare probibuit: sed moderno tempore advene, quia lege sua non mutantur, res suas alienare possunt, nulla huius legis condicione impediente.

369. « Omnes vero regales cause » nulle alie intelligende sunt secundum Wilihelmum, nisi que superius dicte sunt, quod potest videri in hoc quod dicit: « que ad manum regis pertinent », sed future cause nondum ad eius manum pertinebant. Etenim in hoc quod dicit: « excepto iniuria de muliere libera aut morth aut alias », per quod notatur retro respexisse, dicitur hec lex de solis preteritis causis egisse. Sed secundum Ugonem hec lex tam de futuris causis quam de preteritis loquitur, quia, cum hec lex dicit: « que pertinent ad manum regis », voluit intelligere tam de illis causis que pertinebant regi usu, quam de illis que pertinebant lege. Sed future regi pertinebant usu, preteriteque lege; et quod hec lex loquatur tam de futuris causis, quam de preteritis videri potest per quandam Liuprandi legem, que est « De possessione de publici liceat » (Liutpr. 77), quia in hoc quod dicit: « causas quidem regales unde compositio expectatur duplicatas statuit decessor noster Rotharius rex componi » dat intelligi, quod hec lex locuta est de utrisque. Confirmari quoque potest illud idem a lege Astulfi que est « Relatum est nobis » (Ast. 8), per hoc quod dicit: « quod usque nunc talis fuit consuetudo » et cetera. Secundum Wilihelmum per predictas leges nullo modo videri potest, quod hec lex sit locuta de utrisque, quia ipse non loquuntur nisi secundum hoc quod hanc loqui diximus. — § 2. Cause vero regales superius duplicate, ut in lege retroposita, que est « Si mancipium cuiuscumque » (Roth. 269) et cetera, regalis causa est duplicata, non debent iterum duplicari, quia iam fieret quadruplicatio non duplicatio. — § 3. Si qua vero regalis causa superius

regis perteneunt, unde conpositio expectatur aut culpa queritur, dupliceter secundum antiquam consuitudinem conpunantur; excepto mundium de liberas aut mordh aut alias que similes sunt, unde noningenti solidi iudicantur, quas in suum vigorem constituimus permanere. Reliquas omnis, ut praediximus, in duplum exegantur.

370. Si servus regis mordh fecerit, ita decernimus, ut conponatur ipsa persona, sicut adpraetiatus fuerit, et servus ipse super fossa ipsius mortui adpendatur, ut in eum vindicta detur, et sit causa supita.

Timothee, advocate de parte publica, te appellat Petrus, quod Iohannes, servus de parte publica unde tu es advocatus, occidit patrem suum in absconso. — De torto.

371. De alias vero causas, unde liberi et servi aliorum hominum nuningentos solidos fiunt culpabiles, id est de muliere libera, si viam antesteterit aut iniuriam fecerit, seu de greges equarum aut porcorum pigneratûs, vel reliquas quae similes sunt, unde et prefati sumus, nongenti solidi queruntur, de quas supra in hoc edictum [*cap.* 5. 8. 13..... 15. 18. 19. 26. 186. 187. 191. 249. 279] constituimus: servus regis si fecerit, anime sue incurrat periculum et nongenti solidi non requiratur ad curtem regis.

Petre, te appellat Martinus, quod Davus, servus de parte publica unde tu es advocatus, fecit iniuriam ad Mariam suam mundoaldam.

---

posita specialiter ad solum regem pertinet, velut civitatis scandalum (Roth. 37), non est duplicanda compositio, quia duplicatio de his tantum fit, que ad alios pertinent simpliciter. — § 4. Quod in hac lege scriptum est: « unde compositio expectatur aut culpa queritur », intelligendo distinguitur, ut compositionis expectatio, cuius rei devenit medietas, culpe vero petitio sit eius que regi integra pertinet. Sed secundum Ugonem « unde compositio expectatur » loquitur tantum de illis causis que in placito legali iudicio erant convicte et compositio erat solvenda; et per « aut culpa queritur » intelligitur de illis causis unde iam appellatio erat facta sed nondum erant convicte; vel per « unde compositio expectatur » intelligitur solummodo de futuris causis, per « aut culpa queritur » de retropositis. — § 5. In eo quod hec lex retro positas leges de compositione nongentorum solidorum loquentes confirmavit, partim rupta est a Grimoaldi lege que est « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3), ut predictas leges ab eadem lege rupimus.

370. Ab hac lege retroposita que est « Si quis in absconso homicidium » (Rot. 14) partim rumpitur, quia, si regis servus homicidium occulte fecerit, non componentur pro eo solidi 900 sicut ipsa lex precipit, sed iuxta hanc legem penam inde passurus est. Sed ita salvatur, quia intelligendum est, quod ipsa lex de regis servo non loquitur.

371. Superiores leges de culpa 900 solidorum lex ista partim affirmat, partim vero corrumpit, quia, si regis servus 900 soliderum culpam commiserit, 900 solidorum compositione non danda, moriturus est. Sed ita salvatur: quia intelligendum est, ut de regis servo retroposite leges non loquantur, et, quod de servo regis non sint locute, videri potest in eo quod hec lex dicit: « unde servi aliorum hominum — subaudis quam regis — fuerint culpabiles ». — § 2. In eo quod hec lex dicit: « unde liberi et servi aliorum hominum 900 solidis fuerint culpabiles », a Grimoaldi lege quae est « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3) rupta est in parte, quia illic igitur: « ut 60 solidi dentur et servus insuper ad occidendum tradatur ». — § 3. Lex ista, « de a l i i s vero causis » incipiens, homicidium a regis servo occulte factum excipit.

372. Si servus regis furtum fecerit, reddat in actogild, et non sit figangit.

Petre, similiter te appellat Martinus, quod Davus, servus de parte publica unde tu es advocatus, tulit sibi tantum de suo mobili ad furtum, quod valebat solidos 10, aut iactavit eum de caballo, aut fecit sibi cortis rupturam, aut viam antestetit.

373. Si servus regis hoberus aut wecvorin seu marahvorf, aut qualibit alia culpa minorem fecerit, ita conponat, sicut aliorum exercitalium, quae supra decreta [*cap.* 27. 30. 277. 380] sunt, conponuntur.

374. De sculdahis. Si quis sculdahis aut actorem regis occiderit utilitatem regis facientem, adpretietur pro libero hominem, sicut in hoc edictum legitur, et parentibus legitimis conponatur, excepto in curtem regis conponat, qui eum occiderit, solidos octugenta. Et si battutus fuerit aut legatus, similiter conponatur pro liberum hominem, aut secundum nationem suam, sicut in hoc edictum [*cap.* 41, 42] constitutum est; excepto in curtem regis pro culpa solidos octugenta.

Petre, te appellat Martinus, quod tu eum battisti, quando faciebat utilitatem regis.

375. Si gastaldius, aut quicumque actor regis, post susceptas aut commissas ad gobernandum curtes regis et causas regias, aliquid per gairethinx, id est donationem, ab alio quocumque factam conquesierit, sit illi stabilem, si per preceptionem indulgentiae regis in eum fuerit confirmatum. Alioquin quidquid, ut predictum est, post susceptam administrationem per gairethinx adquesierit, hoc totum regi adquirat, et non suo proprio nomine vindicet nec ipse, nec heredis ipsius.

376. Nullus presumat haldiam alienam aut ancillam quasi strigam, quem dicunt mascam, occidere; quod christianis mentibus nullatenus credendum est, nec possibilem ut mulier hominem vivum intrinsecus possit comedere. Si quis de cetero talem inlecitam et nefandam rem penetráre presumpserit, si haldiam occiderit, conponat pro statum

---

372. Hec lex, in eo quod prohibet servum regis quando furtum fecit esse fenganti, id est 40 solidos esse culpabilem, dicitur rumpere legem retropositam que est « Si servus furtum fecerit » (Roth. 254) que servum precipit aut mori aut 40 solidos componere; sed non est rupta, quia non est intelligendum, quod ipsa lex de regis servo sit locuta.

375. Hec lex, in eo quod iubet gastaldium aut quemlibet actorem regis donationem ab aliquo homine sibi factam debere ammittere, nisi per preceptionem indulgentie in eo fuerit confirmata, et non posuit hec lex differentiam, sive actor regis vel gastaldius esset ei fidelis, vel non, a Lotharii capitulo quod est « Concedimus etiam gastaldiis nostris » (Loth. 77) corrumpitur, quia ibi legitur, quod non debent ammittere, si fideles inventi fuerint in regis servitio. — § 2. Quod hec lex gastaldium de donativa adquisitione precepit, de caeteris adquisitionibus idem nos intelligere voluit, quod in predicto capitulo Lotharii quod est « Concedimus etiam » potest intelligi.

eius solidos 60, et insuper addat pro culpa solidos centum, medietatem regi et medietatem cuius haldia fuerit. Si autem ancilla fuerit, conponat pro statum eius, ut supra [*cap.* 130 . . . 136] constitutum est, si ministiriales aut rusticana fuerit; et insuper pro culpa solidos 60, medietatem regi et medietatem cuius ancilla fuerit. Si vero iudex huic opus malum penetrare iusserit, ipse de suo proprio pena suprascripta conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Mariam suam ancillam aut aldiam, dicendo quod esset striga.

Petre comes, te appellat Martinus, quod tu commandasti occidi Mariam suam ancillam aut aldiam, dicendo hoc quod ipsa fuisset striga.

Aliter: Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Mariam suam ancillam aut aldiam, dicendo hoc quod ipsa fuisset striga.

Petre comes, te appellat Martinus, quod tu ad Marcoardum iussisti, ut Mariam suam ancillam ministerialem aut aldiam aut ancillam rusticanam occidisset.

377. Si quis hominem liberum unum oculum habentem ipsum excusserit, duas partes pretii ipsius, quod adpretiatus fuerit si eum occidissit, conponat. Si autem haldium aut servum alienum unum oculum habentem ipsum excusserit, conponat eum pro mortuo.

378. Si mulier libera in scandalum cocurrerit, ubi viri litigant, si plagam aut feritam factam habuerit, aut forsitan inpincta fuerit aut occisa, adpretietur secundum nobilitatem suam, et sic conponatur, tamquam si in fratrem ipsius mulieris perpetratum fuisset; nam alia culpa pro iniuria sua, unde nongenti solidi iudicantur, non requiratur, eo quod ipsa ad litem cocurrit, quod inhonestum est mulieribus facere [*cf. cap.* 257].

Petre, te appellat Martinus, quod Alda sua mundoalda simpliciter currebat in scandalum et tu eam occidisti.

---

377. Lex ista a Caroli capitulo quod est « Si quis alium presumptive » (Karol. M. 81) corrumpitur, in quo pro uno oculo excusso widrigilt medietas componi precipitur. Sed secundum Ugonem ita salvatur, quia hec lex locuta est de homine unum oculum solum habente, predictum vero capitulum de homine duos oculos habente.

378. Hec lex, in hoc quod precipit, feminam euntem in scandalum debere componi tamquam frater eius componeretur si occisus esset, et non posuit differentiam, sive in scandalo simpliciter ivisset vel non, rupta est et affirmata a Liuprandi lege quae est « Relatum est nobis quod perfidi homines » (Liutpr. 140); rupta, quia in hoc quod dicit: « si qua mulier simpliciter in scandalum ierit », intelligere nos ammonet, quia, si nocendo animo ierit, nichil pro ea aliquid mali passa componendum est; affirmata in hoc quod dicit: « sic ei fiat iustitia sicut Rotharis rex instituit ». — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Mariam, cuius ipse mundoaldus erat, in scandalum simpliciter currentem occidisti aut ei plagam in capite fecisti.

379. Si quis cassinam aut tectum alienum foris curtem, ubi vir non habitat, dum intentio fuerit de terra, disturbaverit aut in terram iactaverit, et terram suam sicut lex habet convincere non potuerit, restauret ipsam cassinam, et conponat aliam talem sub extimationem pretii. Nam si casa ubi habitatur, disturbaverit, conponat sicut in hoc edictum [*cap.* 146, 149] legitur, aratraibus.

Petre, te appellat Martinus, quod dum ipse habebat intentionem tecum de pecia una de terra, estirpasti unam suam casinam ubi homo non habitabat, quae super ipsam terram erat, aut ubi habitabat.

380. Si quis peculium suum de clausura aliena occulte tulerit, et non rogaverit, conponat curtis rupturae, id est hoberos, solidos 20.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti de clausura sua occulte duo tua peccora, et eum non rogasti.

381. Si quis alium arga per furorem clamaverit, et negare non potuerit, et dixerit quod per furorem dixisset, tunc iuratus dicat, quod eum arga non cognovisset; postea conponat pro ipso iniurioso verbo solidos duodecim. Et si perseveraverit, convincat per pugnam, si potuerit, aut certe conponat ut supra.

Petre, te appellat Martinus, quod tu clamasti eum argam. — De torto me appellas. — Si dixerit: argam clamavi sed per furorem, iuret ut lex est.

382. Si quis hominem liberum inpegerit, ut cadat, conponat solidos sex, sic tamen si alteram lesionem in corpore ipsius non fecerit. Si autem eum inpegerit et non ceciderit, conponat solidos tres.

Petre, te appellat Martinus, quod tu impegisti eum quod ipse cecidit aut non cecidit.

383. Si quis hominem liberum surgentem rexa per barbas aut ca-

---

379. Lex hec dicens: « componat sicut in hoc edicto aratrahib id est sibi tertia » legem superius positam quae est: « Si quis casam alienam incenderit » (Roth. 146) revocavit memorie. — § 2. Preter penam quae in hac lege precipitur pro invasione bannum (Pipin. 23) erit componendum. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu pro lite quam secum de terra habebas casam quam habitabat extirpasti aut in terra iactasti. — § 4. Si quis alterius casam de cuius terra nulla est contemptio absque invasione in terra iactaverit, quanti ipsa casa fuerit, usu emendare compellitur, banno pro ruptura pacis adhibito (Karol. M. 30, 79).

381. Si quis alium argam, id est cucurbitam. Notandum est, quod in hac pugna non debet fieri sacramentum de astu, quia cum appellatus confiteatur, quod sibi ab appellatore imponitur, non est conveniens, ut appellatus diceret, se astu interpellari. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu eum argam animo irato vocasti. — § 3. Si quis a se vocatum argam vetaret, se eum non cognovisse, aut pugnam in eum facere non ausus fuerit, quia eum vocans argam, coniugem de adulterio infamavit, guidrigild compositurus est. — § 4. Quod in hac lege scriptum est: « aut certe componat sicut supra constitutum est » respicit in hac eadem lege ad predictos solidos 12.

383. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod subito surgente rixa barbam aut capillos extraxisti. — § 2. Ideo in hac lege « subito » positum est, ut intelligatur nullas precepisse insidias.

pillos traxerit, conponat solidos sex; si haldium aut ministirialem seu servo rusticano per barbas aut capillos traxerit, conponat sicut pro ferita una.

Petre, te appellat Martinus, quod, tibi subito surgente et adveniente ira, traxisti eum per barbam aut per capillos. — De torto.

384. De brachio, coxa seu tibia rupta. Si quis homini libero brachium super gubitum, hoc est murioth, ruperit, conponat solidos vigenti; si autem subtus gubitum, quod est treno, conponat solidos sedecim; si coxa ruperit super genuculum, quod est lagi, conponat solidos vigenti; si subtus genuculum, quod est tibia, conponat solidos sedecim. Si vero semus aut clodus fuerit, conponat sicut in hoc edictum legitur [*cap.* 112], quartam partem pretii.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rupisti ei brachium super cubitum, aut coxam super geniculum aut subtus geniculum.

385. De mundio puelle et devitum. Si mundius de puella libera, parentes mortuos, ad curtem regis ceciderit, et pater vel frater devitum demiserit, in quotam portionem patri vel fratri heredes successerit, ita et devitum persolvat. Simili modo et si naturales filii fuerint.

386. Praesentem vero dispositionis nostrae edictum, — quem deo propitio cum summo studio et summis vigiliis a celestem faborem praestitis, inquirentes et rememorantes antiquas legis patrum nostrorum quae scriptae non erant, condedimus, et, quod pro commune omnium gentis nostrae utilitatibus expediunt, pari consilio parique consensum cum primatos iudices, cunctosque felicissimum exercitum nostrum augentes constituimus — in hoc membranum scribere iussimus; pertractantes et sub hoc tamen capitulo reservantes, ut quod adhuc, annuentem divinam clementiam, per subtilem inquisitionem de antiquas legis langobardorum, tam per nosmetipsos quam per antiquos homines memorare potuerimus; in hoc edictum subiungere debeamus; addentes, quin etiam et per gairethinx secundus ritus gentis nostrae confirmantes, ut sit haec lex firma et stabelis, quatinus nostris felicissimis et futuris temporibus firmiter et inviolabiliter ab omnibus nostris subiectis costodiatur.

387. Si quis hominem liberum, casum facientem, nolendo occiderit, conponat eum sicut adpretiatus fuerit, et faida non requiratur, eo quod nolendo fecit.

---

384. Si quis manum aut pedem alterius vulneraverit, quia lex manum in « brachio sub cubito », pedes vero in « coxa sub genuculo » intelligi voluit, ita compositurus est, sicut de brachio sub cubito vel coxa sub genuculo.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum.

388. Et hoc addimus ac decernimus, ut causae, que fenitae sunt, non revolvantur. Quae autem non sunt fenitae et a presente vigesima secunda diae mensis huius novembris indictione secunda incoatae aut commotae fuerint, per hoc edictum incidantur et finiantur.

Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vicium scriptorum in hoc edictum adibeatur: si aliqua fuerit intentio, nulla alia exemplaria credatur aut suscipiatur, nisi quod per manus ansoald notario nostro scriptum aut recognitum seu requisitum fuerit, qui per nostram iussionem scripsit.

EXPLICIT EDICTO ROTHARITH.

ITEM QUOD GLORIOSISSIMUS GRIMUALD REX ADDIDIT DICENS:

Superiore pagina huius edicti legitur ita, quod adhuc annuente domino memorare potuerimus de sincolas causas, quae in presente non sunt adficte, in hoc edictum adiungere debeamus, ita ut causae que iudicate et fenitae sunt, non revolvantur. Ideo ego vir excellentissimus grimowald gentis langobardorum rex, anno deo propitio sexto regni mei, mense iulio indictione undecima [*p. Chr.* 668], per suggestione iudicum omniumque consensu, ea que illis dura et impia in hoc edictum visa sunt, ad meliorem statum et clementiorem remedium corregere et revocare previdemus.

1. De trigenta annorum usocapione. Si servus aut ancilla per tri-

---

1. In eo quod haec lex, dicens: « qui per 30 annos domino suo servivit », propter 30 annorum possessionem in servitio semper manere precipit, secundum quosdam ab ultima Astulfi lege rumpitur, in qua 30 annorum propter possessionem in servitio teneri prohibetur: sed non est rupta, quia illa de libero pro bonitate sua serviente loquitur, cum huius tantum de servo loquendi intentio sit. Eiusdem quoque dicti secundum alios haec lex a Lotharii capitulo quod est « Si vero aliquis alium ad servitium mallaverit » (Lotb. 79) corrumpitur, quia illic legitur, ut ille qui ad servitium mallatus fuerit probando libertatem suam det wadiam: sed non est rupta, quia predictum capitulum de tali loquitur, qui in libertatis statu permanebat et ipsum alius ad servitium applicare volebat; hec autem lex loquitur de eo qui in servitio manebat et ad libertatem procla-

genta annos, qualiter rei veritas cognita fuerit, per triginta annos dominis suis servisset, et per superbia aut iniusta patrocinia se voluerit de domino suo proprio per pugna vindicare, nullatinus ei permittimus, sed serviat, sicut decet servûs aut ancilla, proprio domino suo. Similiter et si haldius fuerit, inpendat obedientia patrono suo, sicut per trigenta annos fecit, et ei nova a domino suo amplius non inponatur; sed liceat eum res suas habere, quas per trigenta annorum spatia iuste possedit.

2. De liberis de quibus constat triginta annis in libertate sua per-

---

mabat. — § 2. Hic queritur, si quis in servitio per 30 annos manserit et post 30 annorum curriculum se liberum esse dixerit, quomodo diffiniri debeat? Ait Guilihelmus, hoc diffiniendum esse iuxta Astulfi legem (Ast. 13), quia ibi legitur: « Si vero eius parentes pertinentes fuerint, et ipse solus ad libertatem proclamaverit, si ipse solus libertatem idoniare per cartam aut per homines liberos vel possessionem iuxta hanc legem non potuerit, deserviat et inantea ». Sed ne dubitetur, quomodo per possessionem libertatem suam idoniare possit, qui per 30 annos in servitio permansit, ita intelligendum est: ut, si quis per 30 annos bona fide in libertate permansit, quantiscumque annis postea in servitute sit, possessio tamen non nocet, quia prior possessio iuxta predictam Astulfi legem prevalet, cum non posuit differentiam, sive stetisset per 30 annos in servitute vel non. Ugonis autem talis est sententia, quia hec lex de eo tantum loquitur, qui in veritate servus dicitur — quod videri potest in hoc quod legitur in hac lege: « et rei veritas cognita fuerit, quod per 30 annos domino suo servisset et per superbiam aut iniusta patrocinia se voluerit de domino proprio »: — ideo dixit, iuxta hanc legem tantum eundum esse, scilicet, ut illi qui per 30 annos domino suo servivit nullatenus a domino suo per pugnam se vindicare permittatur, sed, ut decet servo, suo proprio domino deinceps serviat. Sed si quis huic sententie opposuerit dicendo, si hec lex, ut Ugo dicit, de eo tantum loquitur, qui in veritate servus est, quid tunc prodest domino 30 annorum possessio, unde hac in lege fit mentio, quia, licet nisi per unum diem eum possedisset, tamen suo debet servire domino? — Quod sic solvitur: hec possessio in tantum prodesse domino dicitur, quod a servo dominus per pugnam non fatigabitur, si servus voluerit iuxta legem Rotharis, que est « Si quis alium de re mobili aut immobili pulsaverit » (Roth. 228), in qua quinque annis inantea indeterminate inde pugnam precipitur fieri posse: unde ab hac lege rumpitur, que ultra 30 annos pugnam fieri prohibet. — § 3. Secundum Ugonem quoque is de quo hec lex loquitur liber fuerat, sed per 30 annorum possessionem servus factus fuit. Quod videri potest per subsequentem legem que est « De liberis quos constat ». Discernitur in hoc scilicet, quod e contrario loquitur. Hi enim, de quibus « De liberis quos constat » loquitur, re vera servi fuerant, sed per 30 annorum possessionem liberi facti erant. Et quod ii de quibus « quos constat » — hec lex scilicet — loquitur servi re vera fuerant, per 30 annorum possessionem liberi facti fuerant, videri potest per Lodoyci capitulum quod est « Placuit nobis de illis hominibus » (Ludov. P. 55), quia in hoc quod dicit: « placuit nobis de illis hominibus, qui se liberos per 30 annos esse dicunt, ut per hanc possessionem liberi non sint », dat nobis intelligi, iuxta hanc legem, que est « De liberis quos constat », qui servi erant 30 annorum possessione liberi fiebant. Idem quoque videri potest per legem Rachis quae est « Reminiscimur enim quia anterius edictum continere dignoscitur » (Rach. 2), in hoc quod ibi legitur: « de liberis feminis que servis copulantur, ut, quandoque invente fuerint, in servitio reducerentur, et quia Grimoaldus rex instituit de his qui in libertate per 30 annos vixerint ut in servitio non replicentur. Tamen quia curti » et cetera. — § 4. Notandum est quoque, si dominus pulsatus fuerit, quod malo ordine possedisset, quod de malo ordine se debeat defendere sacramento per Rotharis legem quae est « Si quis alium de re mobili aut immobili ». — § 5. In eo quod haec lex novam conditionem aldioni non esse inferendam precepit, a Lotharii capitulo affirmatur: « Videtur nobis de aldionibus » et cetera (Loth. 34).

2. Hec lex, in hoc quod precipit, in libertate illum permanere qui 30 annis in libertate permansit, a Lodoyci capitulo rumpitur quod est « Placuit nobis de illis hominibus qui se liberos per 30 annos » (Lud. P. 55), in hoc quod dicit: « placuit nobis, ut per hanc possessionem — subaudis 30 annorum — liberi non sint »; et secundum hanc sententiam sequens littera ita legitur, scilicet ut dicatur: « sed si de ingenuo patre et matre sunt nati, liberi erunt, aut cartam ostendant ». Quam

mansissit, nulla per pugna patiatur molestia, sed liceat eis in libertatem suam permanere. Et si eos quicumque pulsaverit, liceat illis cum sacramentalibus suis legitimis se edoniare.

3. De culpa servorum. Si servus talem culpam fecerit, unde nongenti solidi, qui in hoc edictum scripti sunt, iudicantur ut dominus pro servo deberet conponere, et hoc amputare iussimus: si factum fuerit, nihil aliut conponat dominus eius, nisi ipsa persona tradatur ad occidendum, et conponat pro inlicita causa, quod servus penetravit, solidos sexaginta; amplius non requiratur. Et si ipse servus

---

sententiam Bonifilius firmabat. Et dicitur etiam, quod edicta antiqua hanc litteram habuerunt: « nisi de ingenuo patre aut matre », sed Bonifilius dicitur apposuisse « et » loco « aut », ut sua melior esset sententia quam litterata; et quam sententiam Wilihelmus bonam esse confirmat. Dicitur a Wilihelmo eodem, et a quam pluribus etiam antiquissimis dictum est, quod hoc non erat ruptura immo addicio, quia hac lege sola possessione 30 annorum fiebant liberi, sed predicto capitulo sola possessione non fuerant liberi, nisi cum possessione istud aliud habeant, scilicet quod sint nati de ingenuo patre aut matre aut nisi habeant cartam libertatis. — Sed si quis huic sententie opposuerit dicendo: quid possessio secundum hanc legem ipsis valeat, quia, licet possessionem non habeant, tantum si nati ab ingenua matre sunt aut cartam libertatis habent, liberi sint? sic ei dicatur: secundum sententiam optinere valet possessio, quia, si nati fuerint de ingenuo patre, licet ancillam habeant matrem, tantum si possessionem 30 annorum habuerint, liberi erunt, sed si possessionem non habent, qui ex ancilla matre et ingenuo sunt nati patre, liberi non erunt. Item valet possessio, quia licet cartam habeat a non domino bona fide tamen factam, si possessionem 30 annorum habuerint, liberi tamen erunt, sed si possessionem non habuerint, licet cartam habeant a non domino bona fide factam, tamen liberi non erunt. — § 2. Notandum est, quod hec lex et predictum Lodoyci capitulum de Longobardis tantum ad servitutem loquendis volunt intelligi; Romanus vero vel alterius legis homo, si 30 annis libertatem possederit, liber esset septimi Codicis libri capitulo testante quod est (Cod. VII, 22, 2) « Praestat quidem firmam defensionem libertatis ex iusto initio longo tempore obtenta possessio. Favor enim libertati deditus et pridem iam salubris lex statuit, ut hic, qui bona fide in possessione libertatis per 30 annorum spatium sine interpellatione morati essent, prescriptio adversus inquietudinem status eorum deberet prodesse, ut liberi et cives fiant Romani ». — § 3. Lex Rotharis « Si quis alium de re mobili » (Roth. 228), quae de malo ordine possessionis pugnam a quinque annis inantea posse fieri precipit, ab hac lege partim rumpitur, in hoc quia a 30 annis inantea pugnam similiter de malo ordine fieri prohibuit, ita de malo ordine cum legitimis sacramentalibus, si pulsatus fuerit, iurare constituit. — § 4. Haec lex in hoc quod precipit, quemlibet in libertate permanere, quia constat eum 30 annis in libertate sua permansisse, a Lotharii capitulo quod est « Ut per 30 annos servus » (Loth. 100) partim rumpitur in hoc quod dicit: « ut per 30 annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus est et mater illius ancilla fuit ». Notandum est, quod quidam iudices dicunt, « aut » debere ibi esse ubi posuimus « et », scilicet ut dicamus « aut mater illius ancilla fuit ». Sed Wilihelmus asserit, « et » ibi esse debere, et non « aut ». Sed secundum Ugonem ita salvatur hec lex: scilicet intelligendum est, possessionem istius legis esse bona fide, illa autem, unde predictum capitulum loquitur, erat mala fide; quam salvationem Wilihelmus vituperat, sed rupturam laudat.

3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Petrus servus tuus Marie, cuius ipse est mundoaldus, fecit iniuriam. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Andreas servus tuus patris eius sepulturam fregit, tanta spolia inde tulit, quod solidos 20 valebat. — § 3. Lex hec omnes leges retropositas de 900 solidorum servi conpositione loquentes rumpit, quia dominus servum ad moriendum est traditurus et 60 solidorum penam compositurus est hac lege. — § 4. Hec lex a quadam Astulfi lege que est « Pervenit ad nos » et cetera (Ast. 6) partim rupta partimque affirmata; rupta in hoc quia, si servi illud malum fecerint iussu domini, 900 solidos componere cogitur, partim est affirmata, quia, si sine iussu domini fecerint, illorum persona ad occidendum tradatur. — § 5. Quod hec lex dominum pro servo qui fugam fecit aut se dilatavit solidos 20 et pro eius culpa solidos 60 componere iubet, a capitulo Caroli quod est « Nemini liceat » secundum quosdam partim rumpitur, quia in ipso capitulo legitur: « si autem perpetrato scelere fugerit, ita ut a domino penitus inve-

fuga lapsus fuerit, et non potuerit dominus eius eum invenire, det pro ipso servo, qui fugam petiit aut se dilatavit, solidos vigenti, et prebeat sacramentum dominus eius, quod non potuisset ipsum servum invenire. Et si quandocumque inventus fuerit, tradat eum, ut supra, ad moriendum, et recipiat solidos vigenti, quos pro fuga ipsius dedit; nam sexaginta solidos conponat pro culpa, quam servus fecit. Et si expolia hominis sepulti servus de sepultura tullerit [*cf. Roth. cap.* 15], de quantum tullit, dominus eius reddat, et conponat, ut dictum est, solidos sexaginta et persona tradatur ad moriendum.

---

niri non possit, sacramento dominus eius se excusare studeat, quod suae voluntàtis nec consentiens fuisset, quod servus eius tale facinus commisisset ». Et sic dicebant eum absolutum esse. Sed secundum Wilihelmum non est rupta; quia, licet ibi de conscientia accusati domini excusatio iubebatur, tamen non prohibetur componi. — § 6. Item in eo, quod hec lex iurare dominum iubet quod non potuisset ipsum servum invenire, a predicto Caroli capitulo secundum quosdam rumpitur: quia secundum eos hoc sacramentum non fiet, immo illud, quod predictum capitulum, id est « Nemini liceat », fieri iubet. Sed secundum Ugonem non est rupta, quia, licet predictum capitulum aliud sacramentum fieri precipiat, cum huius legis sacramentum fieri non prohibeat, tamen intelligendum est, ut utrumque fieri valeat. — § 7. Si servus, nongentorum solidorum aut aliam culpam operatus et antequam dominus appellatur, ad libertatem, tamen non pro ea culpa, devenerit, non ut servus, sed ut liber emendare compellitur. Si vero, antequam dominus inde appellatur, servus ille a domino alienatus, non tamen pro ea culpa, in alterius venerit potestatem, ille cuius est sicut pro servo iubetur penam persolvere. Econtra si liber nongentorum solidorum aut aliam culpam operatus pro aliqua illorum in servitutem devenerit, ille cuius servus factus est ceteras componat, tamquam si eae in servitute committantur. Quae omnia Institutionum quarti libri lege quae est « Ex maleficiis servorum » (Inst. IV, 8, 5) facile possunt intelligi, in qua legitur: « nam si servus tuus noxam commiserit et manumissus fuerit, directo — id est liberi actio — ipse convenietur. Si vero in alterius potestatem ipse pervenerit, cum illo incipit actio esse. Nam si liber homo noxam commiserit et is servus tuus esse ceperit, incipit tecum esse noxalis actio, que antea directa fuisset ». — § 8. Item si quis servum timore compositionis culpe ab eo commisse manumiserit, nichil valet, quia in Institutis legitur: « qui in fraude creditoris manumittit, nihil agit » (Inst. I, 6, pr.), et etiam in capitulari legitur: « Nemini liceat dimittere » (Karol. M. 26). — § 9. Si quis servus duas nongentorum culpas operatur, qui prius appellavit, quia ei 60 solidorum compositio et servus ad occidendum traditus sit, magis proficit quam qui appellat posterius, cum ille qui posterius appellat non habeat adversus quem agat. Si vero alias culpas, pro quibus tradendus est, sed non ad occidendum, commiserit, magis proficit qui appellat eum posterius, quandoquidem prior appellator de anterioribus eius culpis responsurus est. — § 10. Quia hec lex servum qui liberum occulte interficit ad occidendum tradi et 60 solidos conponendos esse precipit, a Liuprandi lege que est « Si servus cum voluntate domini sui » (Liutpr. 21) partim rumpitur, in qua dominus, cuius iussu servus liberum interfecerit, res suas iubetur ammittere, si vero absque eius nutu servus hoc commiserit, dominus guidrigild compositurus est et servus est parentibus defuncti tradendus. — § 11. Notandum est quod hic erat sepulture ruptura. Quod potest videri in hoc quod in fine legis precipit, 60 solidos pro spoliis hominis sepulti sepultura abstractis debere componi et insuper personam servi debere tradi ad occidendum: cum lex hec fieri non precipiat nisi pro « culpa tali, unde nongenti solidi qui in hoc rescripto scripti sunt iudicantur », et pro spoliis hominis sepulti de sepultura abstractis 900 solidi non sunt iudicati, nisi quando sepultura rumpebatur (Roth. 15). Quare intelligendum est, sepulture rupturam hic factam esse. — § 12. Notandum est quoque, quod ab hac littera huius legis que est « et si ipse servus fuga lapsus fuerit » inantea duplex notatur materia. Nam secundum Ugonem talis est materia, scilicet, quando pro servo qui fugit aut qui se dilatavit, iurando quod in hac lege precipitur, solidos 20 tantum dabat dominus, et si quandocumque inventus fuerit, dominus tradat eum ad moriendum, et recipiendo solidos 20, quos pro fuga ipsius dedit, vel reputando solidos 60 pro culpa servi sui componet. Sed secundum Wilihelmum in tantum diversificatur materia, scilicet quod quando dabit..... et pro culpa quam fecit 60 solidos.

Petre, te appellat Martinus, quod tuus servus Paulus fecit iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — De torto. — Si dixerit: « fugit », iuret, quod non suae voluntatis nec consentiens fuisset, quod servus eius tale malum fecisset, et iuret, quod invenire non potuit, et nichil emendet.

Petre, te appellat Martinus, quod tuus servus rupit sepulturam Alberti sui patris, et tulit tanta spolia de ipsa sepultura quae valebant solidos 100.

4. De trigenta annorum possessionem pretiorum. Si quis per treginta annos possederit casas, familias vel terras, et cognitum fuerit, quia eius possessio fuit, post trigenta annorum curricula pugna non proveniat; nisi ipse qui possedit, secundum qualitatem pecuniae [*Roth. cap.* 359] cum sacramentum suum se defendat: nam per pugnam, ut dictum est, non fatigetur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram quae iacet in loco tali aut duos servos aut unam suam casam. — Possessa habeo per 30 annos. — Probet, si potuerit, suam possessionem; si non potuerit, probet qui appellat, quod investitus fuisset infra istos 30; et si non potuerit, iuret appellatus suam possessionem. Hec res secundum asinos est; sed ita esse debet:

---

4. Hec lex in eo quod dicit: « post 30 annorum curricula pugna non perveniat », in parte rupta est ab Octonis capitulo quod est « De investitura predii » (Ott. I, 2), quia, si iusta de investitura predii appellationem fecerit, pugna inde fiet. Sed ita salvari potest: scilicet ut « De investitura predii » intelligatur pugnam fieri precepisse secundum huius legis quae est « Si qui per 30 annos » determinationem, id est infra 30 annos. — § 2. Sciendum est, quod si quis de invasione vel actione in rem id est malo ordine retenta terra appellatus fuerit, quod, ubicumque litigatores habitent, non alibi nisi ante loci illius comitem cogendus est ad placitum, Codicis tertii libri capitulis quorum hoc unum est: « Ubi aut vis facta dicitur aut momentaria possessio postulanda est, ibi loci iudicem adversus eum qui possessionem turbavit convenit iudicare » (Cod. III, 16) « Actor rei forum sive in rem sive in personam sit actio sequitur. Sed in locis, in quibus res propter quas contenditur constitute sunt, iubemus in rem actionem adversus possidentem moveri » (Cod. III, 19, 3). — — § 3. Iudices antiqui dicebant, quod usu et Lodoyci capitulo, in quo legitur: « quod non est credibile, ut de statu hominis vel de possessione cuiuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat quam per illos qui viciniores sunt » (Lud. P. 15), ille qui dicit, se per 30 annos casam familiam vel terram possedisse, possessionem suam probare debet; et si probare non potuerit, tunc ille qui eum appellavit probare debet iuxta Romanam legem, quod infra 30 annos de terra illa investitus fuisset; quod si neuter illorum probare potuerit, dicebant, quod iuxta hanc legem appellatus iuraturus erat, se per 30 annos terram illam possedisse. Sed in hoc tantum errabant antiqui, scilicet quod dicebant, appellatum iuxta hanc legem iurare debere, se per 30 annos possidere, quia iuxta hanc legem non erat litigium de possessione 30 annorum, quod videri potest in hoc quod dicit: « et cognitum fuerit », immo de malo ordine possessionis erat iuxta hanc legem litigium, quod videri potest in hoc quod hec lex pugnam a 30 annis inantea fieri prohibet, quia Rotharis lex, que de malo ordine (Roth. 228), a quinque annis inantea fieri iubet. Et unde hec lex pugnam fieri prohibuit, inde sacramentum quod in hac lege ponitur fieri constituit, id est de malo ordine, non de possessione, ut antiqui iudices asserebant. — § 4. Huic legi Liuprandi lex quae est « Si quis cartulam donationis » (Liutpr. 53) et Astulfi lex quae est « Si quis Longobardus qualemcumque rem » (Ast. 9), concordat in hoc quod dicit: « qui per 30 annos possedit, possideat et inantea ».

non est verum. — Approbabo hoc. — Non debes michi approbare, quia iam tantum possedi, quod debeo me defendere. — Defende ergo te per bellum. — Non defendam me per bellum, sed per sacramentum, quia iam possedi per 30 annos. — Da igitur vadium te exdicere per sacramentum.

Quod haec lex secundum quosdam voluit; sed Astulphus et bellum et sacramentum pro hoc delevit et precipit: si dubitatio fuerit, ut probet suam possessionem 30 annorum et possideat inantea.

Vel ita:

Petre, te appellat Iohannes, quod terra quae in tali loco est sua sit, et tu sibi eam detines. — Non sibi respondeo, quia possedi per 30 annos. — Vere possedisti, sed malo ordine. — Non. — Hoc tibi adardio. — Non debes michi adardire, quia lex precipit, ut pugna non perveniat, postquam homo possederit per 30 annos. — Defende igitur te per sacramentum.

Quod est melius ita:

Petre, te appellat Martinus, quod tu malo ordine possides quandam suam terram quae est in tali loco. — Non est verum. — Hoc vult tibi adardire. — Non debet, quia possedi per 30 annos. — Exdic te igitur per sacramentum. — Quod Astulphus noluit, sed ita: non tibi respondeo, quia possedi per triginta annos.

5. De successione nepotum, qui post mortem patris in sinu avi remanserit. Si quis habuerit filios legitimos unum aut plures, et contigerit unum ex filiis vivente patre mori, et reliquerit filios legitimos unum aut plures, et contigerit avo mori: talem partem percipiat de substantia avi sui, una cum patruis suis, qualem pater eorum inter fratribus suis percepturus erat si vivus fuisset. Similiter et si filias legitimas unam aut plures, aut filii naturales unum aut plures fuerint, habeant legem suam, sicut in hoc edictum legitur [*Roth. cap.* 158 . . . 160]. Quia inhumanum et impium nobis videtur, ut pro tali causa exhereditentur filii ab hereditatem patris sui pro eo, quod pater eorum in sinu avi mortuos est; sed ex omnibus, ut supra,

---

5. Hec lex non precipit nominatim nisi tantum de successione filiorum et nepotum vel neptum ex filio: sed nos debemus intelligere similiter de omnibus aliis ex filio descendentibus. — § 2. In eo quod hec lex naturales filios et filias legitimas ex filio defuncto tertiam hereditatis partem habere precipit, a prima Liuprandi lege rumpitur, in qua filia tamquam legitimus filius hereditate omni iubetur succedere. — § 3. Lex ista dicens: « si legitimi non fuerint et naturales inventi fuerint — quod de morientis avi nepotibus intelligendum est — legem suam id est tertiam partem ex omnibus habeant » dat intelligere, si legitimi fuerint, naturalibus nichil debere contingere: unde Rotharis lex que est « Si quis dereliquerit filium legitimum » (Roth. 154) rumpitur, in qua invento legitimo naturali etiam pars tertia devenire precipitur.

aequalem cum patruis suis in locum patris post mortem avi percipiant portionem. Similiter et si legitimi non fuerint, et naturales inventus fuerit unum aut plures, habeat legem suam, id est tertiam partem ex omnibus.

6. De uxoribus dimittendis. Si quis uxorem suam absque culpam legitimam posposuerit, et alia in domo superinduxerit, conponat solidos quingentos, medietatem regi et medietatem parentibus mulieris; mundio vero eius mulieris quam postposuit, amittat; et si noluerit ad maritum suum reverti, revertatur ad parentes suos cum rebus suis et mundium.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dimisisti absque culpa legittima Mariam suam sororem et duxisti aliam in domum super eam.

7. De crimen uxoris. Si quis uxorem suam incriminaverit asto sine causa legitima, quasi adulterassit aut in animam mariti sui tractassit, liceat illi mulieri per sacramentum parentum aut per pugnam se mundare. Et si purificata fuerit, tunc maritus eius praebat sacramentum cum parentibus suis legitimis, sibi duodecimus, quia non asto animo nec dolose ei crimen iniecit, ut eam deberet dimittere, nisi per certam suspectionem auditum habuisset haec verba; et si haec fecerit, sit exolutus a culpa. Et si non fuerit ausus iurare, conponat virgild ipsius mulieris, tamquam si fratrem eius occidisset, medietatem regi et medietatem parentibus mulieris.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod postquam adiunxit sibi in coniugio Mariam tuam filiam, quod ipsa adulteravit se.

Petre, te appellat Martinus, quod tu non fuisti ausus iurare, quod non asto animo nec dolose crimen ingereres Mariae suae sorori de adulterio, postquam ipse eam mundavit de isto crimine.

---

6. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Mariam filiam suam tuamque coniugem absque legali culpa dimisisti, aliam super illam in domum duxisti. — § 2. Lex ista, dicens feminam a viro dimissam ad parentes reverti posse, a Lotharii capitulo quod est « Nulli liceat, excepta causa fornicationis » (Loth. 95) rumpitur. Sed secundum quosdam de mundio non rumpitur, immo secundum eos apud parentes mulieris permanet; quod non est laudandum, quia rumpitur de uno et de altero.

7. « Si quis uxorem suam incriminatus fuerit astu » id est si quis pulsatus fuerit, quod uxorem suam astu sit incriminatus. — § 2. In eo quod hec lex maritum, postquam de criminationis duello cecidit, astu animi criminatum non esse iurare precipit, a Caroli capitulo quod est « Ut qui semel periuratus fuerit » (Karol. M. 38) quibusdam videtur esse corrupta. Sed si peregerit penitentiam, quandoquidem peracta penitentia non vocatur infamis, iuxta ultimi Pipini capitulum quod est « Ut de eo qui se periuraverit » (Pipin. 45) ad sacramentum potest accedere. — § 3. Lex ista, in eo quod maritum, coniugem astu animi criminatum, ea purificata widrigil componere iubet, a Novellarum lege que est « Causas autem, propter quas iuste potest uxor marito » (Iulian. Nov. 108, 8) dissidet, in qua vir purificata coniuge ei pene subiacere precipitur, cui mulier, si convinceretur, foret obnoxia. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Maria filia tua, postquam eam in coniugium duxit, ut ipse certe suspicatur, cum alieno viro adulterata est.

8. Si mulier aut puella notum habuerit, quemcumque habere uxorem, et super ipsam introierit et tulerit ei maritum non suûm: iubemus ut omnes res suas perdat ipsa mulier, qui sciendo alterius marito volontariae consensit; et medietatem de rebus eius accipiat curtis regia et medietatem parentibus. Et illam priorem mulierem recipiat maritus suus, et colat eam, ut decet uxorem legitimam. Vitium suum reputet, quae super alienam uxorem introire presumpsit, et nihil ei conponatur, et faida non requiratur [*cf. Roth.* 188...190, 214].

Petre, te appellat Martinus, quod ad Mariam tuam mundoaldam erat cognitum, quod Dominicus habebat ad uxorem Aldam suam sororem, et introivit super eam et tulit maritum non suum.

---

8. Lanfrancus Bonifilii discipulis hanc questionem posuit: si quis Longobardus uxorem suam sancte religionis velamen invitam aut volentem suscipere conpulerit aliamque uxorem duxerit, cui quartam et antifactum ut priori fecit, eo mortuo, quae illarum, dicite, antifactum aut quartam ex eius rebus consequi poterit? — Bonifilii discipuli: prior coniux, sancte religionis habitum iuxta Lotharii capitulum quod est « Nemini liceat excepta causa » (Loth. 95), non valens legitime induere, antifactum atque ex reliquo optime valet petere. — Lanfrancus: nullum de priori vobis posui litigium, quin ita sit, ut vestrum declarat arbitrium; de secunda vero apud nos est dubium, quin vestra vituperetur sententia, ut precipit ius vero gentium: secunda ideo quarte nichil poterit conquirere, quia sibi matrimonio eam iuxta predictam Lotharii capitulum quod est « Nulli liceat » non valuit coniungere, cum predictum capitulum priorem prohibeat dimittere; et si eam sibi matrimonio non valuit coniungere, tunc non iuxta cartam morgincaph valet petere in qua legitur: « nunc autem si Christo auxiliante » etc. Iuxta quoque Institutionum legem, quae est « Iustas autem nuptias cives Romani inter se contrahunt » nichil quarte poterit conquirere, quia ibi legitur (Inst. I, 10, 12): « si adversus ea que diximus aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptie, nec matrimonium, nec dos intelligitur ». Secunda igitur non solum quartam, verum etiam iuxta inceptam legem que est « Si mulier aut puella » antifactum omnesque res suas, eo quod super aliam viri coniugem ire presumpserat, debet ammittere. — Bonifilii discipuli: bene dixisti. — Lanfrancus: immo male dicimus, quia haec lex non precipit aliam res suas debere ammittere nisi illam, que super alterius coniugem ierit. Sed illa, de qua locuti sumus, non ierat super alterius coniugem, quia ipsa erat in monasterio. — Bonifilii discipuli: bene dicitis. — Lanfrancus: immo male, quia licet ipsa esset in monasterio, tamen supra eam ivit. Nam si ea occasione non diceretur supra eam ivisse que virum alterius acciperet, et qui in uno castro habitaret et coniux in alio; ideoque dicendum est, quod, quemadmodum ista dicitur ivisse super illam, licet alio loco habitet, ita ista, de qua supra locuti sumus, dicitur supra illam ivisse, licet in monasterio esset, cum monacha predicto capitulo prohibente facta erat et adhuc coniux eius erat. — Bonifilii discipuli: bene dicitis. — Lanfrancus: immo male, quia licet ostensum sit, quod illa super alterius coniugem ivisset, licet in monasterio esset, tamen hac lege id est « Si mulier aut puella » non debet res suas ammittere, ut paulo ante diximus, quia hec lex non facit aliam res suas ammittere nisi illam, cuius maritus fuerit vivus. Sed maritus illius, de qua superius quaestionem posuimus, erat mortuus. — Bonifilii discipuli: bene dicitis. — Lanfrancus: immo male, quia hec lex non facit illam res suas ammittere ideo, quod maritus eius vivus erat, immo quia supra alterius coniugem iverat, quod haec de qua loquimur fecerat. -- Bonifilii discipuli: bene dicitis. — Lanfrancus: immo male, quia cum hec lex facta fuit, nondum erat factum predictum Lothari capitulum, quod est « Nulli liceat » et cetera, in quo absque viro femina prohibetur se velare; et si nondum erat factum, tunc nondum erat se velare prohibita, tunc nondum erat contra legem, sed velare se poterat, tunc coniugium poterat separari, aliamque uxorem tollere, et si aliam poterat tollere, tunc quod ei dedit stabile debet permanere. — Bonifilii discipuli: bene dicitis. — Lanfrancus: immo male, quia predictum capitulum iam factum erat in canonibus (Concil. ab Eugenio Papa celebr. can. 36) et canones ante hanc legem facti fuerunt. Non potuit igitur separari coniugium, et si non potuit separari, tunc alia iterum non potuit illi copulari, quarta, quod dedit ei, debet auferri. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Maria filia tua, sciens habere Emmam filiam eiusdem Iohannis in coniugio, super eam accessit ad predictum Petrum in coniugium.

9. Si ancilla furtum fecerit, conponat dominus eius ipsum furtum sibi nonum tantum. Nam quadragenta solidi, unde in hoc edictum legitur [*Roth.* 254. 258. *cf. Liutpr.* 147] pro culpa, quod est fegang, non requiratur, neque exegantur a domino ancillae.

Petre, te appellat Martinus, quod Alda tua ancilla tulit sibi ad furtum tantum de suo mobili quod valebat solidos 10.

ITEM CAPITULA QUOD ADDIDIT DOMNUS LIUTPRANT REX.

Legis quas christianus hac catholicus princeps instituere et prudenter cinsire disponit, non sua providentia, sed dei notu et inspiratione eas animo concepit, mente pertractat et salubriter opere conplit, quia cor regis in mano dei est, atestante sapientissimo salomonem (Prov. 21, 1), qui ait: sicut impitus aquae, ita cor regis in mano dei; si tenuerit eas, omnia siccabuntur, si autem clementer eas demiserit, universa inrigantur et replentur suavitatem (Job. XII, 15). Quidem et apostulus domini iacobus in epistola sua ededit dicens: omnem donum optimum et omnem datum perfectum desursum est, discendens a patre luminum (Epist. Jac. I,17). His ergo expletis, recolimus quoniam rovustissimus decessor noster atque emenentissimus rothari rex, sicut ipse est in scriptis affatus suis superius, in langobardis edictum renovavit atque instituit: ubi et prudenter hoc inserere curavit, dicens, ut quis ille langobardorum princeps eius successor superfluum quid inibi reperit, ex eo sapienter auferret, et quod minus invenerit, deo sibi inspirante adicerit. Post hoc enim gloriosissimus grimoald rex, quae illi secundum deo placita fuerunt, minuit et ampliavit; cuius nos normam sequentes, divinitus ut credimus inspirati, simili modo ea quae iuxta dei legem nobis congrua paruerunt, subtrahere

---

9. Rotharis lex que est « Si aldia aut ancilla » (Roth. 258) ab hac lege, quia de ancilla non sunt componendi solidi 40, rumpitur.

et addere previdemus, sicut et in presentem paginam scrivere iussimus.

Ob hoc ego in dei nomine liutprand excellentissimus christianus langobardorum rex, anno deo protegente regni mei primo, pridiae kalendarum martiarum, indictione undecima, una cum omnibus iudicibus tam de austriae et neustriae partibus, necnon et de tusciae finibus, vel cum reliquis fedelibus meis langobardis et cuncto populo adsistente, haec nobis commune consilio, iuxta ob dei timore atquae amore ac sancta conparuerunt et placuerunt.

Primum omnium de successionem filiarum..

1. I. Si quis langobardus sine filiis masculinis legetimis mortuos fuerit, et filias dereliquerit, ipsae ei in omnem hereditatem patris vel matris suae, tamquam filii legetimi mascolini, heredis succedant.

2. II. Si quis langobardus se vivente filias suas nupto tradederit, et alias filias in capillo in casa reliquerit, tunc omnes aequaliter in eius substantia heredis succedant, tamquam filii masculini.

3. III. Si quis langobardus sororis reliquerit, et vivente eum ad

---

3. Hec lex, in eo quod sorores marito traditas fratri absque aliquo descendente mortuo iubet succedere, Rotharis legem que est « Si pater filiam suam aut frater sororem suam » (Roth. 181), in hoc quod sororem viro traditam fratris substantiam amplius prohibet requirere, rumpit. — § 2. Notandum est, quod hec lex « filios » proinde descendenti posuit, ubi dicit: « absque filiis filiabus »; quia nulla ratio esset, quod aliquis abnepotem vel alium quemlibet de descendentibus relinqueret, et eius soror omnia eius bona perciperet. — § 3. Lanfrancus discipulis Bonifilii hanc questionem posuit: si quis Longobardus filias habuerit et, antequam ei filius nascatur, eas ad maritum dederit, mortuo patre ipsum filium absque aliquo descendente mori contigerit: dicite, utrum predicte iuxta hanc legem debeant succedere vel non. — Responderunt: debent ei succedere iuxta hanc legem. — Lanfrancus: male dicitis, quia hec lex non precipit alias sorores fratri debere succedere, nisi que vivente fratre ipso ad maritum ambulaverunt; sed predicte sorores eo vivente non ierunt ad maritum, quia, ut supra diximus, nondum erat natus. — Sed Wilihelmus idemque Lanfrancus predictas sorores predicto fratri affirmaverunt postea succedere debere, non hac tamen lege sed argumento, scilicet quod, quemadmodum eius nativitate a successione patris sunt repulse, ita eius morte ad successionem deberent revocari. — § 4. Si quis Longobardus absque aliquo descendente mortuus fuerit et sorores atque fratres reliquerit, queritur, quis ei debeat succedere, an sorores an fratres? Dicitur, sorores iuxta hanc legem debere ei succedere, quia non posuit differentiam, utrum fratres adessent aut non. Sed si quis diceret, intelligendum, fratrem non adesse, quia, si frater adesset, ipse fratri iuxta « Omnis parentela » (Roth. 153) succederet, non soror, male diceret; quia a Liuprandi lege, que est « Recolimus enim, qualiter iam ante statuimus » (Liutpr. 144) videri potest, quod frater aderat et soror tamen succedebat fratri. Quia in hoc quod ibi legitur: « ut pariter atque equaliter sorores et filie ei », subaudis fratri, « succedere debeant », videtur, quod soror fratri succedat; et per hoc quod inferius dicit: « modo vero quia intentio exorta est inter fratres et sorores de nepte » videri potest, quod fratrem demiserat ipse, cuius ad successionem et sorores et filie equaliter superius devenerant. Item si dixerit, quod frater fratri iuxta « Omnis parentela » debeat succedere, non soror, quia predicta Liuprandi lex que est « Recolimus enim » (Liutpr. 144) in alio casu sorores fratri, quando frater aderat, non facit succedere, nisi quando ipse filiam reliquerit, et ubi filiarum fratres sunt expulsi a fratris successione et sorores cum filiabus suis sunt advocate: male dixerit, quia, si hec lex sorores cum filiabus ad successionem fratris advocat, quando superaderat, multo melius intelligendum est, eas esse advocandas ad fratris successionem, quando frater aderat et filie de-

marito ambulaverint, tantum habeat ex fratris facultate, si ipse filias reliquerit, quantum in diae votorum acceperunt, quando ad maritum ambolaverunt. Nam si ipse frater neque filiûs neque filias reliquerit, aut si habuerit et ante eum mortui aut mortuae fuerent absque filiis filiabus: tunc sorores eius, tam qui in capillo remanserunt, quam quae ad maritum ambolaverunt, in omnem substantiam eius ei heredis succedant.

4. IIII. Si quis langobardus sorores et filias in capillo in casa re-

---

fuerint. — § 5. Si quis Longobardus mortuus fuerit et fratrem dereliquerit et sororem ex parte matris tantum, queritur, quis illorum succedere debeat? Dicebant antiqui iudices, iuxta hanc legem sororem ei debere succedere, quia hec lex, precipiens sororem fratri succedere, non posuit differentiam, sive illa soror sit ex parte matris tantum sive non. Sed male dicebant; quia in hoc quod hec lex dicit: « tantum habeant ex fratris facultate, quantum in die votorum acceperant » optime declarat, illam sororem fratri debere tantum succedere, que sit consanguinea, id est ex parte patris, et in mundio fratris permanebat. Sed soror que est ex parte matris tantum, non est in mundio fratris. Et in prima Astulfi lege videri potest, quod soror ex parte patris fratri tantum debet succedere, quia illic nominatim precipitur, ut ille sorores succedant fratri, que sint neptes sororis patris defuncti fratris. — § 6. Si quis Longobardus absque aliquo descendente mortuus fuerit et sororem patremque reliquerit, queritur, quis eorum succedere debeat? Iudices antiqui dicebant, sororem debere succedere, non pater, quia hec lex, sororem iubens succedere, non ponit differentiam, sive patrem habeat sive non. Sed male dicebant; quia hec lex, in hoc quod dicit: « tantum habeant ex fratris facultate, quantum in die votorum acceperunt », evidenter ostendit, quod patrem non habet, quia, si patrem haberet, non diceret: « tantum habeat ex fratris facultate », quia frater non dedisset eam ad maritum, immo pater. Et potest etiam videri per primam Astulfi legem, quod pater non erat vivus, quando soror fratri succedebat in hoc quod dicit: « si autem nepotes decesserint predicti », quorum pater per istam litteram quae est « ideo Deo inspirante statuere previdimus » tunc potest notari esse mortuum, cum illos eosdem lex vocavit « predictos nepotes », quibus preceperat perpensare, qualiter amite eorum absque necessitate vivere possint.

4. Notandum est, hanc legem tam loqui de filiabus traditis marito quam de filiabus in capillo, quia, si intelligeretur — quia in hoc quod ipsa lex hanc legem respiciens dicit: « Recolimus qualiter iam antea statuimus » (Liutpr. 144) — de filiabus loqui solummodo in capillo, iam hec iniquitas inde procederet: scilicet, quod si quis Longobardus mortuus fuerit et filiam maritatam sororemque in capillo dimiserit, filia maritata iuxta Liuprandi legem que est « Si quis Longobardus se vivente » (Liutpr. 2) ad successionem patris perveniret, sed soror in capillo neque iuxta hanc legem, neque iuxta aliam in hoc casu nichil ex fratris bonis perciperet, cum haec lex nisi cum filia in capillo sororem in capillo ad successionem fratris secundum illam sententiam advocet. Quod non videtur ratio, scilicet quod maritata filia ad successionem perveniat et patris sororem in capillo expellat, cum secundum hanc legem et omnium sententiam filia in capillo cum patris sorore ad successionem patris equaliter perveniat et non eam expellat; et etiam multo tollerabilius esset, quod filia in capillo sororem patris in capillo a patris successione expelleret, quam filia maritata. Ideoque, ne predictas iniquitates incurramus, ordo huius littere que est « Si quis Longobardus sorores et filiam in capillo » secundum Wilihelmum est transmutandus, scilicet ut dicamus: « Si quis Longobardus filias — subaudis tam nuptas quam innuptas — et sorores in capillo »; cetera non mutantur. Confirmari quoque potest per legem Liuprandi que est « Recolimus enim », quia ordo huius littere taliter est tenendus atque intelligendus: « ut si quis decidens reliquerit filiam unam aut plures et sorores in capillo », et non posuit differentiam, sive ille filie sint maritate sive non, referenda tantum ad « sorores » « in capillo », dat nobis intelligere, quod predictus ordo littere huius legis secundum Liuprandum talis sit habendus atque intelligendus, ut supra diximus. — § 2. Si quis Longobardus mortuus fuerit et filias tam maritatam quam non maritatam sororesque in capillo atque abiaticum ex parte filii reliquerit: queritur, quomodo succedere debeant? Dicitur, equaliter omnes succedere debere, cum filie tam maritate quam non sororesque in capillo iuxta hanc legem tamquam filii iubentur succedere, et filii iuxta Grimoaldi legem (5) cum nepote ex parte filii equaliter debent succedere: igitur filie et sorores. Sed litigari potest optime, nepotem ex parte

liquerit: pariter atque aequaliter, quantaecumque fuerent, in hereditatem eius succedere debeant, tamquam filios legitimos dereliquissit.

5. V. Si filiae aut sorores contra volontatem patris aut fratris egerit, potestatem habeat pater aut frater iudicandi de rebus suis, quomodo aut qualiter voluerit.

---

filii in totum debere succedere, ut in prima Liuprandi lege litigavimus. — § 3. Item si quis Longobardus mortuus fuerit et filiam, tam nuptam quam non, sororesque in capillo et nepotem vel neptem ex parte filie reliquerit, queritur, quomodo debeant succedere? Ait Wilihelmus, filias et sorores in capillo in totum debere succedere, ideo quod hec lex iubet eas debere succedere ut filii; et si filii essent, ipsi in totum succederent iuxta prime legis Liuprandi intellectum, et nepos vel neptis ex parte filie nichil inde haberent: igitur filie et sorores nepotem vel neptem ex parte filie a successione expellerent ut filii. Et secundum hanc sententiam mater prevalet filie, si ipsa mater viva esset; quia, si ipsa mater viva, veniret ad successionem cum aliis sororibus, unde filia secundum predictam sententiam expelletur. Sed secundum predictam legem quae est « Si quis Longobardus sorores reliquerit » (Liutpr. 3) filia, id est abiatica, prevalet matri, et si adesset ipsa filia, id est abiatica; quia in hoc quod ipsa lex dicit: « nam si ipse frater neque filios neque filias reliquerit aut si habuerit et ante eum mortui aut mortue fuerint absque filiis filiabus, tunc sorores eius » datur intelligi, quod enim si abiaticam ex parte filie dimisisset quod abiatica in totum succederet, et sorores eius inde nichil haberent. Sed si mater ipsius abiatice viva esset, ipsa iuxta hanc legem que est « Si quis Longobardus sorores et filias » equaliter ad successionem patris cum patris sororibus in capillo veniret. — Sed secundum Ugonem filie tam nupte quam non et sorores in capillo cum nepote vel nepte ex parte filie ad successionem equaliter devenient; quia, quemadmodum filii iuxta Grimoaldi legem (Grim. 5) equaliter cum nepotibus ex parte filii succedunt, ita intelligendum quod filie, tam nupte quam non, et sorores in capillo succedant iuxta hanc legem equaliter cum nepotibus vel neptibus ex parte filie, quamquam superiores leges filias vel sorores coniugatas aut in capillo relictas succedere solummodo iubeant.

5. Si filia aut soror contra voluntatem patris aut fratris adulterio concubita polluta remanserit, iuxta huius intellectum, nisi pater fraterve eam exheredet, non est ab hereditate privanda, quia hec lex dat intelligere, ut, si pater vel frater res suas non iudicasset, quod apud filias vel sorores res ipsius remanerent. Notandum est quoque, quod filii ceterique parentes, quos exheredari posse leges precipiunt, quamvis ingratitudinem fecerint, hereditatem tamen non ammitterent, nisi in testamento ingratitudines exhereditationis scripserint (Cf. Julian. nov. 107, 3 in.; expos. ad Roth. 168-169). — § 2. In eo quod presens lex filias, indifferenter coniugatam aut puellam seu viduam, nisi contra patris voluntatem egerint, exheredari non posse precipit, a Liuprandi lege que est « De eo qui filiam in capillo » (Liutpr. 64) videtur quibusdam esse rupta, quia, cum ipsa lex solam filiam in capillo de tertia portione exheredari prohibet, filias viduas traditamque viro ab hereditate posse privari intelligitur. Sed male videtur illis, scilicet quod hec lex ab illa ideo sit rupta: quod eodem modo Rotharis lex, que pro puella aut vidua sine parentum voluntate in coniugium ducta pro anagrip solidos 20 et propter faydam alios 20 dandos esse precipit (Roth. 188) ab alia eiusdem regis, que pro sola puella pro anagrip solidos 20 et propter faydam alios 20 dari iubet (Roth. 214), illa posset conrupta videri. Quod utrumque totius rationis expers esse credendum est, quia predicte leges magis causa confirmandi quam conrumpendi facte sunt. — § 3. In hac lege non precipitur nominatim, de qua portione filia vel soror tam nupta quam non exheredari non possit: sed de tertia portione intelligendum est, sicut de filia in capillo in Liuprandi lege legitur, que est « De eo qui filiam in capillo » (Liutpr. 64). Nam quod ibi dicitur de filia in capillo, illud idem intelligatur de filia tam maritata quam vidua; et de sorore similiter. — § 4. In eo quod hec lex dat intelligi, filiam vel sorores, nisi contra patris vel fratris voluntatem egerint, ab hereditate semovendas non esse, a prima Astulfi lege non intelligenda est esse rupta, in qua alii testamentum faciente, soror ab hereditate seiungitur. Quod videri potest, ubi dicit: « si autem predicti nepotes decesserint absque filiis filiabus aut intestati » etc.; quia illud testamentum legale esse putandum est. Legale vero non esset, si sororem absque offensione legitima de tertia portione exheredaret. — § 5. Tales sunt ingratitudines, pro quibus filie vel sorores ab hereditate repelli possunt, id est si adversus animam patris vel fratris insidiate fuerint, vel sua voluntate fornicate et alie quamplures ingratitudines legibus scripte, veluti si minores 25 annorum absque patris vel fratris nutu ad coniugium ierint. Si vero 25 annis maior inordinate nolente patre se marito coniunxerit, iuxta Novellarum legem: « Neque pater aut mater, neque avus aut avia, neque proavus vel proavia » (Iulian. nov. 107, 3) non est ab eius hereditate pellenda.

6. VI. Si quis langobardus, ut habens casus humanae fragilitatis egrotaverit, quamquam in lectolo reiaceat, potestatem habeat, dum vivit et recte loqui potest, pro anima sua iudicandi vel dispensandi de rebus suis, quid aut qualiter cui voluerit; et quod iudicaverit, stabilem debeat permanere.

Si quis causa de suprascriptis capitulis, quae nuper in presenti pagina edicti adfigere precipimus, antea deliberate aut per divisionem fenitae sunt, in eo modo maneant, sicut antea sunt finitae vel statutae. Quae autem terminate et per divisionem decisae non sunt, in eo ordine deliberentur et maneant, sicut modo [*p. Chr.* 713] decrevimus, et in hoc edictum a nobis facto statuere visi sumus.

Que denique universa, superius a celsitudine nostra instituta, potoni notario sacri nostri palatii comprehendenda et ordinanda precipimus.

INCIPIT DE ANNO QUINTO (*p. Chr.* 717).

Ego in dei omnipotentis nomine liutprand, excellentissimus rex gentis filicissimae ac catholicae deoque dilectae langobardorum, reminiscor quoniam, sicut superius a nobis pagina legitur instituta, anno scilicet regni nostri primo indictione undecima ea quae nobis nostrisque iudicibus et reliquis langobardis fedelibus nostris ob dei timore atque amore recta conparuerunt, in antico edicti corpore recto adicere curavimus moderamine. Nunc iterum annuente dei omnipotentis misericordia diae calendarum martiarum, anno regni nostri deo propitio quinto, indictione quinta decima, simili modo cum omnibus iudicibus nostris de partibus austriae et neustriae necnon et de tusciae finibus seu ceteris nostris langobardis adhuc previdemus adaugere illa, que deo credimus placita esse, ut in multis causis et locis proibeantur periuria, et causae quae a quibuscunque hominibus misericorditer disponuntur, in peccati honus deinceps nequaquam procidant, et illut, quod forsitan antea videvatur obscuro, nunc omnibus luce clarius enetiscat. Primum omnium de morgingab mulierum.

---

6. Hec lex rumpit legem Rotharis que est « Si quis leprosus effectus » (Roth. 176), quia hic legitur: « potestatem habeat, dum vivit et recte loqui potest, pro anima sua iudicandi de rebus suis ». Sed non est rupta, quia sic intelligere debemus « potestatem habeat » id est, ut secundum legem faciat; quia si aliter intelligeretur, exheredare filium valeret aliaque facere que legibus interdicta sunt. — § 2. Hec lex dicens: « potestatem habeat dum vivit » concordat se cum lege Romana que dicit: « Sanum mente, licet egrum corpore » (Cod. II, 4, 27).

7. I. Si quis langobardus morgingab coniugi suae dare voluerit, quando eam sibi in coniugio sociaverit, ita dicernimus ut alia diae ante parentes et amicos suos ostendat per scriptum a testibus rovoratum et dicat: « quia ecce quod coniugi meae morgingab dedi », ut in futuro pro hac causa periurio non percurrat. Ipsum autem morgingap nolumus ut amplius sit, nisi quarta pars de eius substantia, qui ipsum morgingab fecit. Si quidem minus voluerit dare de rebus suis, quam ipsa quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi quantum voluerit; nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus possit.

Maria cum Dominico tuo tutore, Petrus te appellat, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartulam; ecce cartula. — Si carta dicit: « tibi Mariae coniugi meae », fiat vacua; si dixerit: « tibi Mariae amicae meae », aut probet qui appellat, quod pater suus habuisset ipsam feminam acceptam ad coniugium, quando fecit ipsam cartam, aut emendet poenam. Si carta manifestat, quod maritus fuisset Romanus, probet qui appellat, quod fuisset Longobardus. Si femina ostendit morgincap, ipse qui appellat dicat falsum aut taceat.

Haec responsio secundum a.

8. II. De testibus. Si qualiscumque causa inter conlibertûs aut parentis convenerit aut acta fuerit, et homines boni tres aut quattuor interfuerent, non reprovetur postea ipsa causa, nisi eorum testimonium ambe partis credant, qui fuerent inter; pro cuius autem causa testis illi testimonium reddederent, ipse homo causatori suo per sacramentum satisfaciat. Testis vero ipsi tales sint, quorum opinio in bonis precellat operibus, et quibus fides amittitur, vel quibus princeps

---

7. Lex Liuprandi quae est « Nulli liceat coniugi sue » (Liutpr. 102) affirmat istam legem, quia illic legitur similiter, ut supra quartam portionem nullatenus dari possit. Unde a Romana lege dissensit, quia secundum legem Romanam (Cf. Inst. II, 7, 3) is homo non solum donationem propter nuptias ante matrimonium mulieri dare potest, sed etiam matrimonio facto ei dare concessum est. Notandum est tamen, quod iuxta Astulfi legem, quae est « Si quis Longobardus decedens uxori sue » (Ast. 5), usumfructum de rebus suis coniugi vir dare potest.

8. « Convenerit » intelligendum est de contractu nondum finito; « aut acta fuerit » de contractu ex toto finito. Secundum Ugonem hec lex tamen loquitur tam de contractu, quam de maleficio: nam in hoc quod hec lex dicit « convenerit » affirmat, hanc legem de quolibet loqui contractu, et in hoc quod dicit « aut acta fuerit » affirmat, hanc legem de quolibet loqui maleficio. Sed secundum Wilihelmum hec lex tantum de contractu loquitur, quia, si loqueretur de maleficio, ut retro dictum est, iam nullum maleficium probari posset factum esse, nisi per homines qui illi maleficio affuissent, quod summa esset iniquitas. — § 2. In eo quod hec lex utramque partem eorum testimonio qui interfuerint iubet credere, a Lodoyci capitulo quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15) rumpitur, quia ibi legitur: « ut, si ille contra quem testes producti fuerint suspicabitur eos falsos esse, liceat ei alios testes, quos meliores potuit, contra eos opponere ». — § 3. Lex presens, ante

aut eius iudices credere possent. Et si forsitan rememorati testes veritatem ipsam celare voluerent, tunc per sacramentum satisfaciant principi aut a missom eius, ut ipsa veritas non obfuscetur. Si quidem per wadia oblicatio facta fuerit, et intentio pro hoc fuerit excitata, in eo iudicio maneat, sicut in anteriori edicto legitur, quod gloriosissimo rothari [*cap.* 360 . . . 362. 366] rex instituit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu conventasti sibi dare in Kalendas Maias solidos 100. — Non feci. — Probet qui appellat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Tu michi vendidisti aut refutasti ipsam terram. — Aut probet aut perdat.

9. III. De libertis. Si quis servum suum aut ancillam in manum regis dederit, et ipse princeps eos per manos sacerdotis circa sacrum altarem liberos dimiserit, sic permaneant liberi, sicut illi qui fulcfreal thingati sunt. Et qui mundium de ipsa libera a principe expetierit, sic eum habeat, sicut de fulcfreal muliere: nam amplius ei nulla conditione debeat, neque ipsa neque filia eius. Et hoc statuimus, ut masculi qui de ipsa libera nati fuerent, absque mundium sint, femine autem habeant mundium, sicut et mater earum, et ipse mundius non sit amplius quam solidos tres.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Hoc dico ego, quod imperator dimisit me liberum per manum sacerdotis circa sacrum altare, et tu dedisti me in manum imperatoris. — Aut probet aut fiat servus.

10. IIII. Item de libertis. Si quis servum suum aut ancillam liberum dimiserit, et posuerit ei mundium, aut unum solidum aut duo

datum testimonium iurare precipiens, ubi dicit: « si forsitam rememorati testes », a Caroli capitulo quod est « ut testes ad testimonium dicendum » (Karol. M. 50, 21) aliisque quibusdam rumpitur, in quibus testes non ante datum testimonium iurare, sed ante iusiurandum testimonium dare iubentur. — § 4. Rachis lex prima, conventum, scilicet stantiam in conspectu trium testium factam, stabilem esse precipiens, legi istae concordat. — § 5. Lex hec dicens: « in eo iudicio permaneant, sicut in anteriore edicto legitur » affirmavit legem Rotharis que est « Si aliqua contra creditorem intentio » (Roth. 367). — § 6. Quia in hac lege et quibusdam aliis legibus, sive sub wadimodio sive absque eo, coram testibus precipitur fieri, non de turpi causa vel contra bonos mores esse credendum est, dicentibus Institutionum capitulis; alterum quorum est « Omnes res que dominio » in quo legitur: « quod ex turpi causa promissum est, veluti si quis homicidium vel sacrilegium fucturum promittat, non valet » (Inst. III, 19, 24); aliud vero capitulum est « Mandatum contrahitur », in quo legitur: « illud quoque mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est » (Inst. III, 26, 7). — § 7. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod adimplere debes conventum, quo secum filiam tuam disponsare convenisti. — § 8. Omne conventum pure, id est sine termino factum adimpleri oportet, veluti in Institutionum lege precipitur, quod est « Verbis obligatio contrahitur » (Inst. III, 15, 2).

aut tres aut sex, tantum habeat mundium, quantum ei in cartola adfixerit. Et qui postea ex ipsa liberta nati fuerent, sibe masculi sibe femine, non habeant amplius mundium nisi quantum et mater earum.

11. V. De servo fugace. Si servus dum in fuga est furtum fecerit, et ipsa fuga foris provincia exierit, sic exinde procedat iudicium, sicut gloriose memorie rothari [*cap.* 256] rex instituit. Et si ipse servus intra provincia dilataverit, tunc dominus eius habeat spatium ad eum requirendum per minsis tres; et si eum invenerit aut non invenerit, et causa furti manefestata fuerit, quod isdem servus furtum ipsum fecissit, tunc dominus eius conponat furtum ipsum, sicut lex est. Et si forsitans manefestus non fuerit, et dominus eiusdem servi vetaverit, quod ipsum furtum non fecissit servus eius, tunc per pugnam aut per sacramentum se defendat, si potuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habebat certam suspectionem, quod Donatus tuus servus, dum erat in fuga, tulit sibi ad furtum tanta mobilia quae valebant solidos 100. — Ego volo emendare medietatem, quia fugit foras provintiam. — Probet qui appellat, quod prolonget se intra provintiam, et si non potuerit, ipse qui appellatus est iuret cum suis sacramentalibus, quod ipse fugit foras provintiam. Et si dixerit: « nescio si habet factum », vadat eum quaerere.

12. VI. De puella quae intra etatem est. Si quis puella ante duodecim annos spunsaverit aut tolerit, tunc ille qui eam tolit aut spun-

11. Lex ista in eo quod dicit: « sic exinde procedat iudicium sicut gloriosissimus Rotharis rex instituit », eiusdem Rotharis legem quae est « Si servus dum in fuga est » (Roth. 256) affirmavit. — § 2. In eo quod hec lex trium mensium spatium ad servum inquirendum concesserat et differentiam, ubi esset inquirendus, non posuerat, a quadam Liuprandi lege quae est « De servis fugacibus » (Liutpr. 87) partim rumpitur, quia illic legitur, ut dominus habeat spatium servum inquirendum per mensem unum, si fuerit ista parte Alpium. — § 3. Si minus de sex solidis fuisset, per hanc legem pugna inde erat: sed de hoc rupta est in parte et affirmata a capitulo Octonis quod est « De furto aut scacho » (Ott. I, 6). — § 4. Hec lex, dicens: « tunc dominus eius componat ipsum furtum sicut lex est », respexit ad legem Rotharis quae est « Si servus furtum fecerit » (Roth. 254). — § 5. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod ei Petrus servus tuus in fuga positus res mobiles solidos 6 et denarium unum valentes, velut ipse certe suspicatur, fugitive abstulit.

12. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Mariam, quae sub eius erat mundio, ante duodecim annos disponsasti aut in coniugium duxisti. — § 2. Lex ista, in eo quod patri aut fratri filiam vel sororem ad coniugium tradere licentiam tribuit, a Caroli capitulo quod est « Illud preterea » (Karol. M. 140) rupta est, in quo legitur: « ut ante annos pubertatis (et cetera) puerum et puellam nemo in coniugium copulet ». — § 3. Iudices antiqui dicebant, puerum iuxta hanc legem 900 solidos debere componere, si puellam intra 12 annos sponsaverit. Sed secundum Wilihelmum male dicebant, quia hec lex, dicens: « componat sicut edictum — subaudis Rotharis — de raptu continet », quod est « Si vir mulieri » (Roth. 186), intelligere nos ammonet, virum non puerum esse, de quo puelle sponso loquitur, cum edictum de raptu continens, ad quod hec lex respicit, de solo viro loquitur; et sicut inferior lex Liuprandi, que est « Adveniente vanissima » (Liutpr. 138) e continuo de adulta femina puero tantum coniuncta loquitur, ita in hac lege de adulto tantum viro puellam sponsatam esse, intelligitur esse sententiam. Ideoque dicitur, quod ab hac lege, puerum puellam intra 12 annos sponsare posse, non interdicitur neque solidos 900 inde componere pre-

savit, conponat sicut edictum de raptum [*cap.* 186. 187] contenit, hoc est solidi nongenti, medietatem regi et medietatem eidem infantole, et ipsa revertatur in casa et in pecuniam suam, et sit quieta usque ad suprascriptum tempus; postea autem elegat ipsa sibi, et nubat cui voluerit. Si autem mundoald eius consentiens fuerit, aut tradederit eam ante suprascriptos duodicem annos, conponat in sagro palatio solidos trecentos, et mundium eius amittat, et sit ipsa cum rebus suis in mundio palatii. Pater autem aut frater potestatem habeant, cui aut in quali etate voluerit, dandum aut spunsandum filiam aut sororem suam quoniam ista licentia ideo dedimus, eo quod credimus, quod pater filiam aut frater sororem suam doloso animo aut contra rationem cuiquam homini dare non debeant.

---

cipitur. Sed cum hec lex nec alia puerum sponsare posse non prohibebat, intelligendum est, quod eam sponsandi, non tamen, dum infra etatem est, in matrimonio sociandi potestatem habet. — Contra quem dixit Bonifilius: licet concederetur, puerum puellam intra 12 annos posse sponsare, non valeret, quia iuxta legem Rotharis que est « Si quis sponsaverit puellam liberam » (Roth. 178) post transactum sequens biennium sponso sponsa potest auferri et alii sponsari, si infra statim sequens biennium sponsus nuptias dilataverit exequi; exequi vero sponsus nuptias non potest, nisi utraque prius ~~ad etatem~~ coniugandi pervenit; ad etatem non prius pervenit, nisi sponsa 12 annos, sponsus 14 habuerint. — Wilihelmus: male dicis, quia, licet infra statim biennium nuptias non exequatur, nec eam sibi in matrimonio societ, tamen iuxta predictam legem Rotharis ali sponso non potest sponsa auferri, nisi illi sponso, qui neglegentiam infra statim sequens biennium sponsam in matrimonio sibi sociandi habeat. Sed sponsus, qui infra etatem, non potest habere neglegentiam sponsam in matrimonio sibi sociandi, quia ex hoc quod facere non potest, nemo dicitur neglegentiam committere. Facere autem non potest, quia iuxta Caroli capitulum quod est « Illud preterea » (Karol. M. 140), dum infra etatem est accipiendi coniugem, id est ante annos pubertatis, prohibetur coniugem accipere. — § 4. Litigari potest, puerum disponsare puellam inpuberem hac lege esse prohibitum, quia dici posset, quod hec lex ad edictum de raptu continens pro sola compositione respexisset. Tunc ideo litigari posset, quod supra (in exposit. ad Roth. 195) diximus, quia in hoc quod hec lex patri aut fratri potestatem sponsandi filiam aut sororem suam, cui aut in quali etate voluerit, attribuit, notari potest, quod aliis hanc potestatem abstulit; que litigatio non laudatur. — § 5. Non est putanda lex ista de servo, si inpuberem puellam disponsaverit, aliquid precepisse; quandoquidem edicti lex quam respexit, de rapta mundium facere precipiens, nichil de servo lecuta est. Idcirco eundum est per legem Rotharis que est « Si servus liberam mulierem aut puellam » (Roth. 221). Litigari tamen posset, quod lex ista de servo, si impuberem puellam disponsaverit, precipiat, quia dici posset, quod lex ista ad edicti legem de raptu continentem de sola compositione respiciat; que litigatio non laudatur. — § 6. Quamquam lex ista dicit: « medietatem regi et medietatem eidem infantule », non est tamen intelligendum, si puella, antequam compositio detur, ad pubertatem pervenerit, ut ideo 900 solidorum actionem perdat, quia, si propter pubertatis incrementum compositionem 900 solidorum perderet, similiter puer suasus, inmature etatis feminam sibi ad uxorem tollere, propter pubertatis incrementum medietatem compositionis 100 solidorum ammitteret, qui leguntur in lege istius Liuprandi, que est « Adveniente vanissima » in qua dicitur: « componat solidos 100, medietatem regi et medietatem ad ipsum puerum ». — § 7. Si femina ante pubertatem, id est ante 12 annos, a mundoaldo viro tradita non appellato mundoaldo mortua fuerit, dicebant iudices antiqui, ipsum mundoaldum in placito nichil postea iuxta hanc legem debere componere; quia, cum hec lex predictum mundoaldum in palatio 300 solidos iubet componere, poterat ipse mundoaldus mundium ipsius femine ammittere: sed postquam ipsa mulier mortua fuerit, mundium ipsius perdere non poterat; nichil igitur post eius mortem debet componere. Sed male dicebant, quia duarum compositionum dato legali precepto, si una nequit fieri, non prohibetur altera. Etenim hec lex non pro mulieris vita nec pro ammissione mundii, immo pro culpa quam commisit mundoaldum in sacro palatio 300 solidos iussit componere. — § 8. Notandum est quoque, quod hec lex dicens: « nubat cui voluerit » id est potuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu sponsasti Aldam suam mundoaldam ante 12 annos, aut tulisti ad coniugium. — De torto.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu consensisti Paulo Mariam tuam mundoaldam tollere ad coniugium ante 12 annos.

13. VII. De occisione hominis liberi. Si quis langobardus ab alio hominem, quod deus avertat, interemtus fuerit, et causa secundum legem (Roth. 388) ad conpositionem venerit, et ipse qui occisus fuerit, filium masculinum non reliquerit: quamquam filias instituissimus (Liutpr. 1) heredis, sicut masculûs, in omni substantia patris et matris, ipsam conpositionem volumus ut accipiant propinqui parentis eiusdem qui occisus fuerit, illi qui per capput succedere potuerunt; quia filiae eius, eo quod femineo sexu esse provantur, non possunt faidam ipsam levare. Ideo prospeximus, ut ipsam conpositionem non recipiant, nisi ut diximus suprafati propinqui parentis; et si propinqui parentis non fuerint, tunc medietatem de ipsa conpositione suscipiant filiae ipsius, si una aut plures fuerint, et medietatem curtis regia.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum fratrem. — De torto. — Si dixerit: « ipse fuit Romanus, non respondebo tibi », aut probet aut respondeat.

Petre, te appellat Maria cum Dominico suo mundoaldo, quod tu occidisti Paulum suum patrem. — Non respondebo tibi, quia habet parentes. — Aut probet, quod habeat parentes, aut respondeat.

Petre, te appellat Maria cum Dominico suo tutore, quod tu oc-

---

13. In eo, quod hec lex eos qui per caput succedere possunt compositionem habere precipit, Rotharis legem que est « Si fuerint filii legitimi » (Roth. 162) partim rumpit, in qua naturalis secundus compositionis tertiam partem habere precipitur. — § 2. Lex ista, quia feminas heredes defuncti compositione seiungit, a ceteris legibus differt, que defuncti heredi omnem compositionem, sive masculo sive femine, dari precipiunt. — § 3. Lex de qua loquimur, in eo quod feminas a compositione repellit, a sequenti lege que est « Si liber homo se defendendo » (Liutpr. 20) non intelligenda est rupta, in qua non differenter heredi compositio dari precipitur: quam si quis corruptam esse diceret, posset itidem « Si frater fratrem » (Liutpr. 17) ruptam esse asserere, in qua omnes res interemptoris relicto fratri, non defuncti heredibus dare iubentur. Sed « Si frater fratrem » ab alia non est rupta: igitur nec « Si quis Longobardus ab alio » et cetera. « Si frater fratrem » ab alia non est rupta: quia illa lex, scilicet « Si liber homo se defendendo », precipiens defuncti heredem tantum ante capere quantum antiqua fuit compositio, cum rege reliqua divisurum, intelligi dedit, non illud homicidium ibi esse intelligendum, pro quo interemptor omnem suam anterius erat amissurus substantiam, quia, si ipsa lex quae est « Si liber homo se defendendo » intelligeretur de tali egisse homicidio, pro quo interemptor omnem substantiam suam erat amissurus, ut anterius pro fratricidio iuxta legem quae est « Si frater fratrem » interemptor omnem substantiam suam erat amissurus, ipsa semedipsam reprehenderet: quia impossibile est, heredem interempti tantum ante capere quantum antiqua fuit compositio, scilicet totam interempti substantiam, et, si postea aliquid esset residuum, quod ipse heres interempti cum rege esset divisurus, ut ipsa lege que est « Si liber homo se defendendo » precipitur. Aliter quoque salvari potest: quia, licet ipsa lex quae est « Si liber homo se defendendo » indifferenter heredi interempti compositionem dari precipiat, tamen intelligendum est, illum heredem talem esse quem a compositione non depellat

cidisti Paulum patrem suum. — Ego occidi patrem tuum, set non faciam tibi compositionem, quia Longobardus fuit. — Aut probet, quod fuit Longobardus, aut faciat compositionem ad filiam.

14. VIII. De sororibus, qualiter una alteri succedere debeant. Si sorores in casa patris remanserint, aut ad maritum ambolaverint, succedant patri suo et matri suae in omni substantia eorum, sicut antea [*cap.* 1] statuimus. Et si contegerit una ex eisdem sororibus mori, tunc et quae in capillo remanserent, et quae ad maritnm ambolaverint, in omni portioni sororis suae defunctae, quamvis puella mortua fuerit, succedant. Parentis autem propinqui aut mundoald earum tantum mundium earum suscipiant; nam de rebus eius aliut nihil percipiant. Si autem contegerit illa mori, quae iam nupto tradita est, tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit.

Si autem qualiscumque causae amodo emerserent de his capitulis, quae nunc excellentia nostra statuit, a presenti diae kalendarum martiarum, hoc est quintadecima indictione et anno regni nostri in dei nomine quinto, volumus ut sic terminentur, sicut celsitudo nostra cum iudicibus et reliquis langobardis decrevit, ut supra leguntur. Quae vero antea de talibus capitulis provenerunt, et iam finitae aut statutae sunt, sic permaneant, sitcut prius cognuscuntur esse decisae.

Explicit de anno quinto.

---

14. Hec lex, « sicut antea statuimus » dicens, superiores leges (Liutpr. 1, 2) que sunt « Si quis Longobardus sine filiis » et « Si quis Longobardus filias » corroborat et corroboratur a Liuprandi lege que est inferius posita: « Recolimus quod antea statuimus » (Liutpr. 144), in qua scriptum est: « et si soror in capillo mortua fuerit, soror que remanserit similiter sorori sue succedat ». — § 2. In hac lege ideo scriptum est: « quamvis puella mortua », ne mundoaldus suprapositis legibus (Roth. 215, 188) Rotharis que sunt « Si quis puellam aut viduam » et « Si puella aut vidua sine voluntate ». . . . . succedere iussit, aliquid sibi succedere preter mundium, id est solidos 20, vendicare presumeret. — § 3. Neque hac neque alia edicti lege vir uxori, nisi pro mundio, erat succedere solitus: modo vero iuxta Henrici capitulum (Heinr. I, 1) uxori sive sub mundio sive preter mundium, nisi horum amborum filium reliquerit, est iussus succedere. — § 4. Si qua puella fuerit mortua et fratrem ex parte patris reliquerit et sorores in capillo, vel quae ad maritum ambulaverint, similiter ex parte patris reliquerit, nichil per hanc legem hereditatis ad sorores pertinebat, quia hec lex non de aliis sororibus nisi de patri succedentibus loquitur; sed tantum ad fratrem illius attinet hereditas iuxta leges Rotharis iubentes mundoaldum succedere. — § 5. Si quis móriens filium filiasque reliquerit, ei successurus est filius; cui absque descendente morienti iuxta Liuprandi legem, que est « Si quis Longobardus sorores reliquerit » (Liutpr. 3), sorores debent succedere; et si postea aliqua ex hisdem sororibus in capillo mortua fuerit, ad mundoaldum iuxta Rotharis leges, mundualdum iubentes succedere ei, permanet successio, non ad sorores: quia hec lex non de aliis sororibus nisi de patri succedentibus loquitur, sed he fratri non patri successerunt; sorores igitur successionem non habebunt. Si quis vero propter inferius positam Liuprandi legem que est « Recolimus enim, qualiter ante statuimus » (Liutpr. 144) in qua soror sorori in capillo mortue succedere precipitur, contendebat, sororem sorori, utrum patri vel fratri successisset necne, debere succedere, non intelligeret ipsam legem: quia legis illius sententia huius legis et alterius conmemoratio usque ad: « Modo vero quia intentio exorta » est. — § 6. Si quis paupertate cogente aut offensione aut testamento alii facto nichil filiabus reliquerit sine filiis moriens, et illarum aliqua aliquo modo aliquid adepta in capillo decesserit, non intelligendum est, ut sorores que remanserint ideo successionem perdant, quia ad successionem patris non venerunt; quoniam non propter aliud hoc fecerant, nisi quod absque substantia occiderat.

INCIPIT DE ANNO OCTABO (*p. Chr.* 720).

Ego in dei omnipotentis nomine excellentissimus liutprand rex filicissimae gentis langobardorum, anno deo propitio regni mei octabo, diae kalendarum martiarum, indictione tertia, una cum inlustribus veris obtimatibus meis neustriae austriae et tusciae partibus, vel universis nobilibus langobardis, dum singola, quae in anterioribus titulis huius edicti leguntur, studiosae hac subtiliter perscrutassemus, asistente omni populo, presentem, quam sequens sermo monstraverit, addere elucidare sibe statuere previdemus legem.

15. I. Quicumque homo sub regni nostri dicione cuicumque amodo wadia dederit et fideiussore posuerit presentia duorum vel trium

---

15. Lex ista duorum testimonium credendum esse precipiens a Lodoyci capitulo quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15) rumpitur, in quo, dum camphione manum perdente ceteri iubentur redimere, ultra fuisse duos datur intelligi. Sed secundum quosdam ita salvatur, scilicet quod predictum capitulum ducitur dixisse: « ceteri vero manus redimant » in eo casu tantum, quo testes sunt quamplures, non tamen prohibet duos tantum esse posse; vel ita salvatur, scilicet predictum capitulum dicitur pluralem numerum pro singulari posuisse. — § 2. Lex hec, wadiam in presentia duorum vel trium testium datam in omnibus compleri iubens, dat intelligi secundum antiquos iudices, quod wadia, que in presentia duorum vel trium testium non est data, non debet adimpleri. Sed si hoc verum esset, iam hec lex semedipsam reprehenderet, quia hec lex dicens: « Si vero inter creditorem et debitorem et fideiussorem orta fuerit intentio », ostendit, quod wadia, que in presentia duorum vel trium testium non est data, valeat et adimpleri debeat, cum Rotharis valere precipiat in lege que est « Si aliqua inter creditorem » (Roth. 366), quamquam pignorari non valeat iuxta hanc legem, quod potest videri in hoc quod dicit: « nam qui sine hac manifestatione — subaudis testium — pignorare presumpserit ». — § 3. In eo quod hec lex utramque partem eorum testimonio qui interfuerint credere precipit, rumpitur lex ista a predicto capitulo quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15), in quo ille contra quem testes ducuntur alios contra eos dare permittitur. — § 4. Lex hec, in eo quod sacramentum ubi testes defuerint a debitore precipit fieri, Rotharis legem « Si aliqua inter creditorem » affirmat; in eo vero quod, si testes interfuerint, « sacramentum inter dantes — wadiam subaudis — et accipientes — subaudis guadia — fieri prohibet », eandem legem Rotharis rumpit id est: « Si aliqua inter creditorem ». — § 5. Sententia Rachis in extremitate prologi scripta et sequens lex Rachis: « Si quis ammodo » (Rach. 1) non ideo excogitata esse putanda est, ut lex quae est « Si aliqua inter creditorem » firma et non tantum rupta a « Quicumque homo sub regni nostri dicione » daretur intelligi, sed ut propter periurii importunitatem et cupiditatis usum eam iterum rumperet. Vel ut alii dicunt predicta lex Rotharis ab hac, id est a « Quicumque homo sub regni nostri » non rumpitur, immo salvatur: quamquam hec lex sacramentum inter dantes — quod est wadiam — pervenire et accipientes prohibeat et testimonio testium credi iubeat, tamen intelligendum est, ut predictam Rotharis legem non rumpat, quia iuxta hanc tota wadia negabatur; itaque ab hac non tangitur, sed a prima Rachis lege non rumpitur. — § 6. Hec lex in fine dicens « componat ut supra legitur » respexit ad illud quod dixit: « nam qui sine hac manifestatione pignerare presumpserit, iubemus ut in duplum pignus restituat », unde a quadam Liuprandi lege que est « Si quis alium ante constitutum pigneraverit » (Liutpr. 40) secundum quosdam rumpitur, quia ibi legitur: « componat ipsum pignus in octogild », sed non rumpitur, quia hec lex ipsa de tali loquitur pignore, quod post constitutum terminum: quia post constitutum hac lege prohibetur pignerari ibi ubi dicit: « nam qui sine manifestatione ». — § 7. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu in re mobili centum valente pignerasti pro wadimonio, quod tibi inde sine testibus dedit.

testium, quorum fides amittitur, in omnibus conplere debeat. Et si distolerit et pigneratus fuerit in his rebus in quibus lecitum est pignerandi, nulla calomnia qui pigneraverit patiatur. Nam qui sine hac manefestationem pignerare presumpserit, iovemus ut dublum pignum restituat. Si vero inter creditorem et devitorem et fideiussorem orta fuerit intentio, qualiter in anteriore edicto [*cap.* 366] legitur et a gloriose memorie rotharene rege instituere, per sacramentum determinentur. Nam si in presentia duorum vel trium testium stipolatio ipsa facta fuerit, eorum testimonium, ut sacramentum inter dantes et accipientes menime proveniat, credatur. Et si debuerent ipsi testes suum testimonium firmare, nobis vel qui in tempore princeps fuerit vel iudici firmare deveant. Et si hominis inter non fuerent quando wadiatur, quicumque quasi fideiussorem pigneraverit, conponat sicut supra legitur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in tantum de suo mobili quod valebat solidos 100. — Si dixerit: « tu dedisti michi vadia de dare solidos 100 in Kalendis Maiis et non michi dedisti, propter hoc te pigneravi. — Non dedi tibi ipsa vadia » — aut probet qui pigneravit, aut reddat sibi nonum. Si dixerit qui appellat: « non debuisti me pignerare propter ipsa vadia, quia homines non fuerunt illic », tunc ipse qui pigneravit probet quod homines interfuerunt.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia, quod dares sibi solidos 50 in Kalendis Maiis. — De quadraginta dedi vadia, non de pluribus.

16. II. Si quis mutuaverit solidos cuicumque homini per cautione, si intra quinque annos creditor pulsaverit et devitor non habuerit unde solvere, renovetur cautio ipsa usque ad annos decem. Et si intra decem annos pulsatus fuerit et non reddiderit, et dilataverit usque ad 20 annos, et fuerit pulsatus aut per principem aut per iudicem civitatis, et provatum fuerit ipsa cautione, devitor et heredis eius persolvant. Nam si nec cautio fuerit intra decem annos bes renovata neque principem vel iudicem ostensa sibe manefestata usque ad 20 annos, iovemus ut creditor posmodum taceat, et nullam habeat facundia devitoribus suis requirendum; excepto si ei captivitas evenerit. De cautionibus autem, quae usque modo in presente indictione tertia facta sunt, intra quinque annos istos advenientes iovemus ut renobintur aut exegantur. Nam si distolerent intra quinque annos devitores suos pulsare, ut aut cautiones renovintur aut devita reddant, et si neglegentia fecerint, non habeant posmodum fagundia

ipsa devita requirendum. De his autem cautionibus quae amodo facte fuerint, sic finiant, sicut supra premisemus et statuimus.

17. III. Si frater fratrem in peccatis occiderit, quamquam hoc anterior edictus [*cap.* 163] conteuit, ut proximi parentes humicidae succedant, nos proximos fratris appellamus. Si frater relictus fuerit, in res humicidae frater succedat, ita ut secundum qualitatem personae de ipsa substantia humicide, si ille qui occisus est filiûs reliquerit, conpositionem dare deveat; relicum autem quod fuerit, sibi habeat. Et si pecunia ipsius humicidae in tantum fuerit sub extimatione, quantum ipsa conpositio est, aut forte minus, habeant eam filii ipsius qui occisus est. Quod si non reliquerit fratrem unum vel plures his qui occisus est, quantulacumque sid substantia humicidae, filii ipsius qui occisus est, in ea succedere deveant. Quod si non habuerit filiûs, proximûs succedant ei parentes per gradus; quod si nec parentes fuerent, qui ei legitime succedere possent, succedat ei curtis regia. De anima autem humicide illius sit in potestatem regis, sicut in anteriore edicto (Roth. 163) legitur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Albertum suum fratrem et tuum. — De torto.

Petre, te appellat Martinus, quod Ludovicus occidit Paulum suum patrem et suum fratrem et tuum, et tu habes substantiam suam: vult quod tu des sibi compositionem sui patris.

---

17. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Petrum communem fratrem nostrum insidiando occidisti. — § 2. Notandum est, quod hec lex de his tantum loquitur fratribus qui omnes communiter sint fratres, quod videri potest in hoc quod in principio dicitur: « Si frater fratrem suum » et postea dicitur: « nos fratres proximos appellamus, et si frater relictus fuerit, in res homicide fratris succedat ». Quod ideo enim est notandum, quia contingere posset, quod frater fratrem suum occideret, et interfetus fratrem [qui non esset interfectoris frater] relinqueret; veluti: si quis habens fratrem ex parte matris tantum a fratre ex parte patris tantum occisus esset, tamen iuxta hanc legem nichil ex eis fieri debet, quia non omnes communiter fratres erant; nam ipse qui tantum ex parte matris erat, qui fuit relictus, nichil fratri illi attinebat, qui ex parte patris tantum frater erat, qui fuit interemptor. — § 3. Notandum est quoque, quod « in peccatis » ita exponitur: id est in insidiis. — § 4. In hoc quod lex relictum fratrem fratricide fratri succedere iubet Rotharis legem quae est « Si quis in morte parentis sui » (Roth. 163) partim rumpit, in qua res fratricide vel parenticide propinquo parenti veluti filio deveniri precipitur. Que utreque leges inde ab Henrici capitulo quod est « Quicumque propter cupiditatem rerum » (Heinr. I, 2) rupte sunt, in quo, propter cupiditatem homicidio facto, res homicide parti publice devenire iubentur. Sed ita salvatur: scilicet, quod intelligendum est, predictum malum non esse factum in his duabus legibus propter cupiditatem — § 5. In hoc quod hec lex, si frater vixerit, fratricide bona ad eius fratrem, non ad fratris interfecti filium devenire precipit, intellectui commendat, fratre vivente fratris filium numquam ad eius successionem esse vocandum, quia, cum in eo casu, quo magis ad eius successionem fratre vivente debebat accedere, ab eius successione expellitur, multo magis intelligitur, quod ab eius successione fratre vivente in alio casu tollitur. Quod tamen non laudatur, scilicet quod nepos a successione patrui sui expellatur, nisi in eo casu tantum, quomodo hac lege expellitur. — § 6. Hec lex, fratricide fratrem aut interempti filium succedere iubens, intellectui commendat, filium aut eius

18. IIII. De negotiatoribus vel magistris. Si quis negotium peragendum vel pro qualicumque artificio intra provincia vel extra provincia ambolaverit, et in tres annos regressus non fuerit, et forsitan infirmitas ei emerserit, faciat scire per iudicem aut per missum suum. Nam si hoc distolerit mandare, si filiůs reliquerit, habeant res ipsius in suo iure; et cuicumque filius post transacto constitudo cautionis, vinditionis aut qualicumque oblegationes de rebus patris sui fecerit, stabilem permaneat, et devita patris vel sua persolvat. Et si ipse postea regressus fuerit, iobemus, ut nec a filiis suis recipiatur, nec res suas in potestatem habeat. Quod si filius ipsius sine noditia vel iussione regis eum recollegere presumpserit, omnes res ipsorum et patris substantia ad curtem regia devolvantur. Et si filiůs non habuerit, et habuerit fratres, ipsi res eius habeant. Et si nec fratris habueret, habeant proximi parentes, et si nec parentes proximi non fuerent, qui ei legibus succedere possent, post predictos tres annos curtis regia ei succedat. Quod si habuerit oxorem, et intra suprascripto constituto, hoc est tres annos, menime regressus fuerit, veniat ipsam ad palatium regis, qui in tempore fuerit, et qualiter ei ipse maritandi licentia dederit, aut de causa ipsius ordinaverit vel tractaverit, ita facere deveat. Nam sine permissum regis non presumat maritum ducere. Et si ipsi post tres annos inventi fuerent, potestatem habeat rex de eis iudicare, qualiter voluerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine ter-

---

filium aut descendentem aliquem ad eius successionem non debere accedere, quia dum per gradum descendentes primum ad successionem vocantur, ubicumque leges fratrem aut aliquem alium ad successionem vocant, patenter a successione descendentes depellunt. — § 7. Fratricide sed non interfecti, [vel interfecti] sed non fratricide frater ad fratricide successionem non accedet, quia iuxta hanc legem quicumque fratricide iubentur succedere utrorumque, fratricide scilicet et interempti, communes parentes esse notandi sunt. — § 8. Si fratricida duos aut plures fratres habuerit et aliquem illorum, antequam de fratricidio appellatio facta sit, obire contigerit, eius pars ex fratricide rebus non videtur ceteris fratribus contingere, et, si omnes ante factam appellationem obierunt, res homicide eorum heredus non deveniant: quia non solum de hoc, verum et de ceteris homicidiis et in iniuriis omnibus, si ante appellationem hi qui appellati sunt obierint, eorum heredibus compositio que in lege precipitur non deveniet. — § 9. Si frater fratrem de fratricidio aut aliquis alium de homicidio seu aliquo crimine appellaverit et convincere eum nequiverit, ea pena mulctandus est, quam appellatus, si convinceretur, esset passurus, velut in Codicis noni libri capitulo (Cod. IX, 46, 10), scriptum est quod est: « Si quis crimen intenderit, non inpunitam noverit fore licentiam mentiendi, cum calumpniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii ». — § 10. Hec lex dicens « de anima autem illius homicide sit in potestate regis sicut in anteriore dicto legitur » affirmat legem Rotharis que est « Si quis in morte parentis sui »: unde ab Henrici capitulo rumpitur quod est « Quicumque propter cupiditatem rerum », in quo ipse homicida publice penitentie subdi iubetur. Sed ita salvatur: quia intelligendum est, quod hic homicida, de quo hec lex loquitur, non erat homicida propter rerum cupiditatem immo propter insidias, ille vero propter cupiditatem.

18. Hec lex, de hoc quod dicit, ut uxor ad placitum veniat, et qualiter rex ei licentiam maritandi dederit, ita faciat, rupta est a capitulo Lotharii quod est « Nulli liceat excepta causa fornicationis » (Loth. 95).

ram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam, et ecce cartam quam michi filius tuus fecit. — Contra legem est, quia nihil potuit alienare me vivente. — Tu ambulasti foras provintiam propter negotium et per 3 annos distulisti mandare. — Si dixerit: « non ambulavi », probet ipse qui habet cartulam. Si dixerit: « non distuli me ad mandatum », probet qui habet cartam; et si non potuerit, iuret ipse, quod non distulit ad mandandum.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod pater tuus ambulavit intra provintiam propter negocium, et per 3 annos se distulit tibi mandare, et postea eum recepisti sine iussione regis.

Explicit de anno octabo.

INCIPIT DE ANNO NONO (*p. Chr.* 721).

Ego in dei omnipotentis nomine liutprand excellentissimus rex deo dilectae et catholicae gentis langobardorum reminiscor, quoniam iam in superiore edicti corpore adicere curavimus, licit in parvo, tamen in voluminibus tribus, id est in primo in quinto in octabo regni nostri anno, indictione undecima quintadecima et tertia, ea quae recta et secundum deum tranquilla nobis conparuerunt. Nunc autem anno regni nostri deo protegente nono, diae kalendarum martiarum, indictione quarta, pertractantes omnia et recurrentes antiquioris edicti capitula una cum iudicibus et reliquis langobardis fidelibus nostris, iterantes in quarto volumine supplere et augere previdimus, quae nobis iuxta deo recta conparuerunt.

19. I. De aetate, in quantis annis debeat esse legitima aetas. Hoc prospeximus, ut intra decem et octo annos non sit legitimus homo res suas alienandum; excepto si pater eius debitum dimiserit, habeat potestatem, una cum notitia principis terrae istius tantum de rebus suis dandum, quantum ipsum debitum fuerit, ut ei maior damnietas propter onorem solidorum non adcrescat. Et ipse princeps, qui pro tempore fuerit, propter deum et animae suae mercedem dirigat personam deum timentem de sui presentia, qui hoc ipsum sapienter consideret, ut ad ipsum infantulum aliqua damnietas contra rationem aut per negligentia minime proveniat. Et in nonodecimo anno sit homini langobardo legitima etas, et quodcumque fecerit vel iudica-

verit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere. Et hoc statuimus adque definimus, ut si cuicumque ante ipsos decem et octo annos evenerit egritudo, et se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus suis pro animam suam in sanctis locis, causa pietatis, vel in senedochio iudicare, quod voluerit; et quod iudicaverit pro animam suam, stabilem deveat permanere.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ecce carta quam tu michi fecisti, quando tu eras infra aetatem. — Si carta manifestat debitum patris et omnia sicut lex ista dicit, aut dicat falsam aut det penam de carta. Si carta non manifestat debitum, set manifestat, quod habet legittimam aetatem, aut appellator dicat falsam aut det poenam de carta. Si carta dicit sicut alia carta quam fecit homo qui habeat legittimam aetatem, et iudices possunt previdere quia infra aetatem erat, fiat taliata; si non potuerit previdere, aut appellator probet, quod infra aetatem erat, aut det penam de carta.

Petre, te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Apollinaris unde tu es advocatus tenet sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra propria est de monasterio sancti Apollinaris. — Quid sibi pertinet? — Ecce carta quam pater tuus qui erat infra aetatem fecit ad monasterium, dum vidit se ambulare ad periculum mortis. — Probet qui appellat quod pater suus convaluit de ipsa infirmitate, et fiat carta taliata.

20. II. De homicidium. Si quis liber homo se defendendum liberum

---

20. Martine, hac te appellat Iohannes, quod tu patrem suum superveniens occidisti. — § 2. Quod in hac lege scriptum est: « componatur sicut in anteriore edicto legitur, quod gloriosus Rotharis rex instituit » et quod dictum est: « heredes illius qui occisus fuerit inantea tantum accipiant quantum antiqua compositio fuit », aperte declarant, nullum a Rothare componi vetitum precepisse componere, quia nullum componi precipit lex ista nisi qui antea iussus erat componi. — § 3. Quamquam de occulto homicidio liberi nongentorum solidorum sit compositio (Roth. 14), hic tamen, quia defuncti « heredes tantum inantea quantum antiqua compositio erat » iubentur accipere, simpliciter ad vidrigild solummodo referendum. — § 4. Lex ista, in eo quod homicidam res suas perdere precipit, a Caroli capitulo quod est « De armis infra patriam non portandis » (Karol. M. 20) et a Pipini capitulo quod est « De advenis et peregrinis » (Pipin. 10) et a Lodoyci capitulis que sunt « Qui hominem publicam penitentiam » « Quicumque hominem ex levi causa » « Si quis aliqua necessitate » (Lud. P. 10, 12, 18) et aliis quam pluribus rumpitur: que omnia capitula Lotharii capitulum quod est « De homicidio unde lex pro simplicitate » (Loth. 92) rumpit istamque legem affirmat. — § 5. Si quis infra etatem homicidium aut aliud aliquid facinus, malum esse intelligens, fecerit, lege, qua ipsi qui sunt in etate id ipsum facinus operati urgentur, astrictus tenetur. Quod iudices antiqui fieri nolebant: quia, si ipsi qui infra etatem sunt ad modum illorum qui sunt in etate hac lege tenentur, iam hec lex scilicet « Si liber homo se defendendo » superiorem (Liutpr. 19) rumperet in hoc, quod ipsa ante 18 annos hominem res suas alienare posse prohibet, quia, si ipse ad modum illius qui est in etate hac lege res suas perderet, satis eas alienaret. Sed male dicebant; quia superior lex de spontanea alienatione loquitur, hec de non spontanea. Quod igitur superius propositum iuxta Codicis secundi libri capitulum asseritur quod est (Cod. II 35, 1) « In criminibus qui-

hominem occiderit, et si provatum fuerit, quod se defendendum ipsum hominem occisessit, sic eum conponat, sicut in anteriore edicto contenit, quod gloriose memorie rothari rex facere visus est. Nam qui super alium ambolaverit, et sic eum pro quacumque causa occiserit, omnem substantiam suam amittat, et habeant heredis ipsius qui occisus fuerit in hoc ordine. Ita sane, ut si minus fuerit ipsa substantia humicidae, quam anterior conpositio erat, aut nisi tantum, tunc et res suas perdat ipse humicida et persona eius tradatur ad propinquos defuncti. Nam si amplius habuerit ipse humicida substantia, quam ipsa conpositio anterior erat, amittat omnes res suas et accipiant heredis ipsius qui occisus fuerit, in antea tantum quantum conpositio antiqua fuit; et quod superfuerit, medietatem habeat curtis regia, et medietatem heredis defuncti; et ipse humicida animam suam liberit:

---

dem etatis suffragio minores non iuvantur; etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. Sed cum delictum non ex animo sed extra venit, noxia non committitur, etiamsi poene causa pecuniae damnum irrogetur, et ideo minoribus in hac causa in integrum restitutionis auxilium competit ». — § 6. In eo quod lex ista hominem defendendo occisum componi precipit dissidet a Codicis noni libri capitulo quod est (Cod. IX, 16, 3) « Is qui percussorem ad se venientem telo repulerit non habetur homicida, quia defensor proprie salutis in nullo peccasse videtur ». — § 7. Iuxta hanc legem defuncti heredes tantam compositionis quantam hereditatis partem percipient. — § 8. Si quis defuncti heres de homicide rebus appellatus fuerit, usu in 30 annorum possessione homicide possessionem et eorum a quibus sibi devenerunt possessiones sue potest coniungere. — § 9. Quamvis « occidere » veneno non proprie dicitur, dicente Codicis capitulo (Cod. IX, 18, 1): « plus est veneno hominem extinguere quam occidere gladio », tamen, si quis alium de veneno peremerit, hac lege res suas omnes debet amittere, quia ita dicitur « super eum », quem veneno occiderit, « ambulavisse », quemadmodum ille qui sagitta a longe emissa alium dicitur interfecisse. — § 10. In eo quod hec lex precipit: qui super alium ambulando occidisse inculpatus fuerit et iam se defendendo occidisse dixerit, hoc probare debere, evidenter declarat, exceptiones oportere probari. — § 11. In eo quod in hac lege scriptum est: « et persona eius tradatur ad propinquos defuncti », arbitrantur quidam, ut homicida ad mortem tradendus sit. Sed non est intelligendum, aliquem morti legaliter esse tradendum, nisi eum de quo lex specialiter precipit. Hoc etiam quod dictum est: « et homicida ipse animam suam liberet », ita intelligendum putant, ut morti non tradatur. Sed ita intelligendum est « liberet animam suam »: scilicet « liberam faciat vitam suam a servitute ». — § 12. In eo quod hec lex homicidam super widrigild nichil habentem tradi precipit, quam traditionem indeterminatam esse credendum est, opinantur quidam, hanc legem esse ruptam et affirmatam a sequenti lege que est « Si homo liber qui est pauper aut naufragus » (Liutpr. 151), quia scriptum est, si compositio 20 solidorum aut plurium, ut reus carens compositione tradatur sine termino, si vero minus 20 solidorum fuerit compositio, ad terminum tradatur. Sed non est putandum, ruptam esse neque affirmatam ab ea: quia sequens lex de nulla compositione nisi determinata legaliter loquitur; in hac vero, quandoquidem homicida omnes res suas iubetur amittere, compositio non est determinata. — § 13. Si quis, liberum superveniendo occidisse appellatus, non homicidium sed superventum negaverit, quomodo? confiteri cogendus est, quia, nisi confiteri cogeretur, nec probatio que in hac lege scripta est, nec sacramentum, quod in Lotharii capitulo « De homicidio » (Loth. 92) legitur, contingeret. — § 14. Eo quod hec lex homicidam minus habentem quam antiqua sit compositio aut nisi tantum ad propinquos defuncti tradi iubet in servitium, utile est nobis hic quidem notare consilium: mater scilicet vel pater, si filium nichil habentem qui homicidium commiserit a propinquorum defuncti servitio liberare voluerit, ante appellationem tradat filio tantum quantum antiqua compositio et insuper saltim quod plus valeat obolo. — § 15. In eo quod hec lex homicidam omnes res suas iubet perdere, litigari posset, quod homicida beneficium suum et que pro libellario nomine tenet iuxta hanc legem debeat perdere. Sed iuxta Lotharii capitulum quod est « De homicidio » plane videri potest, quod nonnisi proprium debet ammittere.

Petre, te appellat Martinus, quod tu ambulasti super Donatum patrem suum et occidisti illum. — De torto. — Si dixerit, quod occidisset se deffendendo, probet aut cum suis sacramentalibus iuret, quod se defendendo occidit.

21. III. Si servus cum volontate domini sui hominem liberum occiserit, et sic probatum fuerit, tunc ipse dominus eius omnes res suas amittat in eo ordine sicut supra adnexum est. Et si dominus eius negaverit, quod per ipsius consilium factum non fuissit, purificet se ad legem dei et conponat ipsum mortuum, sicut antea fuit consuitudo; et insuper ipsum servum tradat in manus de parentibus defuncti.

Petre, te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus occisit Paulum suum patrem per tuam voluntatem et consilium.

22. IV. Si mulier res suas consentiente viro suo, aut communiter

---

21. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Petrus servus tuus tuo iussu interfecit Dominicum patrem eius. — § 2. Lex ista, in eo quod dicit: « et insuper ipsum servum tradat in manus de parentibus defuncti », Rotharis legem que est « Si servus vel ancilla » (Roth. 142) partim rumpit, in qua servus infra compositionem tradi precipitur. Ab hac etiam Rotharis lex que est « Si quis homicidium in absconso » (Roth. 14) partim rumpitur, in hoc quod ibi legitur, ut, si servus hominem liberum in absconso occiderit, 900 solidos dominus pro eo componat. Ab hac quoque rumpitur Grimoaldi lex que est « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3): sed qualiter rumpatur, retro dictum est. — § 3. Quod in hac lege scriptum est: « dominus eius ammittat res suas in eo ordine sicut supra annexum est », aperte declarat, legem istam non de alio homicidio nisi de eo quod servus s u p e r v e n i e n s in l i b e r u m fecerit esse locutam. — § 4. Si servus duorum vel plurium dominorum iussu superveniens liberum hominem occiderit, quamquam lex ista, dicens: « cum voluntate domini sui », singulariter sit locuta, singuli tamen domini res suas amittere debent; quia pluribus in locis plurale pro singulari et singulare pro plurali scriptum inveniatur. Si vero absque dominorum iussu superveniens liberum hominem occiderit, singuli dominorum iuxta portionem servi widrigild componant servum tradentes; si vero non iubentibus ceteris unius iussu servus superveniens liberum hominem occiderit, ille qui iussit res suas omnes amittat praeter iussoris partem widrigild dantibus ceteris. — § 5. Quod in hac lege habetur: « componat ipsum mortuum sicut antea fuit consuetudo », ad widrigild referendum est simpliciter. — § 6. Notandum est, quod « voluntas » in hac pro consilio ponitur, id est iussu: quod videri potest in hoc quod inferius dicit: « et si dominus eius negaverit quod per ipsius consilium factum non fuisset ». — § 7. Si quis habens inimicum servo suo dixerit: « ille taliter michi est inimicus; vide, ne eum assalias, sed, si te assalierit et te defendendo eum occidere poteris, ne evadat », et si ita contigerit, dicebant antiqui, dominum servi iuxta hanc legem omnes res suas debere ammittere, ideo scilicet, quia servus consilio domini homicidium perpetraverat. Sed errabant, quia hec lex non in alio casu dominum suam substantiam perdere precipit, nisi quando servus super alium ambulando homicidium fecit, ut superius determinavimus. Et nulla res esset, quod dominus, homicidio a servo se defendendo facto, substantiam suam ammitteret, cum etiam, si ipse dominus predictum homicidium fecisset, nichil preter widrigild componeret.

22. Rotharis lex que est: « Nulli mulieri libere » (Roth. 204) a lege ista rumpitur, quia, licet sub mariti mundio non sit, mulier tamen iuxta hanc legem vendere, iuxta Pipini capitulum donare, quod est « Placuit nobis ut sicut quecumque femina » (Pipin. 34), iuxta vero Widonis capitulum commutare, liberare, quod est « Concedimus etiam, ut sicut mulieres » (Wid. 8), interrogata tantum a propinquioribus parentibus seu comite, potest. — § 2. Et quod in hac lege scriptum est « res suas », intelligendum est de illis rebus solummodo, quas mulier ex parte sua habeat; quod autem in hac lege « communiter » scriptum est, propter res communes: sed ideo dictum est, ut vir de rebus mulieris cum ipsa muliere cartam faciat, se in predicta carta obligando; quod melius est. — § 3. Quod lex ista propinquiores parentes ad interrogandum mulieres accedere precipit, de

venundare voluerit, ipse qui emere vult, vel illi qui vindunt, faciant noditiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt. Et si in presentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentias aliquas se dixerit pati, non sit stabilem quod vindederit. Nam si in presentia parentuum suorum, vel iudici qui in loco fuerit, violentias se pati non reclamaverit, nisi volontate sua ipsas res se dixerit venundare, tunc ab illo diae omni tempore quod vindederit stabile deveat permanere, ita tamen ut ipsi parentes, qui inter fuerent, aut iudex in cartola ipsa manum ponant. Et si contegerit casus, ut ille maritus moriatur, et ad alium ambolaverit, stabiles permaneat ipsa vinditio. Scriva autem, qui cartola ipsa scripserit, non aliter presumat scrivere, nisi cum notitia parentum vel iudicis, sicut supra dictum est; et si aliter fecerit, sit ipsa vinditio vacua, et prefatus scriva sit culpavelis, sicut qui cartola falsa scrivit.

Petre, te appellat Martinus cum Donato suo mundoaldo, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam quam tu michi fecisti, et ecce carta. — Si carta manifestat, quod fuisset Longobarda, neque manifestat maritum consensisset neque mundoaldum, fiat taliata. Si carta manifestat maritum, neque manifestat parentes propinquiores aut comitem, fiat vacua. Si carta manifestat propinquiores parentes, et femina vult dicere, quod propinquiores habuisset, aut probet, aut emendet poenam de carta. — Si carta dicit, quod ipsa fuisset Romana, aut probet quod fuisset Longobarda, aut emendet penam de carta ipsa venditionis.

23. V. Si quis servum aut ancillam suam in ecclesia circa altare amodo liberum vel liberam demiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi qui fulfreal in quarta manus traditus et hamund factus est. Nam qui haldionem facere voluerit, non eum ducat in ecclesia, nisi alio modo faciat qualiter voluerit, sibi per cartola, sibi qualiter ei placuerit.

---

illis est intelligendum, qui ad cognoscendam mulieris violentiam apti sunt. — § 4. Si qua mulier de viro filios habuerit et eius consensu aliquid venundat, quandoquidem a patris voluntate non secederent, ad matrem interrogandam non sint ammittendi antiquis dicentibus cartulis: « una cum notitia de filiis meis quos ego de anteriore viro habere visa sum ». — § 5. Si vero cum marito res communes, non interrogata a parentibus, vendiderit, partis sue venditio evacuetur, mariti stabili permanente, ipsaque mulier pro ruptura cartule obligationis nichil est cogenda persolvere, quod patet in Codicis primi libri capitulo quod est « Non est dubium » (Cod. I, 14), in quo legitur: « nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos volumus videri subsecutum qui contrahunt, lege contrahere prohibente ». — § 6. Quod lex ista in tantum sicut false cartule scribam culpabilem esse precipit, Rotharis legem que est « Si quis cartam falsam scripserit » (Roth. 243) affirmavit; unde a sequenti Liuprandi lege que est « De scribis hoc prospeximus » (Liutpr. 90) rumpitur, in qua notarius, si contra legem scripserit, widrigild iubetur componere.

24. VI. Si mulier libera servum tolerit, et parentes eius intra anni spatium in ea vindicta dare neglexerit, sicut in anteriore edicto [*Roth.* 221] contenit, tunc quandocumque post ipsum anni spatium inventa fuerit, sit ancilla palatii; et ipse servus ad puplicum replecetur, et filii qui ex eis nati fuerent, curtis regiae omnino deserviant. Nam si parentis ipsius mulieris, vel dominus servi conpleverent intra suprascriptum anni spatium, quod anterior edictus contenit, sic permaneat.

Maria cum Petro tuo tutore, appellat te Martinus, quod tu es sua ancilla, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Tu quid dicis? — Libera sum nascendo, et tibi quid pertinet ad requirendum? — Tu coniunxisti Marcoardo meo servo. — Tamen non debeo propter hoc esse ancilla, quia non feci me sciente, et mei parentes non habuerunt neglegentiam in me dare vindictam, aut non transivit adhuc anni spacium. — Si dixerit appellator: « fecit », approbet. Si autem non potuerit probare, rea idoneet se cum suis sacramentalibus.

25. VII. Si quis causam habuerit, et sculdahis suo causam suam dixerit, et ipse sculdahis ei iustitiam intra quattuor dies facere neclexerit, si ambo causatores de sub ipso sculdahis sunt, tunc conponat ei, qui causam suam reclamavit, ipse sculdahis solidos numero sex, et iudici suo similiter solidos sex. Et si forsitan ille, super quem reclamavit, infirmus est, aut pro utilitatem suam in alia civitatem esse nuscitur, expectit eum dum revertitur, aut de infirmitate sua conva-

---

24. Sicut lex ista servum vel feminam parti publicae transacto anno attribuit, sic domini potestati eos tradit capitulum Lotharii quod est « Si cuiuscumque servus » (Loth. 75). — § 2. Lex Rotharis que est « Si servus liberam mulierem » (Roth. 221) ab hac lege partim rumpitur; sed qualiter rumpatur et salvetur, retro determinatum est. — § 3. Si servus et femina intra annum in parentum potestate in placito coniuncti ad dandam vindictam traditi fuerint, ipsique parentes infra coniunctionis annum vindictam dare neglexerint, iuxta hanc legem transacto anno parti publice sunt deventuri, quia in Lotharii capitulo non alie persone nisi ad vindictam non tradite domini potestati leguntur venture. Si quis vero dixerit, personas ad vindictam non esse traditas, si vindicta defuit, et ideo non parti publice nisi domini potestati eas esse venturas, procul erit a veritatis sententia, quia in Lotharii capitulo quod est « Si adulter cum adultera » (Loth. 89) adulteros ad vindictam traditos esse legimus, quamquam vindicta in Longobardorum lege scripta, scilicet mortis sententia, in eos non exercetur. Sed secundum Ugonem illud non valet exemplum, quia, licet adulter et adultera mortis sententiam non incurrissent, tamen vindicta in eis est tradita, cum venditi fuissent pro servis; et ita non parti publice, sed secundum eum iuxta capitulare servi domini potestati utraque deveniat.

25. Martine sculdasci, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei de Andrea, lamentato quod ei plagam intra capsum fecisset, per quattuor dies iustitiam facere neglexisti, aut tu ei iustitiam facere nequiens per 6 dies comiti eum dirigere neglexisti. — § 2. In eo, quod lex comitem 20 solidos esse culpabilem precipit, Rotharis legem quae est « Si quis molendinum alterius » (Roth. 150) affirmat tantumque ei addit, quod comes proclamanti 12 solidos componere iubet. — § 3. Lex Rotharis quae est (Roth. 251) « Si liber homo qui debitor est », sculdaem iustitiam facere dilatantem solidos 12

liscit. Et dum regressus fuerit aut de infirmitate convaluerit, si intra statutûs quattuor dies menime eum ad iustitiam faciendum distrinxerit, conponat ipse sculdahis, sicut iam dictum est, cuius causa est, solidos numero sex et iudici suo similiter solidos sex. Si vero talis causa fuerit, quod ipse sculdahis deliberare menime possit, diregat ambas partes ad iudicem suum. Et si iudex eius causam ipsam dilataverit, et intra sex dies inter eos per legem non iudicaverit, conponat illi qui reclamavit, solidos numero duodicem. Et si nec iudex ipse deliberare non potuerit, diregat intra duodicem dies ambas partes in presentia regis; nam si aliter fecerit ipse iudex, et intra duodicem dies, ut dictum est, iustitiam non invenerit qui proclamavit, tunc conponat ipse iudex solidos numero duodicem, et regi sit culpavelis solidos 20.

Petre sculdais, te appellat Martinus, quod ipse dixit tibi unam suam causam, quam habebat cum Donato, et tu misisti neglegentiam de facere sibi iusticiam intra quattuor dies.

Petre comes, te appellat Martinus, quod ipse dixit unam suam causam intentionem ad Marcoardum tuum sculdascium, et non potuit diffinire et tramisit eum ad te, et tu non fecisti sibi iusticiam infra 6 dies.

26. VIII. Si homenis de sub uno iudice, de duobus tamen sculdahis causam habuerint, ille qui pulsat vadat cum misso aut epistola de suo sculdahis ad illum alium, de sub quem ipse est, cum quo causa habit. Et si intra quattuor dies menime iustitiam fecerit, conponat ipse sculdahis, qui distringere neglexit, ei qui reclamavit solidos sex,

---

soli regi componere iubens, ab hac lege rumpitur, in qua sculdais iustitiam infra quattuor dies facere negligens non soli regi solidos 12, immo medietatem iustitiam reclamanti aliamque medietatem regi iubetur componere. — § 4. Lex ista et due subscripte leges a Pipini roborantur capitulo quod est « De universali quidem populo » (Pipin. 7), in quo comes sculdascius gastaldius locopositus iustitiam facere negligens « sicut lex ipsorum est » iubetur componere: per quod notari potest, « sculdascium » etiam pro gastaldione et locoposito [istam legem posuisse; nam si ista lex sculdascium non pro gastaldione et locoposito] posuisset, predictum Pipini capitulum non diceret hanc « legem ipsorum » esse. — § 5. Haec et sequens lex quae est « Si homines de sub uno » (Liutpr. 26) a Rachis lege que est « Cognovimus enim » (Rach. 6) partim rumpitur, in qua comes, si gasindio aut parenti seu premio intenderit, widrigild componere et honore carere precipitur: sed non rumpitur, quia non est intelligendum, comitem in hac lege gasindio aut parenti seu premio intendere. — § 6. Si quis alium in loco ubi respondere non debet appellaverit, causa casurus est, et quicumque non ubi debet sed ubi non debet respondere voluerit pro confesso in iure habeatur, quod evidenter patet in Codicis tertii libri capitulo (Cod. III, 13, 5): « In criminali negotio rei forum accusator sequatur. Is vero qui causam suam sive criminalem sive civilem sine celesti oraculo in vetito vocavit examine aut executionem poposcerat militarem, actor quidem prepositi negocii actione mulctetur, reus pro condemnato habeatur; et tribuni sive vicarii capitalem sibi animadversionem subeundam esse cognoscant, si vel suam vel militum executionem interdictam prebuerint ».

26. Martine sculdasci, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei cum legato et epistola sculdasii ad te venienti, ut de Petro tue sculdasie sibi iustitiam faceres, per quattuor dies facere neglexisti.

et iudici suo solidos numero sex. Et si talis causa fuerit, quam deliberare non possit, dirigat eos intra sex dies ad iudicem suum secundum anteriorem capitulo. Nam si qualiter in superiore capitulo constitutum est, sibe sculdahis sibe iudex non in omnibus conpleverent, conponat qualiter supra adfixum est, illi qui causam suam reclamavit, solidos sex, et iudici suo solidos numero sex, et iudex conponat illi, cuius causa est, solidos numero duodecim, et regi solidos numero 20.

Sculdasci Petre, te appellat Martinus, quod ipse venit cum misso aut epistola de suo sculdascio ad te, quod tu faceres sibi iusticiam de Donato qui est in tua sculdascia, et tu non fecisti sibi iusticiam infra quattuor dies.

27. VIIII. Si quis in aliam civitatem causam habuerit, vadat cum epistola de iudice suo ad iudicem qui in loco est. Et si ipse iudex ei iustitia intra octo dies menime facere distrinxerit, aut non conpleverit, conponat illi qui causam suam reclamavit, solidos 20 et regi aliûs 20. Et si talis causa fuerit, quam deliberare menime possit, ponat constituto, et distringat hominem illum de sub sua iudiciaria, intra duodecim dies in presentiam regis venire. Nam si aliter fecerit et distringere neglexerit, conponat sicut supra dictum est solidos 40, medietatem regi et medietatem ei qui causam suam reclamavit.

Petre comes, te appellat Martinus, quod ipse venit cum misso aut epistola de suo comite ad te, quod faceres sibi iusticiam de Donato qui habitat infra tuum comitatum, et tu non fecisti sibi iusticiam infra 8 dies.

28. X. Si quis causam habuerit, et sculdahis aut iudex ei secundum edicti tinore et per legem iudicaverit, et ipse stare in eodem iudicio menime voluerit, conponat illi, qui iudicavit, solidos 20. Nam de ea causa, quae per arbitrium iudicata fuerit, et ipse sibi non credederit legem iudicassit, et ad regem reclamaverit, non sit culpavelis. Et si iudex contra legem iudicaverit, conponat solidos quadraginta, medietatem regi et medietatem cuius causam fuerit. Et si forsitans iudex causam per arbitrium iudicaverit, et iudicium eius rectum non conparuerit, non sit culpavelis, nisi preveat sacramentum regi, quod non iniquo animo aut corruptus a premio causam ipsam non iudicassit, nisi sic ei legem conparuissit; et sit absolutûs. Nam si iurare non presumpserit, conponat ut supra dictum est.

Et hoc statuimus adque difinimus, ut si de supra scriptis capitulis

27. Non est intelligendum, hanc legem a Rachis (Rach. 6) ista lege esse ruptam, in qua comes non de alieno sed de suo arimanno neglegentie arguitur.

quae modo adfixemus, qualicumque causae se antea emerserunt aut factae sunt, in eo ordine finiantur et maneant, sicut anterior fuit consuetudo, vel qualiter in antiquo edicti corpore contenetur. Quae amodo vero, id est a diae kalendarum martiarum, indictione quarta evenerint, vel fieri contegerit, sic terminentur et finem accipiant, sicut in presenti pagina statuere visi sumus; excepto de muliere libera, que servum tolit [*cap.* 24] et secundum anteriorem edicto [*Roth.* 221] condemnata non est: ubicumque inventa fuerit, sit ancilla palatii et filii eius servi regis.

[DE ANNO DECIMO ?]

29?. Si qua mulier res suas venundare voluerit, non in absconse, sed in presentia principis aut iudicis vel sculdahis, seu duo aut tres parentes suos secum habeat, et sic iudicem roget: « quia res meas volo vindere »; et ipsi parentes in ipsam vindictionem manum ponant, et ipsa se vinditricem faciat; sic et mundoald ei consentiat, et quod vendiderit stabilem sit. Scriba autem, qui cartula ipsa scripserit, non aliter presumat scribere, nisi cum notitia parentum, aut iudicis qui in loco fueret. Et si aliter fecerit, ipsa venditio vacua sit, et prefatus scriba sit culpavilis, sicut qui cartula falsa scripsit, sicut supra [*cap.* 22. *cf. Roth.* 243]. (*De hac lege valde suspecta vid. Bluthmium in Mon. Germ. historicis*, IV, 121).

INCIPIT DE ANNO UNDECIMO (*p. Chr.* 723).

Quoniam quidem superius in hoc edicti corpore, ea quae nobis et nostris iudicibus vel ceteris langobardis congrua paruerunt, in quattuor voluminibus adiungere curavimus, et nunc, si aliquid, pro gentis nostrae salvatione adhuc adicere possumus, credemus pro his dei misericordia adipisci, et retributionem aeternam ab ipso domino iesu christo nihilominus promereri. Ergo in dei omnipotentis nomine ego qui supra liutprand excellentissimus gentis langobardorum rex anno regni mei deo protegente undecimo, diae kalendarum martiarum, indictione sexta, hoc iterum in quinto volumine adiungere curavimus; id est kapitulo primo:

30. I. De his feminis, quae velamen sancte religionis suscipiunt, aut

---

30. Hec lex dicens: « et si postea alteram uxorem duxerit, culpabilis invenitur solidos 500 » affirmat igitur Grimoaldi legem que est « Si quis uxorem suam absque culpa » (Grim. 6) et cetera.

quae a parentibus suis deo vovintur, aut ipsae se elegunt, religionis habitu aut vestem monastiga induere vedentur, quamquam a sacerdote consegrate non sint, sic nobis iustum paruit esse pro dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseverent, nec sit excusatio mali hominibus dicendo: « quod sacrate non sunt, ideo si copolantur culpa non habent ». Sed, ut supra premisemus, quae talem signum super se, id est velamen et veste sancte dei genetrices mariae, quocumque genio in se suscipiunt, et postea ad saecularem vitam vel habitu transire nullatinus presumat. Quia considerare devit omnes cristianus, quod si quiscumque saeculares parentem nostram saecularem disponsat, cum solo anolo eam subarrat et suam facit, et si postea alter eam oxorem ducit, culpaviles invenitur solidos sexcentos: quantu magis devit causa dei et sanctae mariae amplior esse, ut quae ipsum velamen vel habitu in se suscipiunt, in eodem deveant perseverare. Si qua vero femina contra hoc, quod nostra instituit excellentia, egerit aut maritum se copolaverit, perdat omnem substantiam suam, et deveniat ipsa substantia ad potestatem palatii; de persona autem eiusdem femine, quae talem malum comiserit, iudecit rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo aut qualiter secundum deum melius previderit. Simili modo et de victu vel vestimentu eius ipse princeps ordinet, qualiter ei placuerit. Si autem ille, in cuius mundio talis femina est, consentiens fuerit in suprascripto malo, et provatum fuerit, conponat wirgild suum; et ille, qui eam tollere presumpserit, conponat in palatio solidos sexcentos. Si autem mundoald in ipso malo consentiens non fuerit, medietatem de ipsis sexcentis solidis accipiat ipse, et medietatem rex. Qui autem talem feminam rapuerit, conponat solidos mille, ut precedat causa dei solidis centum, quoniam de raptu secularis feminae conpositio nongenti solidi in edicto [*Roth.* 191] lecuntur. Ipsa vero, quae non conservaverit ea quae superius legitur, et malo suprascripto consenserit, poenae suprascriptae subiaceat.

Maria cum Donato tuo tutore, te appellat Petrus, qui est advocatus de parte publica, quod tu duxisti maritum, postquam tu fuisti mutata de veste religiosa.

— § 2. Lex ista, mulieris res palatio devenire precipiens, a Lotharii capitulo quod est « Statuimus ut si femina » et cetera (Loth. 91) roboratur. Notandum est quoque, quod de persona huius velifere femine iuxta Lotharii capitulum non rex egit, ut hec lex precipit, sed in episcopi potestate consistat. — § 3. Eo quod hec lex dicit: ut mundualdus . . ., non valet, ideo quia, si quis feminam sub religionis habitu, que cum ordine ecclesiarum est facta Romana (Ludov. P. 53), rapuerit vel consentientem in coniugium duxerit, iuxta Novellarum legem mortis subiturus est sententiam (Iulian. Nov. 115, 67).

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu rapuisti Albergam, postquam fuit mutata de veste religiosa.

31. II. Si quis rapuerit qualemcumque femina libera saecularem, unde in anteriore edicto legitur conpositio solidorum nongentorum, ita volumus, ut de illis quadrigentis quinquagenta solidis, qui pertenеunt ad parentes vel ad mundoald, ut accipiat ex ipsis solidis mundoald, qui fuerit, pro fatigio suo ex acceptione de ipsa poena solidos numero centum quinquaginta. Reliquos vero trecentos habeat ipsa femina, cui tales iniuria aut detractio facta est. Si autem patrem aut fratrem ipsa femina habuerit, et in eorum mundium fuerit, tunc pater aut frater de ipsam conpositionem, quod sunt solidi quadringenti quiquaginta, faciant cum filia aut sorore sua qualiter voluerint. Nam alter mundoald aut parentes sic dividant ipsam conpositionem, sicut supra statuimus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rapuisti unam suam mundoaldam Mariam. — De torto me appellat. — Det vadiam, si recordatus fuerit, ut emendet, si autem non, idoneet se cum suis sacramentalibus. Haec appellatio secundum hanc legem.

32. III. De his, qui de inlicito matrimonio nati sunt, vel nascuntur, id est de matrinia filiastra vel cognata, quod est uxor fratris aut soror uxoris, quia et canones sic habent de duabus sororibus, sicut et de duobus fratribus : qui de tale matrimonio natus fuerit, heredes legitimus patri suo non sit, nisi habeant ipsas res parentes propinqui ; et si parentes propinqui non fuerint, succedat curtis regia.

33. IIII. Hoc autem deo iubente statuere previdemus, ut amodo nullus homo presumat relicta de consubrino aut insubrino suo uxorem ducere. Si quis autem hoc, quod inlicitum est, amodo facere presumpserit, amittat substantiam suam. Et qui de tale coniugio

---

31. Lex presens, feminam pro raptu 900 solidos habere precipiens, Rotharis legem que est « Si vir mulieri » (Roth. 186) partim rumpit, in qua femine nichil dari precipitur. — § 2. In hac lege ideo « secularem » est positum, ne ullus de monacha intellectus esset. — § 3. Si quis feminam consentiente mundoaldo rapuerit, posteaque eum ipsa cognita ad maritum sibi voluerit, canonum prohibentibus capitulis non potest inde fieri legitimum coniugium; in capitulari enim legitur: « De his coniunctionibus, que secundum canones aut edictum non possunt esse copulate, placuit nobis, ut separentur ab invicem » (Loth. 99). Lotharii vero capitulum quod est « De raptoribus vero » (Loth. 105), dicens: « et rapiuntur absque parentum et ipsarum voluntate », non de alio raptu nisi de illo qui absque voluntate parentum fit credendum est locuta.

32. Martine, hoc te appellat Iohannes tuus frater, quod tu Mariam, aut novercam aut comatrem tuam, in coniugium duxisti. — § 2. Haec et duae sequentes leges, in quibus masculus et femina illicitum coniugium contrahentes supradicte pene subiacere, scilicet res suas iubentur ammittere, Rotharis legem, que est « Nulli liceat novercam » (Roth. 185) rumpunt, in hoc quod masculos illicitum coniugium contrahentes solidos tantum 100 iubet componere, et feminam medietatem de rebus suis ammittere. — § 3. Cum his tribus legibus inferior lex Liuprandi que est « De his qui de illicito matrimonio hoc ante tempus » (Liutpr. 104) et cetera concordat. — § 4. Lex ista que est « De

procreati fuerint, legitimi heredes non existant, nisi parentes propinqui. Et si parentes propinqui non fuerint, curtis regia succedat. Hoc autem ideo adfiximus, quia deo teste papa urbis romae, qui in omni mundo caput ecclesiarum dei et sacerdotum est, per suam epistolam nos adortavit, ut tale coniugium fieri nullatinus permitteremus.

34. V. Item hoc censemus adque precipimus, ut nullus presumat cummatrem suam uxorem ducere, sed nec filiam, quam de sacro fonte levavit; neque filius eius presumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit, quia spiritualis germani esse noscuntur. Et qui hoc malum facere temptaverit, perdat omnem substantiam suam, et filii qui de inlicito matrimonio nascuntur heredes esse non debeant, nisi parentes propinqui; et si parentes propinqui non fuerint, curtis regia succedat. Ubi autem inventi fuerint qui suprascripta inlicita coniugia contraxerint, de presenti separentur, et poenae suprascriptae subiaceant.

Petre, te appellat Martinus, tuus frater, quod tu habes ad coniugium Mariam tuam matriniam, aut Mariam relictam de tuo consobrino, aut Mariam tuam commatrem. — De torto. — Probet ipse qui appellat; si non potuerit, ipse qui appellatus est iuret cum suis sacramentalibus. Et si parens noluerit facere appellationem, advocatus de parte publica faciat per separare coniugium.

35. VI. Si quis sine volontate regis in qualicumque civitatem contra iudicem suum seditionem levaberit, aut aliquod malum fecerit, vel eum sine iussione regis expellere quesierit, aut alteri homines de altera civitate contra aliam civitatem vel alium iudicem, ut supra, sine iussione regis seditionem fecerint, aut eum expellere sine regis vo-

---

illicito », filios de illicito heredes esse prohibens, quamquam in his duabus legibus sequentibus preceptum sit, illicitum matrimonium contrahentes res suas perdere, videtur tamen quoad vixerint res suas permittere, Codicisque 5 libri cuidam concordare capitulo quod est « Si quis incesti vetitique coniugii sese nuptiis funestaverit, proprias quamdiu vixerit teneat facultates, sed neque uxorem neque filios ex ea editos predictas facultates habere credatur » (Cod. V, 5, 6). Sed verius est, ut res suas presentialiter coniugati ammittant, velut scriptum est in quadam Novellarum lege, que est « Si quis nefarium et incestum » (Iulian. Nov. 32, 1). — § 5. Iuxta predictas Novellarum leges illicitum matrimonium contrahentis filius a patris potestate soluta est (Iulian. Nov. 32, 2). — § 6. Quicumque relictam de consobrino aut insobrino suo, aut comatrem suam aut filiam, quam de sacro fonte levavit, aut filiam illius qui eum de fonte suscepit, aut matriniam vel filiastram, seu cognatam quae est uxor fratris, aut sororem uxoris sue uxorem ducere temptaverit, omnem substantiam iuxta has leges debet ammittere. Sed qui relictam parentum longioris gradus uxorem duxerint, iuxta has leges non iudicabuntur, immo secundum canones illorum coniugium separabitur. Et in capitulari quoque legitur: « De his coniunctionibus, quae secundum canones aut edictum copulate esse non possunt, placuit nobis, ut separentur ab invicem » (Loth. 99).

35. Martine, hoc te appellat Iohannes, qui est partis publice advocatus, quod a te facta conspi-

luntate quesierint: tunc ille, qui in caput fuerit, anime sue incurrat periculum, et omnes res eius ad puplicum deveniant; reliqui autem, qui cum ipso fuerint in malo consentientes, unusquisque conponat in palatio wirgild suum. Et si casam cuiuscumque bluttaverint, aut res eorum tulerint, qui cum palatio aut cum rege tenent, et fidem suam cum iudice in palatio conservant, conponat omnes res ipsas, cui eas tulerit, in actogild, et wirigild suum, ut supra diximus, conponat in palatio. Hoc autem ideo previdimus in presente pagina edicti scribere, ut malum vitium non crescat, sed amputemus, et ut omnes in pace et gratia dei et regis vivere valeant.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu levasti seditionem contra tuum comitem, aut cum ipsa seditione occidisti unum suum caballum, aut voluisti eum expellere de comitatu sine iussione regis, et fuisti in capite.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Donatus levavit seditionem contra suum comitem et occidit unum suum caballum cum ipsa seditione, et tu fuisti consentiens in ipso malo.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod homines de civitate Roma levaverint sedictionem contra homines de civitate Cremona, vel contra comitem de Mediolano, et tu fuisti in capite cum illis.

Petre, te appellat Martinus, quod homines de civitate Ravenna levaverunt adunationem contra homines de civitate Roma, et tu fuisti consentiens in isto malo.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse tenebat cum rege et tu spoliasti casam suam de tanto suo mobili, quod valebat solidos 100. — De torto.

---

ratione adversus comitem tuum surrexisti, eaque conspiratione sibi nocuisti aut de comitatu eum expellere voluisti, et huius rei caput aut princeps fuisti, aut consentiens. — § 2. A Rachis lege que est « Cognovimus enim » (Rach. 26) in qua legitur: « componat sicut anterius edictum de seditione contra iudicem levata continere videtur » lex ista roboratur. Que utreque tamen leges a Lotharii capitulis (Loth. 4, 67) quae sunt « Volumus de obligationibus » et « De conspirationibus » rumpuntur, quia, si obligationibus aut sacramento vel dextra conspiratio facta fuerit, non his legibus sed predicti Lotharii capitulis pena solvenda est. Sed ita salvatur: intelligendum est enim, huius legis conspirationem non esse confirmatam obligatione aut sacramento vel dextra. — § 3. Notandum quoque est, quod, si huius legis conspiratio comitis neglegentia contingerit aut correcta non fuerit et neque obligatione aut sacramento vel dextra firmata est, et, qui in huius rei capite est, dignitatem habuerit: donec in presentia regis venerit, non est mortis plectendus supplicio, veluti in Lotharii capitulo legitur quod est « Collectam ad malum faciendum » (Loth. 55). — § 4. Supposita lex Liuprandi quae est « Si quis porcos » (Liutpr. 150), in eo quod res malo ordine sublatas sibi nonas reddendas esse asserit, legem istam corroborat.

36. VII. Si quis dederit wadia, et eam recepere neglexerit, conponat, sicut in anteriore edicto legitur. Et si ille, qui ipsa wadia acceperit, reddere neglexerit per fideiussores, et aput eum remanserit, sic conponat, quomodo et ille, qui wadia sua recipere neglexerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia de 20 solidis et habuisti neglegentiam ea recipere per 4 aut per 5 vel 6 noctes. — De torto.

Petre, te appellat Martinus, quod dedit tibi vadia de 20 solidis: tu habuisti neglegentiam reddere ea per quattuor aut quinque noctes.

37. VIII. Si quis alteri homini wadia dederit, et antequam eam per fideiussorem liberit, violenter de manu illius abstraxerit, cui eam dedit, conponat ei cui ipsa wadia abstraxerit, solidos 24. Hoc autem ideo adfigi precipimus, ne pro tali causa scandalum oriatur, aut anima pereat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadiam unam et, antequam tu fecisses deliberare per fideiussorem, per virtutem traxisti sibi de manu.

38. VIIII. Si quis alii wadia dederit, et voluerit eam per fedeiussores suos recipere, et duxerit ad eum, qui wadia recepit, fideiussores unum duo vel tres, et ipse dixerit « quia nescio qui sint », ut damnum ei facere possit: tunc adducere ei debeat fideiussorem aut de illa civitate, unde ipse est, qui wadia dedit, aut de illa unde ipse est qui suscepit. Et si menime ita inventi fuerint, tunc suscipere debeat ipse, qui wadia accepit, fideiussorem hominem liberum, quem conlibertus eius cognitum habet, et dicit ei: « quod ego scio quia ei credere potes » ; et homo ille qui wadia dedit, damnum non patiatur.

39. X. Si quis alii homini wadia dederit pro quacumque causa, et fideiussorem posuerit, et postea ad ipsum fideiussorem antesteterit, aut pignus de manu tulerit, et probatum fuerit, conponat solidos vigenti.

---

36. Lex presens Rotharis legem que est « Si quis alii wadiam dederit » (Roth. 360) corroborat. — § 2. Notandum est, quod ambo, scilicet dans wadiam et accipiens, iuxta hanc legem Longobardi erant et de omnibus alia lege viventibus nichil in hac lege precipitur, ideo quia iuxta hanc legem dans wadiam et accipiens compositionem facit et accipit, et omnes qui iuxta Longobardorum legem compositiones accipiunt sine dubio Longobardi intelliguntur.

38. Talis debet esse fideiussor sicut in hac lege precipitur et talis qualem precipit esse lex istius Liuprandi quae est « In anterioris edicti nostro capitulum adfiximus » (Liutpr. 127), id est, ut tantum habeant fideiussores, quantum obligatio est.

Petre, te appellat Martinus, quod dedisti vadia ad Paulum, ut dares ei 20 solidos, et ipse fuit inde fideiussor, et tu contradixisti sibi pignus.

40. XI. Si quis alii homini wadia dederit et fideiussorem posuerit, et ipse fideiussor eum pigneraverit, et pignera ipsa ad creditorem eius dederit, et postea ei ipse, cuius pignera fuerit, per virtutem tulerit, conponat ipsa pignera in actogild.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti vadia, quod dares sibi 100 solidos in Kalendis Maiis et posuisti Donatum fideiussorem, et ipse te pigneravit in tanto mobili quod valebat solidos 100 et dedit sibi ipsa pignera, et tu postea sibi per virtutem tulisti ipsa pignera.

41. XII. Si quis alium ante constitutum pigneraverit, et probatum fuerit, quod ante constitutum pignerasset, conponat ipsum pignum in actogild.

Petre, te appellat Martinus, quod tibi dedit vadia de 20 solidos dare in Kalendis Maiis, et tu pignerasti eum antequam constitutum esset. — Aprobet si potest; si non, ille alter se idoneet vel componat in actogild.

42. XIII. Si quis iudex aut actor puplicus in qualicumque civitatem aut locum inter homenis, qui aliquam discordiam habent, trewas tulerit, et unus ex ipsis hominibus, inter quos ipsas trewas tulta sunt, eas ruperit, medietatem de ipsas trewas conponat in puplico, et medietatem illi cuius causa est. Et ipsas trewas non sint minus quam solidi ducenti; qui autem amplius forsitan pro maioribus causis ponere voluerit, sit ei licentiam.

Petre, te appellat Martinus, quod comes misit treuvas per discordiam quae erat inter te et illum, et tu rupisti ipsas treuvas. — De torto.

43. XIIII. De donatione. Si quis alio homini qualiscumque rem donaverit et launigild susceperit, et postea defendere minime potuerit, tunc aliam talem rem, qualem donavit, qualis in illa diae invenitur

---

40. Inferior lex de transactis pignoribus (Liutpr. 108) non de alio pignore loquitur, nisi quo fidemiussorem aut debitorem suum pignerat creditor: ideoque pignus a debitoris fideiussore sublatum et creditori concessum transactari non debet.

42. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu treuvam, quam comes seu actor publicus inter te et illum pro evitanda discordia posuit, rupisti. — § 2. Si quis treuvam a comite vel actore inter absentes personas positam fregerit, nichil se compositurum sciat, ut in quadam Institutionum lege precipitur quae est « Item verborum obligatio inter absentes concepta inutilis est » (Instit. III, 19, 12). Sed quicumque treuvas inter absentes personas stabilire voluerit, singillatim eos interroget, utrum treuvas illas se observaturos et penam sibi, si eas fregerint, composituros promittant.

esse, reddat cui donavit, et amplius non calomnietur. Et si de conludio pulsatus fuerit, satisfaciat ad evangelia, quod nullum conludium cum alio homine de ipsa causa factum habeat, et sit solutus de culpa; sic tamen ut suprascriptam rem consimilem reddat cui donavit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum caballum qui valet solidos 100. — Ipse caballus meus proprius est. — Quid tibi pertinet? — Donatus michi donavit. — Iuret, quod ad certum warentem eum conducat. — Donasti tu michi istum caballum? — Sic feci, sed nolo tibi stare in auctoritate, quia non fecisti michi widerdonem. — Iuret, quod habeat factum widerdonem. Si dixerit: « ego tibi donavi istum caballum, sed non possum stare in auctoritatem, quod nichil michi pertinet », — faciat ut lex est.

Petre, te appellat Martinus, quod tu habes factum colludium de ipso caballo.

44. XV. De servo fugace et advena homine, si in alia iudiciaria inventus fuerit, tunc deganus aut saltarius qui in loco est, conprehendere debeat et ad sculdahis suum perducat, et ipse sculdahis eum iudici suo consignet. Et ipse iudex potestatem habeat eum inquirendum, unde ipse est: et si inventus fuerit, quod servus sit aut fur, mox mandet ad iudicem aut ad dominum eius, unde ipse fuerit, et habeat pro presura de ipso servo per caput solidos duos. Si autem post inquisitam causam ipse homo qui conprehensus aut inquisitus fuerit liber aparuerit, nulla sit culpa ei, qui eum presit aut inquisivit. Si vero deganus aut saltarius hoc facere distulerit, conponat solidos 4, medietatem sculdahis suo, et medietatem cuius causa est. Et si sculdahis neclectum posuerit, conponat solidos 8, medietatem iudici suo et medietatem cuius causa est. Si vero iudex ad eum in-

---

44 Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu servum suum quem fugitivum deprehendisti sculdasio tuo presentare distulisti. — § 2. Martine sculdasci, hoc te appellat Iohannes, quod tu servum suum, quem fugitivum a se comprehensum decanus tuus ad te perduxit, comiti tuo consignare distulisti. — § 3. Martine comes, hoc te appellat Iohannes, partis publicae advocatus, quod tu furem, quem tuus sculdasius ad te perduxit, Novariensi comiti, de cuius comitatu erat, ut reciperet mandare distulisti. — § 4. Martine, hoc te appellat Iohannes, partis publicae advocatus, quod latronem tui comitatus, quem Papiensis comes tibi mandavit ut reciperes, recipere neglexisti. — § 5. In eo quod hec lex comprehensum latronem assignari comiti precipit, Rotharis legem quae est « Si liber aut servus » (Roth. 264), in qua a comprehendente teneri latro iubetur, partim rumpit. — § 6. Lex ista, in eo quod pro fugitivo solidos duos dandos esse precipit, a Lotharii capitulo quod est « De fugitivis precipimus » (Loth. 33) rumpitur. — § 7. Hec lex dicens: « et habeat pro presura de ipso servo per caput solidos 2 », dedit intelligere, ut de libero non debeat fieri conpositio, et ideo emendavit predictam legem Rotharis de libero et affirmavit de servo.

quirendum vel mandatum faciendum, unde ipse homo est, distulerit, conponat in palatio solidos 12. Et si ille iudex, cui mandatum venerit, neclectum fecerit ad ipsum hominem recollegendum, aut arimanno suo mandatum faciendum: « quia in tali loco homo tuus conprehensus est », et hoc neclexerit, conponat in palatio solidos 12. Et sit spatio de ipso mandato faciendo in istis partibus in uno mense; trans alpes vero, in partibus tusciae in menses duo.

Petre decane vel saltarie, te appellat Martinus, quod tu prehendisti unum suum servum fugacem et non minasti ad tuum sculdascium.

Petre sculdais, te appellat Martinus, quod Donatus tuus decanus consignavit tibi unum servum fugacem, et tu non consignasti ad tuum comitem.

Petre comes, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Donatus tuus sculdais consignavit tibi hominem unum advenam, et tu distulisti mandare ad comitem, de cuius comitatu ipse fugerat.

Petre comes, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tibi venit mandatum de comite Placentino, quod tu recolligeres unum hominem advenam de tuo comitatu, quem habebat conprehensum in suo comitatu, et tu habuisti neglegentiam ad recolligendum ipsum hominem, aut faciendum mandatum arimanno tuo, quia in tali loco homo suus erat comprehensus.

45. XVI. Si quis astalaria alterius capelaverit, conponat ei cuius astalaria fuerit, solidos 6.

Petre, te appellat Martinus, quod tu capellasti unam suam stallariam; aut quod tu fecisti fossatum in terra sua; aut sepem in terra sua. — Approbet appellatus, quod sua sit: si non potuerit, emendet sicut lex est.

46. XVII. Si quis fossatum in terra alterius fecerit et suam non potuerit probare, conponat ei cuius terra est, solidos 6.

47. XVIII. Si quis sepe in terra alterius miserit et suam probare non potuerit, conponat ei cuius terra est, solidos 6.

---

47. Sex solidi qui in his legibus (Liutpr. 45, 46) ei cuius terra est dari precipiuntur dabit invasor, a Pipini capitulo quod est « Ut nullus alteri » (Pipin 23) iussus bannum componere. — § 2. Hec et quedam Longobardorum leges « et suam probare non potuerit » dicentes, proprietatem pro invasione non esse perdendam insinuant. Unde a lege Romana dissident, iuxta enim Institutionum legem « Qui res alienas rapit » (Inst IV. 2. pr 1 aliasque Romanorum leges invasor pro invasione proprietatem amittit, alienam terram duplam pro invasione redditurus.

48. XVIIII. Si quis liberum hominem foris provincia vindederit, conponat wirigild eius, tamquam si eum occidisset.

Petre, te appellat Martinus, quod tu vendidisti eum foras provinciam. — Approbet; sin autem, appellatus exdicat se.

49. XX. Si quis servum alienum foris provincia vindederit et provatum fuerit, in quadruplum eum conponat, sicut adpretiata fuerit ipsa persona.

Petre, te appellat Martinus, quod tu vendidisti unum suum servum foras provinciam. — Approbet appellator; si non potest, exdicat se appellatus.

50. XXI. De servo in sagramento misso. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramentum miserit, aut manum in caldaria mittere fecerit, conponat domino eius solidos 20.

Petre, te appellat Martinus, quod tu sine voluntate sua misisti unum suum servum in sacramentum, aut manum in caldariam eum mittere fecisti.

51. XXII. Si quis servum alienum in manu regis dederit et provatum fuerit, quod non suo servo dedisset, conponat regi qui pro tempore fuerit, solidos 100; et ipse servus revertatur ad proprium dominum suum, et sit servus sicut antea fuit. Et insuper, qui eum in manu regis dedit, conponat domino eius solidos viginti.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti Donatum suum servum in manum regis ad libertandum.

52. XXIII. Si quis servum alienum sine volontatem domini sui liberum dimiserit aut per se aut qualitercumque, excepto per manum regis, et provatum fuerit quod servum alienum libertasset, tunc ipse servus revertatur ad proprium dominum suum, et sit servus sicut antea fuit; et ille qui eum inlicite libertavit, conponat domino eius solidos viginti.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo or-

---

48. Si quis liber maior 25 annis pro pretii participatione se vendi permiserit, iuxta Institutionum legem (Inst. I, 3, 3) servitutis vinculo subiacebit, numquam inde acturus; ergo, quia publica est actio, cuicumque appellatori widrigild compositurus est venditor. Si vero noleus aut minor annorum venditus revertetur, quia sibi commissa est neglegentia, widrigild debet ipse recipere. § 2. Quod in hac lege scriptum est: « componat eum tamquam si eum occidisset », non ideo dixit, ut ad venditi heredes compositio dari debeat quemadmodum de occiso, sed ad pene quantitatem referendum est.

49. Hec in parte rumpit legem Rotharis que est « Si quis rem alienam id est servum » (Roth. 229), quia illic legitur: « qui servum alienum sciens transvendiderit ub cumque, sibi nonum reddat ».

52. Lex ista eum qui servum alienum liberat domino 20 solidos componere iubens, dissidet a Codicis capitulo septimi libri: « Eum qui servos alienos ac si suos manumittit, ut pretium illorum dominis, si hoc eligerent, dependat, vel quanti sua interest, sepe rescriptum est » (Cod. VII, 10, 1).

dine subtrahis te de suo servicio. — Liber sum per cartam quam michi fecit Donatus. — Vis dare auctorem aut stare in loco auctoris? — Auctorem volo dare. — Da vadia de auctore. — Donate, dimisisti tu me liberum? — Sic feci. — Quid tibi pertinuit ad libertandum? — De mea ancilla natus fuit, et mater michi pertinuit per successionem patris mei; et quid ego? quid pater meus? quid istum Petrum? quid matrem eius? quid iste cui ego vendidi? per 30 annos habemus possessum. — Et haec placiti dispositio est secundum amentes.

53. XXIIII. Si quis servum alienum sine volontatem domini sui clerigaverit, conponat domino eius pro inlicita presumptione solidos viginti, et ipse servus revertatur ad proprium dominum suum, et ipse dominus eius habeat eum sicut voluerit.

Petre presbyter, cum tuo advocatore, hoc appellat te Martinus, quod tu clericasti Iohannem suum servum sine voluntate sua.

Explicit de anno undecimo.

INCIPIT DE ANNO DUODECIMO (*p. Chr.* 724).

Scimus enim et firmiter retinemus, quoniam, qui per gradus et tempora in bono proficit opere, et semper ad meliora tendere videtur, quod dei in eo operatur pietas, et eius misericordia eum inlustrat, qui omnes vult salvos fieri et ad agnitionem sue veritatis venire. Ergo si pro gentis nostrae salvatione aut pauperum fatigatione aliquid possumus conicere, quod in edicti corpore adiungamus, quamquam in quinque voluminibus adiunximus, credimus quod misericordia dei in bono nobis pro hac causa retribuat, eo quod pro solo dei timore et amore hoc facimus, ut omnes cause per rationem et iustitiam terminentur, nec sit aliquis error, sed magis clarescat omnibus sua iustitia, unde sine intermissione nomen domini benedicatur.

Ideoque ego liutprand in dei nomine excellentissimus gentis christianae et catholicae langobardorum rex, anno regni mei christo protegente duodecimo, die kalendarum martiarum, indictione septima, una cum iudicibus et reliquis langobardis fidelibus nostris hoc adiungere in edicti curavimus pagina, in volumine quidem sexto, quod antea fuerat multis supervenientibus causis obmissum; id est in primis:

54. I. De possessionem. Si quis cartolam donationis per gairethinx facta aut per susceptum launigild, vel forte conparatione ostenderit, et res ipsas unde legitur non possederit, et dixerit quod ei monimem suum absentatum fuisset: si per triginta annos et super possessio ipsa fuerit, non habeat adversus eum, qui possedit, facundia loquendi cum monimem ipsum, quod ostendere videtur; nisi ipse firmiter possedeat, qui per triginta annos possedit, quia iam gloriose memorie grimoald rege per triginta annorum possessione institutum est. Nam si intra triginta annos possessio ipsa fuerit, pontificium habeat cum monimine suo dicendum quod voluerit; et ipse, qui possederit, secundum edictum respondeat.

---

54. Si quis cartulam donationis per gairethinx factam: quasi per commutationem; vel aliter: scilicet ea carta dicitur fieri per garathinx cuius medietas Latinis verbis est scripta, altera vero medietas Theotonicis verbis est scripta. Secundum Gualcausum vero dicebatur cartula ipsa fieri per gayrethinx, que una die fiebat, altera firmabatur, veluti per traditionem; vel per gayrethinx dicitur ipsa carta fieri quae gratis aliom. — § 2. Lex ista, Astulfi lege quae est « Si quis Longobardus qualemcumque rem » (Ast. 9) roborata, Grimoaldi legem quae est « Si quis per 30 annos » (Grim. 4) corroborat, unde ab Octonis capitulo quod est « De investitura predii » (Ott. I, 3) rumpitur, quia, si iuxta ipsum capitulum, sive per 30 annos possidet vel non, respondere vel reddere cogitur et si de pugna convictus fuerit, non possidebit inantea ut in hac lege precipitur. — § 3. Si quis donationis aut venditionis cartam sibi factam perdiderit, quamquam per 30 annos ipse aut heredes eius ad carte factorem inde taceant, inventa tamen postea carta non est venditionem illam aut donationem postea perditurus, quandoquidem in eadem carta dator accipienti eiusque heredibus se suosque heredes nullo tempore retractaturos spondeat. Ideoque in hac lege carta illa non est intelligenda, que a possessore vel ab his quibus ipse successerat facta sit. Sed secundum Ugonem litigari potest, tam de predicta carta, id est a possessore vel ab his quibus ipse successerat facta, quam de alia hanc legem esse locutam, quia, licet ipse possessor illi suo adversario suisque heredibus se suosque heredes in predicta carta spondeat, non tamen terram illam est amissurus, cum hec lex per 30 annorum possessionem sibi attribuat; quia, etiamsi aliquis de pecunia de terra alicui cartam venditionis faceret, et ipse alii eandem terram venderet et cartam venditionis faceret, et postea ipse secundus emptor eandem terram priori venditori venderet et ipse cui vendiderit ei litem de predicta terra poneret: licet in carta adversus eum obligatus fuisset, tamen terram non ammitteret. Etenim si aliquis alicui terram vendidisset et postea eandem terram alii ipsemet venderet et si ipse cui vendiderat propter collusionem per annum tacuit, quia tacuit, terram iuxta Lotharii capitulum quod est « De his qui proprietatem suam habent » (Loth. 31) est ammissurus; eodemque modo qui per 30 annos de terra sua tacuit, iuxta hanc legem debet terram illam ammittere. Que litigatio non laudatur. — § 4. Si appellator emptionis cartam infra 30 annos factam ostenderit, usu se datoremve suum inter hos 30 annos investitos fuisse dicere poterit; si vero cartam ante annos 30 factam scriptam patefecit, se, non suum datorem, infra 30 annos investitum esse contendere poterit: quia non est conveniens, datorem suum infra 30 annos investitum esse contendere, cum investituram suam ante ipsos 30 annos sibi tradiderat. — § 5. Eo quod hec lex dicit: « non habeat adversus eum, qui per 30 annos possedit, facundiam loquendi cum munimine suo » dicebant antiqui, hanc legem voluisse, cartam 30 annos habentem nichil valere. Sed qui hoc dicebant, minime huius legis sententiam intelligebant, quia hec lex dicens: « nam si inter 30 annos possessio ipsa fuerit, pontificium habeat, cum munimine suo dicendi quod voluerit » et non ponens differentiam de annis cartae, quanticumque sint, sive 30 vel plus aut minus, cartam 30 annos habentem valere confirmat. — § 6. Notandum est quoque 30 annorum possessionem Romanorum lege eo modo firmitudinem habere, si infra prescriptos terminos inde nulla fuerit actio, quod patet in Codicis septimi libri capitulo quod est « Nemo (Cod. VII, 32, 10) ambigit, possessionis duplicem rationem: aliam que iure consistit, aliam que corpore; utramque autem ita demum esse legitimam, cum omnium adversariorum silentio ac taciturnitate firmetur. Interpellatione vero et controversia progressa, non posse eum intelligi possessorem, qui, licet corpore teneat, tamen ex interposita contestatione et causa in iudicium deducta super iure possessionis vacillet ac dubitet ».

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsam terram ego habeo possessam per 30 annos, et tibi quid pertinet? — Per cartam comparationis, et ecce cartam. — Quare tacuisti per tantos annos? — Ego habui perditam istam cartam. — Iuret ipse qui tenet suam possessionem. Si ipse qui tenet non habuerit possessam terram per 30 annos, dicat cum sua carta, quid voluerit ipse qui appellat.

Et haec responsio secundum segnes est; sed ita sit:

Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est, quam tu possides, sua est, et tu eam sibi contendis. — Quid ad eum pertinet? — Per scriptum quod pater Iohannes, socer tuus, fecit sibi. — Illud scriptum nichil ei nocet, quia per 30 annos possedit eo tacente. — Vere tacuit per 30 annos, quia scriptum suum absentatum erat. — Tamen nichil ei nocere potest, quia per 30 annos possedit precipiente lege de hac possessione.

55. II. Si quis servum suum fulfreal thingaverit, et haamund a se fecerit, vel quocumque modo eum a se absolserit, in manu regis dandum, aut in ecclesia circa altare ducendum, et postea ipse libertus voluntatem patroni sui fecerit, manifestare debeat libertus ipse libertatem suam sepius iudici et ad vicinos suos, qualiter absolutus esse videtur; et postea nullo tempore ipse patronus aut heredes eius contra eum qui libertatus est, querellas possit movere, dicendo quod ei debeat obedire pro eo, quod sua sponte pro beneficio de domino suo voluntatem eius fecerat; sed firmis ei sua permaneat libertas.

56. III. Si quis alium de furto pulsaverit, et per pugnam eum vicerit, aut forte per districtione a puplico furta manefestata fuerit et conpositio facta fuerit, et postea ipse furtus apud alium hominem inventus fuerit, et certa veritas apparuerit, quod ipse qui prius conposuerat, rem ipsam non furavit: omnia quidquid ipse conposuit, recipiat ab eo cui conposuerat, et ipse conponat, apud quem furtus ipse postea inventus fuerit. Nam si aliquit pro sagramentum suum dederit, habeat ipse cui dederit. Nam si certa veritas non apparuerit, quod alter homo furtum ipsum fecissit, et per districtionem manifestaverit et conposuerit, habeat sibi ipsam conpositionem, cui conposuit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu appellasti eum, quod ha-

---

56. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu eum de furto appellasti, et inde eum per pugnam vicisti, aut a publico conpulsus confitendo conposuit. Modo vero furtum apud alium inventum dicens « divini iudicii nos incertos esse » (Cf. Liutpr. 117) insinuat.

bebat tibi furata tanta tua mobilia, quae valebant solidos 50, et vicisti eum per pugnam; et fecit tibi compositionem: et modo habes ipsum furtum inventum apud alium hominem, et vult, ut reddas compositionem.

57. IIII. Si quis debitum fecerit, et res suas viudederit, et talis fuerit ipse debitus, quod sanare non possit, et filius eius per uxorem suam aliquid conquisierit, vel postea sibi per quocumque genio laboraverit, posteus genitor eius omnes res suas venundavit, vel pro debito suo creditoribus suis dederit, aut a puplico intromissi fuerent: non habeant licentiam creditoris eius, res quas filius de coniuge sua habere vedetur, vel quod postea conquisivit aut laboravit, repetendum aut distrahendum, sed habeat sibi filius eius iure quieto; sic tamen, ut si a creditoribus pulsatus fuerit preveat sacramentum, quod de rebus patris aut matris suae, si ipsa in mundio patris eius mortua fuerit, nihil aput se habeat nec alicubi comendassit aut abscondissit, et sit absolutus. Et si postea aput eum inventum fuerit de rebus paternis, conponat in actogild.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habebat certam suspectionem, quod, quando Donatus tuus pater venit ad mortem, erat sibi debitor solidos 100. — De torto. — Si dixerit: « non respondeo tibi, quia non sum suus heres », iuret sicut lex dicit. Si dixerit: « non iurabo de rebus matris meae, quia non fuit mortua in suo mundio », probet appellator, quod fuisset mortua in mundio patris eius.

Per istam legem debemus intelligere, quod homo qui habet filios potest vendere omnes res suas.

---

57. Lex in eo quod dicit: « postquam genitor eius omnes res venundedit vel pro debito » declarat, hominem res suas vendere posse, etiamsi filios habuerit, tam pro debito quam pro alio. — § 2. Legis huius sententia est: si venditis aut creditori pro debito datis omnibus patris rebus filius adquisierit aliquid, patris creditores non habere licentiam illud requirendi; sed si ex patris facultate ante adquisierit aliquid, quandoquod patris est proprium, eo mortuo possunt illud vendicare creditores. Sin autem non ex patris, sed ex sua facultate adquisierit, quia in patris proprietate non fuit adnumerandum, nichil inde posse creditores attingere. Quod Institutionum lege que est « Adquiritur nobis » (Inst. II, 9, 1) patenter exprimitur. — § 3. Ideo lex hec filium ex matris rebus nichil habere iurare precipit, quia eo tempore non videbatur matri succedere filius. Modo vero iuxta Henrici capitulum (Heinr. I, 1) vivente patre morienti matri successurus est filius: ex eius rebus iurare aut debitum persolvere non est cogendus. — § 4. Iussus in hac lege iurare nichil habere filius, si aliquid ante habuisse, cum modo nichil habeat vel aliquid modo habere cognoscitur, iuxta habuit vel nunc haberet solutus est debitum velut in quadam Institutionum lege decernitur, in qua scriptum est. — § 5. Quod in hac lege scriptum est « componat in actogild », non ad patris debitum sed ad celati inventionem referendum est. — § 6. Si filius, postquam de paternis rebus iuraverit, aliquid inde inconveniens assecutus fuerit, patris debitum non inde, si finem susceperit, solviturus, non debet quod invenit sibi nonum componere. — § 7. Sacramentum, quod in hac lege iubetur fieri a filio, a quodam Ribuarie legis sacramento dissidet, quod filius ex paternis plus quam confessus est sub terra aut supra terram non habere iurare precipitur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse appellavit, quod pater tuus, Donatus, quando venit ad mortem, erat sibi debitor 50 solidos, et tu iurasti, quod de rebus patris tui nichil apud te habebas, nec alicui commendatas aut absconditas, et modo apud te habet inventum unum caballum qui fuit de patre tuo.

58. V. Si infans, dum intra etate est, res suas cuicumque dederit aut infiduciaverit, postea, cum in legitima etate venerit, secundum legem cartolam ipsam inrumpere voluerit, et in rebus ipsis introire, non habeat pontificium, qui emit aut infiduciavit, quod dederat requirendum; quia quando conparavit aut infiduciavit, tunc debuit perspicere, quia puer ipse intra etatem erat, et contra legem faciebat: et posteûs constitutum est [*Liutp.* 17], ut qui intra etatem fuerit, menime vindere aut infiduciare possit, talem causam eum habere dicemus, qui emit aut infiduciavit, qualem et ille habere vedetur, qui de servo aut haldione emere aut infiduciare dinuscitur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam quam michi fecisti, et ecce cartam. — Contra legem est ipsa carta, quia ego eram infra aetatem quando feci ipsam cartam. — Aut probet, aut emendet poenam de cartula.

59. VI. Si quis gastaldius, vel actor curtem regiam habens ad go-

---

58. Ab hac lege lex superior Liuprandi quae est « Hoc prospeximus » (Liutpr. 19) affirmatur. — § 2. Infans ab infante aliquid mercatus pretium non est cogendus ammittere, quia iuxta hanc legem pretium ammissurus ab infante aliquid mercatus eius etatis erat, qua alterum infantem esse prospicere debuit. Sed secundum Ugonem litigari posset, infantem ab infante aliquid mercatum pretium cogendum esse ammittere, quia, licet hec lex dicat: « quia quando comparavit aut infiduciavit, tunc debuit prospicere, quia puer ipse infra etatem erat et contra legem faciebat », tamen intelligendum est, legem istam de infante emptore locutam esse, cum tutor infantis hoc providere potuerit. Sed non laudatur. — § 3 Quamquam per domus suae utilitatem infans aliquid vendat, venditio tamen illa nullius esse momenti credenda est, quia lex ista, eum qui ab infante mercatus est eandem causam quam qui a servo emit habere precipiens, non ad legem quae est « Servus massarius » (Roth. 234), sed ad legem que est « Servo cuiuscumque » (Roth. 233) respexerat, quia si haec lex ad predictam legem quae est « Servus massarius » respexisset, iam quod dicere proposuit pretermitteret.

59. Martine sculdasci, hoc te appellat Iohannes, quod tu Gamundiensis curtis providentiam habens absque regis iussu duo iugera tradidisti, aut duo iugera fraudulenter subrepta requirere neglexisti. — § 2 Lex ista in hoc quod dicit: « duplum in octogild componat » a Caroli capitulo quod est « Si quis prepositus » (Karol. M. 121) partim rumpitur, quia ibi legitur: « si comes aut regis minister regis res scripto alienaverit, pro infideli describitur ». Sed secundum Ugonem ita salvatur, scilicet quod hec donatio erat absque scripto, donatio vero iuxta predictum capitulum..... infidelis iudicetur, et iuxta hanc legem duplum in octogild componat. — § 3. Lex hec dicens: « duplum octogild componat » a Lodoyci capitulo quod est « Si quis proprium nostrum » (Lud. P. 26) corroboratur, in quo legitur: « aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat ». — § 4. Notandum est quoque, legem istam « gastaldium » pro « comite » posuisse: quod videri potest per hoc quod inferius legitur: « quod si iudex aut actor », cum in supradicta littera nichil de iudice contineatur, nisi gastaldius pro gastaldio et comite ponatur. — § 5. Lex hec decessorum datum veluti nostrum esse stabile precipiens, modernum preceptum inviolabile esse insinuat.

bernandum, ex ipsa curte alicui sine iussionem regis casa tributaria, vel terram, silvam, vitis vel prata ausus fuerit donare, aut si amplius quam iussionem fuerit, dare presumpserit, vel si requirere neglexerit, quod per fraudem tultum est, omnia ipse, qui hoc contra iussionem regia facere ausus fuerit, in dublum actogild conponat, sicut qui res regias furavit [*Roth.* 369]. Et si ipse antea mortuus fuerit, quam fraus ipsa appareat, heredis eius conponat, sicut supra [*cap.* 57] legitur. Nam si per actorem fraus facta fuerit, et anteaquam ad nostram perveniat noditiam, fraus ipsa per gastaldium inventam fuerit, habeat ipse gastaldius de conpositione quam actor conponere devit partem tertiam, et duas partes sint in curtis regia. Et si per qualicumque hominem prius ad nostram pervenerit notitiam, quam per gastaldio inventa sit, tunc conpositio ipsa in integrum nobis et curti nostre perteneat. Quod si iudex aut actor vel heredis eorum pulsati a nobis fuerint, quod neglectum fecissint ad exquirendas res nostras, et ipsi dixerent, quod ipsam fraudem nescissent et nullum neclictum fecissent, preveant in tali ordine sacramentum, et dicant: « quia pater noster fraudem istam numquam scivit nec consensit, nec neglictum posuit ad exquirendum, nec nos per legem culpavelis esse devemus », et sint postea absoluti. Hoc enim capitulum amodo statuimus, ut firmis sit; nam quidquid antea actum est, in nostro arbitrium reservamus. Et hoc proinde statuere previdemus pro eo, quod multas fraudes a gastaldiis vel actoribus nostris factas invenimus, unde iam multas fatigationis habuimus. Nam quod a nostris decessoribus cuicumque datum est, stabili ordine volumus permanere, sicut et illum, quod nos dedimus aut inantea dederemus.

Petre comes, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu habebas ad gubernandum cortem de Marinco, et ex ipsa corte dedisti sine iussione regis unam casam tributariam, aut rex tibi commendavit dare duo iugera de ipsa corte et tu dedisti 4.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Donatus comes qui fuit tuus pater habebat cortem de Marinco ad gubernandum, et misit neglegentiam adquirendum duo iugera de silva quae per fraudem erant abstracta de ipsa corte.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco ad partem publicam, unde ipse est advocatus. — Ipsa terra mea propria est per preceptum regis. — Secundum quosdam ita est a.

60. VII. Si haldius cuiuscumque cum libera muliere aut puella

fornigatus fuerit, componat solidos quinquaginta ei, in cuius mundium ipsa fuerit, et illa repotit vitium suum, pro eo quod haldioni consensit.

Petre, te appellat Martinus, quod Marcoardus tuus aldius fornicatus fuit cum Maria puella aut mulięre sua mundoalda.

61. VIII. Si quis alii wadia de sacramentum dederit, et sacramentalis dicti fuerent, et postea ipse qui nominatus est, cum ad sacramentum venerit et evangelia posita fuerit, se subtraere quesierit, ut sacramentum rumpatur, sicut in anteriore edictum [*Roth.* 363] est constitutum: tunc preveat prius ille, qui iurare debet, ad illos sacramentalis suos sacramentum, quod cum eo munditer iurent. Et si sacramentalis ipsi audire noluerent, et se aliquis in omnibus subtrahere quesierit, ut ipse causam suam qui iurare debuerit perdat, iubemus ut manefestare debeat ipse sacramentales qui se subtraere voluerit, certam veritatem, pro qua causa iurare menime presumit; et si manifestare menime potuerit, preveat sacramentum, quod nullum conludium habeat cum hominem illum, qui sacramentum audire debeat, nisi quod animam suam timendo non presumat sacramentales esse. Et ipse postea qui iurare debet, habeat spatium noctis duodecim [*Roth.* 361], qui prope sunt; et qui de longinquo sunt, quomodo sunt de tuscia vel de austria, noctis viginti quattuor; et querat alium sacramentalem, quem in loco ipsius ponat et sic sacramentum deducat, sicut wadia dedit. Et si iurare ausus non fuerit aut manefestare non potuerit, quidquid ipse, cui sacramentum in terra dederit, damnum passus fuerit, de propriis rebus suis restituat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti suum patrem. — De torto. — Da vadia, si te recordatus fueris, quod emendes, si non, iures sicut lex est. — Et cum venerit ad terminum, iuret appellator, quod se sciente eum de torto non appellavit, et appellatus iuret, quod se de torto appellavit, sacramentales iurent, «quod appellatus iuravit, verum iuravit». Si aliquis de sacramentalibus dixerit: «non iuramus tecum, quia pavorem habemus, ne tecum periuremus, aut quia tu fecisti hoc malum», tunc iuret appellatus, quod, si secum iuraverint, munditer iurabunt. Et si dixerit: «nichil iurabimus tecum», manifestent veritatem, quare non audent esse sacramentales, aut prebeant sacramentum, quod nullum colludium habeant factum cum homine illo qui audire debet sacramentum, nisi pro animae suae timendo non presumant esse sacramentales. Tunc ille qui iurare debet habeat spacium secundum legem. Et si ausus non fuerit iurare, perdat appellatus causam suam, et sacramentales damnum restaurent.

Petre, te appellat Martinus, quod Paulus appellavit eum de una plaga, et tu debuisti esse sacramentalis, et per colludium te subtraxisti, aut non potuisti manifestare certam veritatem, et perdidit suam causam, et habuit dannum 20 solidorum.

62. VIIII. Reminiscimur enim, qualiter iam statuimus [*cap.* 20]: qui hominem liberum occiserit, ut res suas in integrum perdat; et qui se defendendum hominem occiserit, conponat secundum qualitatem personae. Nunc autem statuere previdemus, quomodo sit ipsa qualitas consideranda. Consuitudo enim est, ut minima persona, qui exercitalis homo esse invenitur, centum quinquaginta solidos conponatur, et qui primus est, trecentos solidos. De gasindiis vero nostris volumus, ut quicumque minimissimus in tali ordine occisus fuerit, pro eo quod nobis deservire vedetur, ducentos solidos fiat conpositus; maioris vero secundum qualis persona fuerit, ut nostra consideratione, vel successorum nostrorum, debeat permanere, quomodo usque ad trecentos solidos ipsa debeat ascendere conpositio.

63. X. Si quis testimonium falsum contra quemcumque redderit, aut in cartola falsa se scientem manum posuerit, et ipsa fraus manefestata fuerit, conponat wirigild suum, medietatem regi et medietatem cuius causam fuerit. Et si talis persona fuerit, ut non habeat unde conpositio facere, tunc puplicus debeat eum dare pro servo in manu eius, cui culpam fecit, et ipse ei deserviat sicut servus. Et ille qui aliûs rogat testimonium falsum dicere, aut pro causa sua

---

63. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod testis in cartula, quam Petrus contra eum, sciens esse falsam manum misisti. — § 2. In eo quod lex widrigild medietatem regi, ei vero contra quem testimonium dixerit medietatem falsum testem componere precipit, a Lodoyci capitulo « Si quis cum altero » (Lud. P 15) rumpitur, in quo campio lapsus manum ammittere, residui testes suam iubentur redimere; a quibus etiam widrigild duas partes regi, tertiam vero ei contra quem falsum testimonium illatum est dari iubet predictum capitulum. — § 3. Falsus testis iuxta hanc legem absque alia differentia in servitio tradebatur, si qua widrigildi parte careret. Sed moderno tempore, si 20 solidorum aut pluris quantitas defuerit, absque recuperationis obtentu, si autem minus, terminatim iuxta sequentem Liutprandi legem « Si quiscumque homo qui est pauper » (Liutpr. 151) est tradendus servitio. — § 4. Lex ista, in eo quod testes vocantem ad cartule false affirmationem widrigild componere iubet, a Widonis capitulo quod est « De cartis etiam » (Wid. 6) affirmatur, in quo cartule false ostensor widrigild iubetur componere. — § 5. Quicumque Longobardus falsum dicit testimonium, hac lege compellendus est satisfacere; si autem Romanus vel Longobardus ignoranter dixerit, et pugna inde non erit, et impunitus evadet. Si vero Romanus sciens falsa testimonia dixerit, verberatus discedet, quod in Novellarum secundi libri capitulo: « Nullius recipiatur testimonium » (Iulian. nov. 83, 1) loquitur. — § 6. Hec lex, in eo quod dicit: « et si talis persona fuerit, quod non habeat, unde widrigild componat », personam widrigildi quantitate carentem in testimonium posse recipi nostro notificans intellectui, partim a Lotharii capitulo: « Ut in testimonium non recipiantur » (Loth. 27) rumpitur, cuius capituli est sententia, alios in testimonium de libertate et hereditate vel de proprietate in mancipiis et terris sive de homicidio sive de incendio nolle recipi, nisi qui habeant, si convicti fuissent falsum dixisse testimonium, unde secundum legem plenam compositionem id est widrigild componere possunt.

manum in cartula falsa ponere, sic conponat, sicut et ipsos testis iussimus conponere, pro eo quod ipsum malum per ipsum fiet inquoatum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine Donatum suum ministerialem. — Ipsum servum, de quo tu dicis, ego habeo possessum per 30 annos ad proprium. — Potes probare tuam possessionem? — Sic possum. — De vadia de probare, et tu da vadia de placito, et de contra.

Domne comes, hoc dicit Martinus, quod in medio mense Augusto appellavit eum Petrus, quod ipse tenebat sibi malo ordine Donatum suum ministerialem, et ipse dixit, quod per 30 annos habebat possessum ad proprium, et fuit interrogatus, si posset probare suam possessionem, et ipse dixit, quod sic potuerit, et dedit vadia de probare, et modo est paratus cum suis testibus ad probandum sicut dedit vadia. — Martine, dicis tu ita? — Sic dico. — Et tu, recepisti ita vadia? — Sic recepi.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam, quam michi fecit pater tuus. — Falsa est ipsa carta. — Vis ei ardire? — Volo. — Vadiate pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente misisti manum in ipsam cartulam falsam, quam Marcoardus ostendit contra eum, aut reddidisti falsum testimonium contra eum, aut rogasti alium falsum testimonium dicere adversus eum, aut imponere alium in carta falsa quae erat adversus eum.

64. XI. Hoc enim rectum nobis paruit esse de his servis, qui in furtum conprehenduntur, unde in anteriore edicto [*Roth.* 254] legitur, quod aut occidatur aut redemat eum dominus suus solidis 40, ut si amodo cuiuscumque servus conprehensus fuerit in eo tinore, ut mori debeat: aut redimat eum dominus suus ut dictum est solidis quadraginta, aut si eum redimere noluerit, ipse dominus eius eum occidat. Et si dominus eius eum noluerit occidere, occidat eum ille, qui eum conprehensum tenet; et si nec ille noluerit, tunc accipiat eum curtis nostra, et, quomodo nostra iussio fuerit, de eo debeat ordinare. Ipse vero dominus eius conponat, sicut edictum continet, ei cui ipsum furtum factum fuerit.

Explicit de anno XII.

INCIPIT DE ANNO TERTIODECIMO (*p. Chr.* 725).

Ego liutprand in christi nomine rex gentis langobardorum, anno regni mei tertio decimo, diae kalendarum martiarum indictione octaba: dum rememorassem, quod venientis homenis nostri in presentia nostra adduxerunt causas inter se altercantes, quae nec per usum fuimus certi ad terminandum, nec in edicti corpore ante insertae; proinde providimus eas usque ad diem supra scriptum kalendarum martiarum suspendere, dum usque nostri ad nos coniungerent iudecis, et una cum ipsis certum ibi terminum deberemus inponere, unde postea nulla essit intentio. Sicut et factum est, et subter leguntur capitula; primum omnium.

65. I. De eo qui filiam in capillo in casa habuerit, et filium non reliquerit legetimum, ut de rebus suis amplius per nullum titulum cuiquam per donationem aut pro anima sua facere possit, nisi partis duas; tertia vero relinquat filiae suae, sicut iam gloriose memorie rothari rex instituit [*cap.* 158. 159]. Quia qui thinx facit, et postea filiam nascitur, in tertiam partem ipsum thinx rumpit secundum anteriorem edictum, et si duas aut amplius, in mediaetate: ideo nos, dum in ipso edicto legitur de thinx quod est donatio [*Roth.* 171], nobis conparit, quod per nullam donationem nec per launegild possit filiam suam de ipsam tertiam portionem substantiae suae exherede facere, et si duas aut amplius fuerent, de medietatem.

Petre, te appellat Martinus, agens unam suam causam et Mariae suae mulieris, quod tu tenes malo ordine ad Mariam suam mulierem terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam donationis quam michi fecit pater tuus. — Contra legem est ipsa carta, quia mea mulier erat in capillo cum fecit ipsam cartam. — Aut probet, quod fuisset in capillo, aut taceat.

---

65. Rotharis lex que est « Si quis se desperaverit » (Roth. 171) ab hac lege rumpitur, ut retro determinatum est. § 2. Lex hec in eo quod dicit: « quia qui thinx facit et postea ei filia nascitur, in tertia parte ipsum thinx rumpitur » ab Astulfi lege que est « Cognovimus multotiens » (Ast. 3) in hoc quod dicit: « ut voluntas et ordinatio defuncti adimpleatur » rupta a Pipini capitulo quod est « De filio cuius pater per manum erogatoris » (Pipin. 34) in hoc quod dicit: « ut ipsa filia in tertiam portionem de patris rebus introire iterum possit » est affirmata Sed secundum Wilihelmum non est rupta, quia quod Astulfi dicit lex: « ut voluntas et ordinatio defuncti adimpleatur » secundum legem intelligendum est; quia, si hec lex a predicta Astulfi lege rumperetur, iam dici posset, quod Rotharis lex que est « Nulli liceat sine certa culpa » (Roth. 168-170) ab eodem rupta esset.

• 66. II. De liberum hominem, qui oxorem de servo aut de haldione suo vivente ipso marito tolerit, et filiûs aut filias exinde nati fuerent, nullatinus ei heredis succedant, sed nec libertatem suam habeant, nec per nullum genio eis de rebus suis aliquit facere possit: quia in dubium venit causam ipsam, cuius filius aut filia sit, quando ambo vivent, et dominus et servus, qui ante habuit et qui postea tulit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum, quia Marcoardus meus pater me libertavit. — Hoc dico: non te potuit libertare, quia habuit te de uxore servi sui vel aldii sui, vivente illo servo vel aldio.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi unam peciam de terra in tali loco malo ordine. — Illa terra mea propria est per successionem Marcoardi patris mei. — Non potes tu eum succedere, quia habuit te de uxore sui servi vel aldii, viventibus ipsis.

67. III. Si quis alii cautionem fecerit, et non ei obligaverit de rebus suis, nisi dixerit in ipsa cautionem: « in quibuscumque rebus ipsius invenire potuerit »; et postea vindederit alii homini de rebus

---

66. In eo quod lex ista ancille servo coniugate et eo vivente a domino in coniugio sumpte filios ad libertatem venire denegat, quibusdam videtur ru pi a sequenti Liuprandi lege quae est « Si liber homo habuerit servum aut ancillam » (Liutpr. 139), in qua ancilla vel aldia servo vel aldio coniugata a domino adulterium passa cum viro suo libera esse precipitur: de liberis enim patre vel matre non videntur filii in servitute mansuri. Sed non intelligenda est rupta; quia inibi de adulterio tantum cum ancilla vel aldia a domino perpetrato disseritur, hic vero de ancilla vel aldia servo vel aldio coniugato a domino in coniugium sumpta scripta est sententia Et etiamsi ibi de ancilla vel aldia servo vel aldio coniugata a domino in coniugium sumpta, ut hic, esset scripta sententia, tamen hec lex ab alia esse rupta non esset intelligenda: quia lex ista ipsum servum aut aldionem, cuius uxorem adulteravit, et ipsam mulierem insimul liberat, hec vero filiis ancille a domino in matrimonio sumpte libertatem denegat. — § 2. Utraque tamen lex de nulla servi vel aldii coniuge nisi de ipsius domini ancilla vel aldia loquitur. — § 3. Si quis vero ancillam, servi sui uxorem, eo vivente in coniugio sumpserit, eoque defuncto filium ex ea procreaverit, quamquam, cuius sit filius, in dubium causa non veniat, tamen, quia ancille et inlicito matrimonio est, non intelligitur ad libertatem inde iturus: quia non pro dubietate procreationis, sed matrimonio inlicito libertatem eius negat huius legis sententia.

67. Si quis terram alii nominatim obligatam vendiderit posteaque debitum persolvendo eam redemerit et obligationis capitulis incisis eam iterum vendiderit, quia prior venditio ante debiti persolutionem lege oppugnante facta fuit, stabilis videtur esse secunda. Quam venditionem — subaudis secundam —, si quis iuxta Caroli c pitulum quod est « Si quis Longobardus statum humane fragilitatis » (Karol. M. 78) infringere temptaverit, non intelligere videtur predictum Caroli capitulum; tunc enim tantum iuxta illud capitulum secunda traditio vacuatur, cum prima fuit facta legaliter. In qua re lex ista a Novellarum lege que est « Res litigiosas eas volumus » (Iulian Nov. 105, 1) dissidet, in qua debitor pignus non redemptum vendere posse ex eo pretio idem redemptum precipitur. — § 2 Quod in hac lege scriptum est: « aut faciat ipsam cautionem d tantis rebus quanti illa die solidi ipsi fuerint » ita intelligendum est, ut res suas, pretium quod mutuatur valentes, ita obliget, ut eas donec redimantur alienare non possit, creditori proprias factas, si statuto tempore redempte non fuerint. — § 3. Quod de rei nominatim obligate venditione est prohibitum, de donatione omnique alienatione intelligendum est.

suis, habeat ipse, qui eas emit. Nam si obligatae fuerit nominativae, non eas possit vindere, dum ipsam cautionem non sanaverit. Et qui cautionem facere voluerit, aut nominatibae oblicet de rebus suis, qualiter inter eos convenerit, aut faciat in ipsa cautionem de tantis rebus, quantum in illa diae solidi ipsi fuerint.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam quam michi fecit Donatus, et ecce cartam; et tibi quid pertinet? — Ecce cartam per quam michi obligavit ipse Donatus, quod, si in pasca Domni non dedisset michi solidos 100, quod ego haberem licentiam apprehendere suas res, ubicumque potuissem invenire. — Ipse qui habet priorem cartam aut dicat falsam posteriorem, aut taceat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam quam michi fecit Donatus. — Contra legem est ipsa carta, quod habebat michi obligatam nominative ipsam terram. — Et ipse qui appellatus est aut dicat falsam obligationem, aut fiat vacua sua carta.

Vel ita: Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est quam tu possides sua est. — Quid ad eum pertinet? — Ecce cartam, per quam michi obligavit, si in tali tempore non dedisset michi 20 solidos, quod ego haberem licentiam vendicare suas res, ubicumque potuissem invenire. — Illa carta nichil michi nocet, quia precipit lex, si quis non obligaverit nominative alicui res suas, sed dixerit: in quibuscumque rebus eius posset invenire, ut haberet licentiam ingredi, et post vendiderit inde aliquid nominative, ut ipse haberet cui vendiderit, et ecce cartam venditionis. — Illa carta falsa est.

68. IIII. De haldionibus, qui de persona sua haldiones sunt, si aliqua conpellatio facta fuerit: patronus eius eum defendat, aut per sagramentum aut per pugnam, qualis causa fuerit.

69. V. Si haldius cuiuscumque in casa alterius nesciente domino suo fuerit, cum inventus fuerit, sic debeat dare homo ipse, qui eum habuerit, operas quomodo et de servo.

Petre, te appellat Martinus, quod tu habuisti Donatum suum aldium super 9 noctes in casa tua se nesciente, et perdidit tantas operas quae valuerunt solidos 20.

Explicit de anno XIII.

INCIPIT DE ANNO QUARTODECIMO (*p. Chr.* 726).

Iam quidem septies in antico edicti corpore aliqua praevidemus aucmentare capitula, quae nobis et nostris iudicibus atque fidelibus secundum deum recta conparuerunt. Nunc quidem, eo quod multae causae ad definiendum incognitae erant, quia alii per consuitutinem, alii per arbitrium iudicare estimabant, ita previdemus, ut nullus error esse deberet, sed omnibus manifesta clariscere lex. Ideoque haec statuimus adnotare capitula, anno scilicet regni nostri deo largiente quartodecimo, diae kalendarum martiarum, indictione nona. Quin etiam et iudicis atque fedelis nostri de partibus austriae et neustriae nobiscum adfuerunt, et haec omnia inter se conlocuti sunt, et nobis renuntiantes, nobiscum pariter statuerunt atque difinierunt; et cum presentaliter fuissent capitula ista relicta, omnibus placuerunt, et preventes adsensum statuerunt nobiscum, ut nihilominus per ordinem scriberentur.

70. I. Si inter fratres per quadraginta annos possessio fuerit de rebus seu de casis vel de terris quae indivisa sunt, vel per parentes, qui per quadraginta annos possedit, qualiter presumit dicere per sagramentum ad sancta dei evangelia, quod de habeo aut

---

70. Martine, hoc te appellat Iohannes frater tuus, quod tu ei medietatem terre in tali loco posite malo ordine detines. — Terra illa, de qua me appellas, mea propria est, quia dono aut venditione aut extimatione aut commutatione michi eam dedisti. — Hoc dicens iuxta huius legis preceptum dato iureiurando terram possideat. Si vero eam divisisse retulerit, scripto aut testibus abprobet, aut eam dividat. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes patruus tuus, quod tu medietatem domus in tali loco posite ei malo ordine detines. — Domus ista per successionem ex patre mea propria est, quia tu fratri estimatione aut donatione eam dedisti, et a me et ab illo 40 annos possessa est. — § 3. Quod in hac lege scriptum est: « si inter fratres per 40 annos possessio », ita est exponendum ut dicamus, si inter fratres litigium fuerit de re ab aliquo illorum per 40 annos possessa, i. e. seu de casa et cetera; quia, si alio modo intelligeretur, non esset conveniens dicere quod sequitur, scilicet « qui per 40 annos possedit, qualiter presumit dicere » et cetera. — § 4. Lex ista de 40 annorum possessione a Lodoyci capitulo quod est « Si quis res suas pro salute animae suae » (Lud. P. 11) memoratur, in hoc quod dicit: « et hoc observetur erga patrem et filium et nepotem usque ad annos legitimos ». — § 5. Terram fratri aut alicui alii dividendo concessam nemo iure potest requirere, quia iuxta Codicis tertii capitulum quod est « Divisionem prediorum vicem emptionis optinere placuit » (Cod. III, 38, 1) ita est ei propria, quasi eam emerit; et etiam iuxta hanc legem per divisionem fit propria, quia in hoc quod dicit: « alie vero res quae divise fuerint inter fratres aut nepotes vel ubi mensura tracta est sorte stante adaequentur » ostendit, res divisas illorum fieri proprias inter quos divise sunt. — § 6. Si quis heredum vel aliorum terram communiter habentium eam dividere voluerit, iuxta Codicis eiusdem libri capitulum (Cod. III, 37, 5) quod est « In communione vel societate nemo compellitur invitus detineri; quapropter aditus praeses provincie ea quae communia tibi cum sorore perspexerit dividi providebit », iuxtaque alias quamplures leges a comite inde cogendus est. — § 7. Si alicuius terre indivise litigium inter fratres creverit et alter eorum per donationem patris terram illam suam

de fratre, aut qualis parens fuerit, quod ipsas res suas factas habuit, aut per donatione aut commutatione aut comparatione aut de extimatione, aut quomodo praesumpserit dicere aut firmare: leceat eum postea ipsas res habere et possedere. Alias vero res, quae divisae fuerunt inter fratres aut nepotes, vel ubi mensura tracta est, sortes stantes adaequentur. Nam ubi per quadraginta annos mensura menime ambolavit et causa provatam fuerit, quod iure quieto possedissit, sicut superius legitur, per sagramentum finiatur; excepto si communiter aliquid possedent.

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Tu michi donasti aut commutasti aut vendidisti aut per estimacionem dedisti, et ego per 40 annos habeo possessam.

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Noster pater michi vendidit, et ego per 40 annos habeo possessam. — Iuret suam possessionem. — Si dixerit: « pater noster michi donavit, et ego per 40 annos habeo possessam », similiter iuret suam possessionem. Si vult dicere ipse qui appellat: « tu non servisti me melius » (Cf. Liutpr. 112), *aut probet ipse qui tenet, quod melius servisset, aut perdat terram.*

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo

---

esse et per 40 annos possedisse adversus alium dixerit: queritur, qualiter hoc diffiniri poterit? Antiquorum pars iudicum utrumque, scilicet tam possessionem quam donationem, sacramento iuxta hanc legem dixerunt esse diffiniendum. Quod non est laudandum, quia iuxta hanc legem de possessione nullum datur iusiurandum. Altera pars vero, eo quod in hac legebatur: « et causa probata quod iure quieto possedisset », sic diffiniri voluit, scilicet ut testibus prius approbetur possessio, dehinc, qualiter terra sit facta sua, ut hec lex precipit, diffiniatur sacramento. Sed secundum Wilihelmum male voluit, quia probatio non semper fit testibus, et « causa probata » sepenumero pro veritate patefacta ponitur; sicut in sequenti lege que est « Si quis liber homo ad alium liberum hominem » (Liutpr. 71) habetur: « et causa probata fuerit », ubi non testibus fieri probationem putandum est, dicente ipsa lege: « si consilium dedisse negaverit, prebeat sacramentum ». Manifeste igitur patet, 40 annorum possessionem esse sacramento firmandam, non testibus. Grimoaldus enim 30 annorum possessionem inter quoscumque sacramento finire precipit (Grim. 4); lex ista, inter fratres vel parentes possessioni 30 annorum decem annos addendo, sacramentum tacens Grimoaldi diffinitioni de 30 annorum possessione reliquit, veluti in novellis in lege, quae est « Iubemus ut negotiis » (Iulian. Nov. 104) de possessione contra ecclesiam priori diffinitioni, scilicet diffinitioni 30 annorum possessionis, 40 annorum possessionis relicta est diffinitio. Alia ratio, quare 40 annorum possessio sacramento sit firmanda: quia lex ista, conventum superiori lege quae est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8) testibus approbatum sacramento affirmari precipiens, 40 annorum possessionem, superius 30 annorum possessione sacramento affirmata, iureiurando diffiniendam esse insinuat, legique inferiori quae est « De possessione qui aliquid de publico habet » (Liutpr. 77) concordat, in qua conventum et possessionem sacramento affirmari precipitur. Sed Ugo Wilihelmi sententiam postponens sententiam a patre vituperatam confirmat; et, ne quis sententiam ab Ugone firmatam, in eo quod hec lex dicit in fine: « sicut supra legitur per sacramentum finiatur », redargueret, referendo illud ad possessionem, sciendum est, illud non

ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Possessam habeo per 30 annos. — Dic possessionem per 40 annos.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. — Tu dividisti mecum ipsam terram, et ecce brevem. — Ipse qui appellat aut dicat falsum brevem aut det poenam quae legitur in brevi.

Petre, te appellat Martinus tuus patruus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per successionem patris mei Marcoardi, fratris tui. — Quid sibi pertinuit? — Tu donasti ei ipsam terram aut vendidisti aut commutasti aut per estimationem dedisti; et quid ego? quid pater meus? per 40 annos habemus possessam.

Petre, te appellat Martinus tuus nepos, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Pater tuus donavit michi aut vendidit, et ego per 40 annos habeo possessam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Donatus tuus frater vendidit aut donavit, et ecce cartam. — Et quid pertinuit ad fratrem meum? — Tu ei donasti aut per estimationem dedisti; et quid ego? quid frater tuus? per 40 annos habemus possessam. — Iuret suam possessionem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram in tali

---

referri ad possessionem, immo referendum est ad « donationem aut ad comparationem aut ad extimationem » superius positam. — § 8. Quod in hac lege scriptum est: « aut quomodo presumpserit dicere », intelligendum est, si a parente cui equaliter successerat per ordinationis cartulam ei devenerat aliquid. — § 9. Si quis adversus fratrem de rebus aliter quam per hereditatem habitis contenderit, non 40 sed 30 annorum possessionem nominabit. — § 10. Si quis de terra a fratre venditoris fuerit appellatus, usu dicere licebit, a se et a venditore 40 annis esse possessam; se vero 30 annorum possessorum respondere, nichil impedit. — § 11. Res divisas et in extimationem datas segregat huiusmodi differentia: quia in extimationem datis rebus non est unquam quantitatis coaequatio sed aptitudinis comparatio, in divisione quantitatis adaequatio exigitur. — § 12. Quia in hac lege inter fratres et nepotes tantum scriptum est, conantur quidam ab hac sententia ceteros parentes excludere: sed legum mos est, universaliter a quibusdam rebus incipere et in quasdam specialiter desinere, velut in Rotharis lege quae est « Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium » (Roth. 343), ubi de quolibet animalium est inceptio et caballum tantum continet finis. — § 13. Quod argumentum tamen non a peculio vel equo ad parentes et fratres et nepotes tractum est, sed ab inceptionis finisque similitudine. Cum vero a pluribus locis trahatur argumentum, et argumentum sit oro(?) dubie rei faciens fidem et argumentum a simili tractum in legibus valet per plurimum. — § 14. Notandum est quoque, quod hac lege possessor cogitur dicere titulum sue possessionis, et, quod possessio absque iusto titulo non valeat, videri potest in eo quod dicit: « qui per 40 annos possedit qualiter presumit dicere per sacramentum ad sancta Dei evangelia affirmet quod de alio » et cetera. — § 15. Hec lex in parte rupta est ab Octonis capitulo quod est « De investitura predii » (Ott. I, 3), quia, si appellatio fuerit iuxta predictum capitulum facta, non iuxta hanc legem exinde eundum est, immo iuxta predictum capitulum.

loco malo ordine. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Per cartam. Et tibi, quid pertinet? — Per cartam. — Date vadia adinvicem, unus de ostendere cartam de uno fratre, et alius de alio. — Et si nullus ex fratribus venerit in auctoritatem, dicat ipse qui tenet possessionem de 30 annis.

Et haec est responsio secundum asinos; sed ita sit:

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod terra quae in tali loco est, quam tu tenes, sua media est. — Nolo ei respondere, nec ille debet adversus me agere, quia per 40 annos possedi. — Vere possedisti, sed malo ordine. — Non malo ordine possedi, quia tu michi donavisti vel vendidisti aut commutavisti aut in estimacione dedisti. — Et ita iuret. Similiter respondeatur in caeteris actionibus, quantum ad hanc legem.

Vl. (Walcausus? Wilthelmus?) Ita: haec lex modo nichil paene est, quia preteriit, et de possessione preterita loquitur, non de ventura. Ideo aliud ius dedit possidenti ad ostendendam rem esse suam, id est sacramentum. Sed tamen voluit de ventura, ut sola possessio sufficeret, quod videri potest in kapitulo Lodoyci « Si quis res ».

71. II. Si quis alio asto conpellaverit de pugna, quod solet fieri per pravas personas, preveat sagramentum ipse qui conpellat solus, et dicat iuratus, quia non asto animo eum per pugna faticare querat, nisi quod certam habeat suspitione, sive de furto fuerit, sive de incendio, aut unde ipsa conpellatio agitur. Et si hoc iuraverit, postea vadat exinde pugna; si autem menime iurare praesumpserit, non fiat ipsa causa per pugna iudicata aut finita.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili quod valebat solidos 100. — De torto me appellat.

72. III. Si quis liber homo ad alium liberum hominem consilium dederit periurare, aut casa alterius incendere, ubi homo cum rebus

---

72. Eum, qui de alia re quam in hac lege precipitur alicui consilium dederit, ille qui passus est iuxta Romanorum legem, ex eius « dolo factum esse » (Dig. IV, 3, 1, 1) appellare potest. — § 2. Eo quod in hac lege habetur: « unde compositio datur, per ipsum qui malum egit », dicebant antiqui, consiliatorem nichil compositurum esse, nisi malefactor prius componeret; sed solummodo pro determinatione compositionis consiliatoris hoc dixit. — § 3. Quod in hac lege dicitur: « iuxta qualis causa fuerit », non ad consiliatorum compositionem, sed ad causam unde consilium dedit referendum est, videlicet si causam 20 solidorum aut plus aut minus incendendi consilium dedit consiliator malum. — § 4. Hec lex ideo « nam per pugnam non fatigetur » posuit, ne quis crederet, eum per pugnam posse fatigari qui consilium posuit incendii, cum de incendio superiori lege pugna iussa est fieri. — § 5. Quod in hac lege habetur: « medietatem ex omnibus istis capitulis », ita intelligendum est: scilicet medietatem ex his sententiis.

suis inhabitat, aut mulierem alienam vel puella tollere vel rapere, et causa provata fuerit, conponat pro ipso inlecito consilio, quod contra rationem ministravit, solidos centum; ita sane, ut inter ista capitula, quae diximus, unde conpositio datur per ipsum qui ipsum malum agit, solidos nongentos, ipse consiliator conponat solidos centum; et unde conpositio fiet de solidos trecentos, consiliator conponat solidos quinquaginta, et si minus de trecentos solidos fuerit ipsa conpositio, consiliator conponat solidos 40, minus non; mediaetatem ex omnibus suprascriptis capitulis in palatio regis, et mediaetatem cuius causa fuerit. Et si ipse de quo dicitur, quod suprascripta mala consiliassit, vetare voluerit, quod talem consilium non dedissit, preveat sagramentum cum legetimis sagramentalibus suis, iuxta qualis causa fuerit [*Roth.* 359] et sit absolutus, nam per pugna non fatigetur. Nam si rei veritas manifestata fuerit, conponat ut supra.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti consilium ad Donatum de incendere unam suam casam, quae valebat solidos 300, et ipse incendit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti consilium ad Stephanum, quod se periuraret de tali terra, aut dedisti consilium, ut incenderet unam suam casam, aut rapere unam suam mundoaldam, vel tolleret. — Non est verum. — Aprobet si potest; si non, ille se exdicat, et si non potuerit se exdicere, si malefactor debuerit componere solidos 900, ipse consiliator componat solidos 100, et si 300, ille 50, et si minus de trecentis, ipse consiliator 40, minus non.

73. IIII. De donatione quae sine launigild aut sine thingatione facta est, menime stare deveat. Quia et sic specialiter in edictum non fuit institutum, tamen usque modo sic est iudicatum: ideo pro errore tollendum hoc scribere in edicti paginam iussimus. Et qui fuerit propinquus parens, ipse succidat, et si ille supraestis fuerit, qui ipsam donationem sine launigild dedit, possit eam a se recollegere; excepto si in ecclesiam aut in loca sanctorum aut in exeneo-

---

73. Lex ista Rotharis legem « Si quis res snas cuicumque donaverit » (Roth. 175) affirmat, quia ille donationem sine launechild factam nichil valere declarat similiter. — § 2. Rumpit et Rotharis legem quae est « Si libertus qui fulfreal » (Roth. 225), in qua donatio donatori redire precipitur, nulla posita differentia utrum tale launechild datum sit necne; sed non est intelligendum ruptam esse, quia de sola donatione absque launechild facta est. — § 3. Ideo quod lex ista donationem cum launechil factam valere precipit, non est intelligendum, donationes contra leges superius (Roth. 168, Liutpr. 64) positas, que filium aut filiam exhereditarent, valere precipisse, quia, dicens: « usque modo sic est iudicatum », aperte declarat, se non de alia alienatione dicere nisi de ea quae sola launechild absente evacuatur.

dochio pro anima sua aliquit quiscumque donaverit, stabile deveat permanere, quia in loga sanctorum aut in exeneodochio nec thinx nec launigild inpedire devit, eo quod pro anima factum est.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam donationis quam tu michi fecisti, et ecce cartam. — Si carta manifestat launechild, aut dicat falsam aut det poenam de carta. Si non manifestat launechild, fiat taliata.

Petre, te appellat Martinus, quod pater suus donavit tibi aut ad tuum patrem tanta mobilia quae valebant solidos 50, et non fecisti sibi widerdonem.

Petre, te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Petri, unde tu es advocatus, tenet sibi terram in tali loco malo ordine. — Ecce cartam quam pater tuus fecit ad monasterium. — Pars monasterii non fecit michi widerdonem. — Hoc non potest dicere, quia nec launechild, nec thinx impedit aecclesiae.

74. V. Si infans, dum intra aetate est, res suas cum fratribus aut cum parentibus suis dividere voluerit, aut si ipsi cum ipso infante dividere voluerint, faciat iudici noditiam; et ipse iudex faciat venire parentis ipsius, et una cum ipsis aut per se ipsum aut per missum suum, bonam personam deum timentem, res ipsas dividant; sic tamen ut omni tempore sortis stare debeant, et adequatio percurrat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Illam terram dico esse meam, quia, quando tu eras infra aetatem, voluisti dividere mecum, et comes divisit ipsam terram, aut per se aut per missum suum, et tui parentes fuerunt. — Aut probet, quod sic fuisset facta divisio, aut perdat.

75. VI. Si infans dum intra aetatem est, causam habuerit cum

---

74. Lex ista infantem res suas dividere, sed non extimationem commutationem aut venditionem facere permittit. — § 2. Quod in hac lege scriptum est: « res suas » non infantis proprias, sed communes oportet intelligere.

75. In eo quod hec lex dicit: « ut ipse qui causam suam querit non perdat iustitiam suam pro eo quod ipse infans intra etatem esse videtur », notari potest, hanc legem de accione adversus infantem habita tantum egisse. Sed si infans adversus alium agere debuerit, iuxta Pipini capitulum « Ut vidue et orphani » (Pipin. 5) dentur ei tutores, deindeque cum ipsis adversus alios agat. — § 2. « Pro diffiniendis causis quas super precepimus » non in hanc legem sed ad superiorem (Liutpr. 73) referendum est, cum hac lege [missi nulla fit mentio]. Unde sepe talis ponitur questio: si infans, dum intra etatem est, causam habuerit cum extraneo et iudex missum suum ad ipsam diffiniendam delegaverit et missus cor suum in fraude declinaverit aut fuerit ea quae oportuna non sunt, ut infans dampnum habeat, qui intra etatem, et probatum fuerit quod fraudem fecisset: queritur, utrum ea que fraudulenter divisit ipsi infanti de suo proprio restaurare debeat vel non, et utrum sortes stabiles permanere debeant aut non? Sed si quis dixerit, missum illum de suo pro-

qualecumque hominem, similiter faciat iudex parentis ipsius propinquos venire, et accedat aput locum cum ipsis parentibus, et deliberit causam ipsam per iustitiam, et faciat noditiam, in quorum presentiam causam ipsam deliberaverit, et iudicatum suum emittat, ut ipse qui causam suam quaerit, non perdat iustitiam suam pro eo, quod ipse infans intra aetate esse vedetur. Iudex autem, quomodo ordinaverit, aut qualiter fecerit causam in his capitulis de eo qui intra aetate est, habeat retribotorem deum omnipotentem, sive in bono sive in malo. Et missus ille, quem iudex direxerit pro diffiniendum causis, quae supra precipimus, si in aliqua parte cor suum in fraude declinaverit, aut fecerit ea quae oportuna non sunt, ut ipse infans damnum habeat, quae intra aetate est, et non fecerit aequalitatem et provatum fuerit, quod fraudem fecissit aut conludium contra ipsum infantem statuissit, de proprio suo restaurit, quod fraudolenter divisit. Hoc ideo proinde dicimus, ut infans ille, qui causam suam nescit legitime procurare, damnum non habeat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Non tibi respondeo, quia ecce noticiam, per quam tu fecisti michi finem de ipsa terra, quando tu eras infra aetatem.

Petre, te appellat Martinus, quod quando ipse erat infra aetatem, volebat dividere cum suis fratribus, et comes terrae misit te ad ipsam divisionem, et per tuam fraudem fuit dampnatus solidis 100.

76. VII. De religiosa femina, quae vestem et habitum sancte religionis in se suscepit, si contegerit ex peccato ut adulterium volontariae comittat, qui ipsa sanctemonialem feminam adulteraverit, conponat solidos 200; quia de secularibus feminis edictus contenetur [*Roth.* 189], ut conponatur pro adulterium sol. 100, et nos prospe-

---

prio restauraturum que fraudulenter divisit, et sortes fore permansuras, male dixerit; quia lex superior non iubet alias sortes fore permansuras nisi eas que inter fratres aut parentes fuerint. et hec lex non iubet alias restaurari nisi eas que missus inter fratres aut parentes fraudulenter divisit. Etenim nullus preter iudicem iuxta hanc legem causam, quam infans habeat cum extraneo, diffinire permittitur. — § 3. Quamquam iuxta hanc legem missus de proprio suo restaurare cogitur ipsi infanti, que fraudulenter divisit, sortes tamen non ita permanebunt ut ipse deliberavit; quia superior lex non alias sortes stare iussit, nisi quas missus Deum timens aut iudex constituit; sed missus fraudulenter dividens non erat Deum timens; quare non ita permanebunt, sed dividentur ut equatio percurrat.

76. Quia femina, dum velatur, iuxta Lodoyci capitulum quod est « Ut omnis ordo ecclesiarum » (Lud. P. 53) Romana efficitur, adulter eius mortis est subiturus sententiam iuxta Novellarum legem (Iulian. nov. 115, 67). — § 2. In eo quod hec lex velate femine mechate res publico devenire precipit a Lotharii capitulo quod est « De sanctimoniali femina » (Loth. 6) affirmatur.

ximus veram esse iustitiam, ut in dei omnipotentis causam et sancte eius genetricis mariae, cuius vestem suscipiunt, duplicentur. De pecunia autem eiusdem religiosae feminae, quae, quod absit, volontariae adulterium penetraverit, sic fiat, sicut iam antea de religiosis feminis statuimus [*cap.* 30], quae se marito copolaverit.

77. VIII. Si duo fratres, aut si pater et filius thingati fuerent, si unus ex ipsis sine filiis filiabus mortuos fuerit, curtis regia ei succedat. Ideo autem hoc scripsimus, quia et si adfictum in edictum propriae non fuit, tamen omnes iudices et fidelis nostri sic dixerunt, quod cawerfeda antiqua usque nunc sic fuissit.

78. VIIII. De possessione, qui aliquit de pnplico habit, et per sexagenta annos quietos possedit, leceat eum inantea sine aliqua molestatione habere et possedere. Hoc autem ideo statuimus, quia possessio aliorum hominum secundum langobardorum legem [*Grim.* 4] in triginta annos finitur; causas quidem regalis, unde conpositio expectatur, dublicatas statuit decessor noster rothari rex [*cap.* 369] conponere: propterea nobis rectum cum nostris iudicibus conparuit esse, ut et in ista causa de possessione duplicentur ipsi anni, ut fiant 60. Et si aut iudex aut actor noster ipsum, qui possessionem talem habit, pulsaverit, quod ipsam rem iniuste possedissit aut invasissit, et non

---

77. Non est intelligendum, hanc legem de aliis libertinis nisi de amonibus et de ceteris, quibus pars publica succedere debet, veluti sunt impantes, esse locutam, quod insinuat dicens: « cadarfida — id est consuetudo — antiqua usque nunc sic fuisset »; quia hec lex, si intelligeretur de fulfrealibus tantum fore locuta, iam semetipsam videretur reprehendere in hoc quod dicit: « curtis regis ei succedat » et postea dicit: « quod cadarfida antiqua usque nunc sic fuisset », cum legibus retropositis (Roth. 224, 225) patroni fulfrealibus tantum succedunt, non curtis regia, et cum secundum legem retropositas consuetudo procedebat. — § 2. In eo quod lex ista dicit: « si pater et filius thingati fuerint et unus ex ipsis sine filiis filiabus mortuus fuerit ut regia curtis ei succedat » ab Institutionum lege: « Hoc loco necessarium est » dissidet, in qua, si pater et filius vel mater, filius filiave manumissi fuerint, ut sibi invicem succedant, precipitur (Inst. III, 6, 10).

78. Lex ista dicens: « et 40 annos quietus possedit, liceat ei et inantea sine aliqua molestia habere et possidere » dat intelligi, quod inquieta possessio nichil valeat. Inquieta possessio dicitur, in qua appellatio interponitur. — § 2. Lex haec dicens: « duplicatas statuit decessor noster Rotharis rex componere » Rotharis legem que est « Omnes vero regales cause » (Roth. 370) reducit memorie. — § 3. Si iudex aut actor 40 annorum possessorem de invasione possessionis rei appellavit, iuxta Octonis capitulum quod est « De investitura predii » (Ott. I, 3) firmetur per pugnam. — § 4. In eo quod hec lex dicit: « dicat iuratus ad sancta Dei evangelia vel de se vel de patre vel de avo, quod ipsa res sibi per principem, qualem ausus fuerit nominare, data fuisset », notari potest, quod possessor cogitur dicere titulum sue possessionis. Notandum est quoque, quod huius legis littera, que est « et si hoc ausus facere non fuerit » etc. ita legitur, scilicet ut dicamus: « si ausus non fuerit iurare aut si forte ausus fuerit iurare » etc. — § 5. Eo quod in hac lege habetur: « si gastaldius aut actor probare potuerit, quod completis 40 annis possessio ipsa non sit » datur intelligi, quod non cogitur ostendere preceptum, si possessionem habuerit. — § 6. Lex hec dicens: « sicut nec de aliorum servis vel de aldionibus » Rotharis leges (Roth. 233-235) que sunt « Servus cuiuscumque » « Si quis de servo comparaverit » « Servus massarius » corroborat. — § 7. Si possessor rem possessam non ex parte publica sed aliunde sibi devenisse dixerit, 30 annorum spatium in possidendo fuisse sibi sufficit.

sint conpleti sexaginta anni: tunc ille cuius possessio est, dicat iuratus ad sancta evangelia aut de se aut de patre aut de avio, quod ipsam rem per principem, qualem ausus fuerit nominare, ipse aut parentis ipsius per sexaginta annos possedissit, nec eam per legem dimittere deveat, et sit postea securus. Et si hoc facere ausus non fuerit, aut forte gastaldius aut actor provare potuerit, conpleti sexaginta anni possessio ipsa non sit, et veritas apparuerit, quod de puplico fuissit: aut ostendat preceptum aut amittat ipsam rem, si sexaginta anni in ipsa possessione non fuerit conpleti. Et si forsitans aliquis de servo aut de haldione domno regis conparavit, et provata causa fuerit, relaxit ipsam rem in puplico, quia de servo aut de haldione regis possessio vinditionis esse non devit, sicut nec de aliorum servis vel haldionibus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco ad partem publicam, unde ipse est advocatus. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Ego habeo possessam per 30 annos. — Tunc advocatus probet, quod fuisset de publico, et dicat ipse possessionem per 60 annos. Si dixerit: « imperator Otto dedit ipsam terram ad meum patrem, et quid ego, quid meus pater? per 60 annos habemus possessam », interroga advocatum, si potest probare, quod pars publica fuit investita infra istos 60 annos; si non potest probare, iuret suam possessionem. Si dixerit: « mea propria est per preceptum », aut ostendat preceptum, aut perdat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem publicam, unde ipse est advocatus. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Donatus michi vendidit. — Da vadia de auctore. — Vendidisti michi ipsam terram? — Sic feci. — Tunc dicat advocatus: « non potuisti vendere, quia tu es servus de parte publica ». — Liber sum nascendo. — Si ipse potuerit probare suam libertatem, habeat ipse terram, et si non potuerit, sit servus, et ipse perdat terram. Si dixerit: « in loco auctoris volo stare », et ostenderit cartam, tunc dicat advocatus: « non potuit tibi vendere, quia erat servus de parte publica ». — Probet ipse qui habet cartam, quod erat liber, quando fecit cartam; et si non potuerit, advocatus probet, quod erat servus; et si non potuerit, ipse qui habet cartam iuret cum suis sacramentalibus, quod erat liber, quando fecit cartam.

Set ita: Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est quam tu tenes est rei publicae, cuius est advocatus. — Non

debeo inde respondere, quia possedi per 60 annos. — Illa possessio parum tibi valuit, quia pars publica interrupit tibi illam possessionem, et non quiete possedisti. — Aut: possedisti, sed iniuste et malo ordine, quia eam invasisti. — Non iniuste nec malo ordine, quia rex illi michi fecit preceptum. — Aut: non sunt completi 60 anni.

79. X. De eo homine, qui cavallo in mercato conparare voluerit, ut ante duos aut tres homines eum emere deveat, nam non segrete; et si aliquis postea ipsum cavallum cognoverit, habeat testimonia, in cuius presentia conparavit, et ei postea furti calomnia non fiat. Et si ad ipsos testes non credederit, qui furtum querit, firment ipsi testes per sagramentum, excepto si tales homenis fuerent, quibus rex aut iudex sine sagramento credere possit. Et si homenis non habuerit, in quorum presentia conparavit, nisi simpliciter dixerit: « quod conparavi de franco aut nescio de qualem hominem », conponat ipsum cavallum pro furtum.

80. XI. De furonibus, ut unusquisque iudex in civitatem suam faciat carcirem sub terra: et cum inventus fuerit, ipsum furtum conponat, et conpraehindat eum et mittat in ipso carcire ad annos duo vel tres, et postea dimittat eum sanum. Et si talis persona fuerit, ut non habeat, unde ipsum furtum conponere, debeat eum dare in manus illius, cui ipsum furtum fecit, et ipse de eo faciat quod voluerit. Et si postea iterum ipse in furto tentus fuerit, decalvit eum, et cedat per disciplinam, sicut devit furonem, et ponat ei signum in fronte et faciae. Et si nec sic emendare voluerit, et post ipsas districtiones in furtum tentus fuerit, vindat eum foris provincia, et habeat sibi iudex praetium ipsius; verumtamen ut provata causa sit, et non eum sine vera provatione deveat vindere.

81. XII. Si quis homo cavallum perdederit aut aliam qualemcumque rem, vadat ad iudicem qui in loco positus est, ubi furtum factum fuerit, et dicat ei omnia, qualiter ei contegit. Et si iudex neclectum fecerit ad inquirendum ipsum furtum, conponat de proprio suo furtum ipsum. Et si dixerit, quod nullum neclictum fecissit, preveat sacra-

---

79. Si quis in mercato equum emerit, quamquam inde testes habeat, si tamen furti interpellatus fuerit, aut sibi nonum componet aut iuxta Octonis capitulum quod est « De furto aut scacho » (Ott. I, 6) se per pugnam defendet. — § 2. In eo quod lex ista dicit: « et si homines non habuerit, in quorum presentia comparavit, nisi sempliciter dixerit, quod comparasset de Franco, componat ipsum caballum pro furto », Rotharis legem « Si quis caballum emerit » (Roth. 232) rumpit, in hoc quod dicit: « tunc prestito sacramento reddat caballum ». Sed quia lex illa magis in usu habetur, lege ista est valentior.

mentum, quod neclictum ad inquirendum non fecissit, nisi quod invenire non potuissit, et sit apsolutus. Quod si iurare ausus non fuerit, conponat ut supra ipsum furtum de proprio suo.

Petre comes, hoc te appellat Martinus, quod unus caballus erat sibi abstractus furtive, et ille tibi dixit, quomodo illi evenerat, et tu habuisti neglegentiam inquirere ipsum caballum aut aliam rem. — Tunc comes faciat sacramentum, quod non fecit neglegentiam, et si ausus non fuerit iurare, reddat pro furto.

82. XIII. Si quis carrum et boves in silva sua invenerit, et lignamen superposito aut cum qualemcumque rem honerato, et ipsos boves aut carro conprehindere et ad propriam suam duxerit, non sit culpavelis pro eo, quod in rebus suis invenit.

83. XIIII. De omnibus iudicibus, quando in exercito ambolare necessitas fuerit, non dimittant alios homenis, nisi tantummodo qui unum cavallo habent, hoc est homines sex, et tollant ad saumas suas ipsos cavallos sex; et de minimis hominibus, qui nec casas nec terras suas habent, dimittat homenis decem: et ipsi homenis ad ipsum iudicem faciant per ebdomata una operas tres, usque dum ipse iudex de exercito revertitur. Sculdahis vero dimittat homenis tres, qui cavallûs habent, ut tollant ad saumas suos cavallos tres; et de minoribus hominibus dimittat homenis quinque, qui faciant ei operas, dum ipse reversus fuerit, sicut ad iudicem dixemus, per ebdomata una operas tres. Saltarius quidem tollat cavallo uno, et de minoribus, qui ei operas faciat, tollat homine uno, et faciat ei operas, sicut supra legitur. Et si amplius iudex vel sculdahis aut saltarius dimittere presumpserit homines sine regis permisso aut iussione, qui in exercito ambolare devit, conponat wirgild suo in sagro palatio.

Haec omnia superius conpraehinsa, quae antea per iudicium finita et statuta sunt, et terminum positum est, sic maneant, sicut antea sunt statuta; quae autem modo emerserent, sic terminentur, sicut nunc in presenti paginam adfiximus.

Explicit [de] anno XIIII.

INCIPIT DE ANNO QUINTODECIMO (*p. Chr.* 727).

Iam enim . . . vicibus illa in antico edicti corpore aucmentare previdemus, quae credimus deo et bonis hominibus placita esse: modo quidem una cum nostris iudicibus et reliquis langobardis fidelibus nostris, diae kalendarum martiarum, anno deo protegente regni nostri

quinto decimo, indictione decima, iterum pro quietudine pauperum et omnium langobardorum fidelium nostrorum tranquillitatem prospeximus in edicti corpore illa adiungere, unde antea erat incerta definitio, quoniam alii volebant per usum, alii per arbitrium iudicare. Sed melius nunc est, ut ille inponatur terminus, unde nostri subiecti non fatigentur; et qualiter omnium unus fuit una nobiscum consensus, ita amodo et in futuro deveat permanere. Primum omnium statuere previdemus pro christianae et catholicae legis defensione, quatinus nullus a fide christi oberrare presumat, sed firmiter in ea permanentis deum possemus habere defensorem atque propitium.

84. I. Si quis timoris dei immemor ad ariolûs aut ad ariolas pro aruspiciis aut qualibuscumque responsis ab ipsis accipiendis ambolaverit, conponat in sagro palatio medietatem pretii sui, sicut adpretiatus fuerit, tamquam si eum aliquis occisissit, et insuper agat penitentiam secundum canonum instituta. Simili modo et qui ad arbore quam rustici sanctivum vocant, atque ad fontanas adoraverit, aut sagrilegium vel incantationis fecerit, similiter mediaetatem pretii sui conponat in sagro palatio. Et si quicumque, sciens ariolum aut ariolam, non eos manefestaverit, aut illos celaverit, qui ad ipsos vadent et non manefestaverit, supra scriptae poene subiaceat. Qui autem servum suum aut ancillam ad ipsos ariolûs aut ariolas transmiserit ad aliqua responsa ab eis recipienda, et provatum fuerit, suprascripta poenam conponat. Si vero servus aut ancilla sine volontate dominorum suorum, et tantum ex sua auctoritatem ad ariolum aut ariola ambolaverit, similiter ad aliqua responsa accipienda, tunc dominus eorum venundare eos deveat foris provincia. Et si neglexerit dominus eorum hoc facere, suprascriptae poenae subiaceat.

85. II. Si quis iudex aut sculdahis atque saltarius vel deganus de loco, ubi arioli aut ariolas fuerit, neglexerit amodo in tres mensis eos exquirere et invenire, et per alios homines inventi fuerent, tunc conponat unusquisque de locum suum medietatem pretii sui, sicut supra legitur. Et si manefestatum fuerit, quod sciat iudex aut sculdahis vel saltarius aut deganus, ubi ipsi arioli aut ariolas sunt, et eos non condemnaverit aut premium tolerit, aut quasi causa piaetatis vel pro qualicumque genio absolserit: tunc integro wirgild suo in sagro palatio conponat. Nam si per iudicem inquisiti aut inventi fuerent sine noditia sculdahis, tunc habeat ipse iudex potestatem foris provincia eos vindendum et praetium sibi tollendum atque habendum; nam si per sculdahis inventi fuerent, mediaetatem de ipso praetio tollat iudex et mediaetatem sculdahis. Et si deganus aut sal-

tarius ipsos ariolûs aut ariolas vel suprascriptûs sagrilecûs invenerit et sculdahis suo manefestaverit, tunc tertiam partem ipse saltarius aut deganus de ipso pretio per quem inventi fuerent, habeat sibi, et duas partis tollat ipse sculdahis. Et ita prospeximus, ut unusquis iudex et sculdahis faciat mittere preconem, ut qui usque modo ipsa nec dicenda opera egerunt, sive masculus sive femina, ut amodo non fiat; et si amodo non fecerent, non vadant venales. Nam si post ipsum preconem in talibus malis operibus inventi fuerent, poenae suprascriptae subiaceant. Et ita volumus atque precepimus ut unusquisque sculdahis et saltarius atque deganus iurare debeat iudici suo ad sancta dei evangelia, quod in ista causa nullum neclictum ponant; quia iustum est, ut dum in nostra causa neclictum ponere non presument nec nobis celare, qui contra nos agent aut consiliant: quantum magis non debent neclictum in dei causa ponere, quae plus est, ad inquirendum.

86. III. Si quis cavallum alienum in damnum suum invenerit, et iuxta anteriore edictum [*Roth.* 343] ad clausura minaverit, et illam rationem fecerit quam edictus anterior cernit, sic exinde procedat iudicium, sicut gloriosae memoriae rothari rex instituit. Nam si amplius aliquid in ipso cavallo facere presumpserit, quam edictus anterior contenit, si ipse cavallus nichil mali passus fuerit, conponat

---

86. Lex ista dicens: « sicut a gloriosissimo rege Rothari est institutum » de equo tantum Rotharis legem quae est « Si quis caballum aut quodlibet peculium » (Roth. 343) corroborat in hoc quod dicit: « et si istam cautelam observaverit, erit absolutus a calumpnia ». — § 2. Hec eadem eandem legem Rotharis partim rumpit, in qua, si quis equum ad comitem vel conventum quater aut quinquies ductum plus quam suum aggravaverit, nullo discrimine posito utrum lesus sit necne, sibi nonum emendare precipitur; hic vero, si nichil mali passus fuerit caballus, sanus restitui et medietas tantum pretii eius conponi precipitur, si autem lesus aut mortuus fuerit, sibi nonus reddi, sicut in eadem Rotharis lege precipitur, et insuper pretii eius medietas, sicut in hac lege scriptum est. — § 3. Si quis equum in dampno inventum et ad comitem vel ad conventum, iuxta quod lex precipit, ductum non presumptione sed sui utilitate leserit, non eum debet ad sanandum suscipere, quandoquidem inde mortuum non est cogendus componere. Si vero presumptione eum leserit, et, antequam inde appellatur, sanus factus fuerit, non medietatem tantum, sed sibi nonum et pretii eius medietatem insuper componet. Sed antiqui iudices, eo quod in hac lege legitur: « et ipsum caballum sanum restituat », dicebant, equum sibi nonum non esse componendum. Sed male dicebant: quia hec lex dicens: « nam si ipse caballus » et cetera, nulla interposita differentia utrum ante appellationem sit sanus aut non, sibi nonum componendum esse precipit. Si plus quam suum eum aggravaverit, et, antequam inde appelletur, morbo aut lesione obierit seu lesus fuerit, non sibi nonum, ut antiqui iudices volebant, sed pretii eius medietatem compositurus est, quia hec lex alium non precipit sibi nonum componi nisi eum, qui ipsa aggravatione mortuus aut lesus fuerat. — § 4. Si quis equum in dampno suo repertum nec ad comitem nec ad conventum ductum plus quam suum aggravaverit, et aliquid mali passus fuerit, quaeritur, qua lege sit componendus? Dicitur, quod iuxta Rotharis legem quae est « Si quis caballum aut quodlibet peculium » sibi nonus est componendus, cum hec lex nichil de caballo non ad conventum ducto precipit; quia enim in hac lege habetur: « nam si amplius aliquid in ipso caballo facere presumpserit », id est si non custodierit tanquam suum proprium, de solo caballo ad conventum ducto dictum esse putandum.

pro ipsa inlecita presumptione, iuxta qualis ipse cavallus fuerit, medietatem praetii quantum ipse cavallus adpretiatus fuerit, pro ipsa inlecita presumptione, et ipsum cavallum sanum restituat dominum eius. Nam si ipse cavallus mortuus aut lesus fuerit, sic conponat, sicut in anteriore edictum legitur, et insuper pro ipsa inlecita presumptione conponat ut supra.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti unum suum caballum in tuo dampno, et minasti ad clausuram et habuisti neglegenciam eum ducere ad iudicem vel ad conventum. — De torto. — Si dixerit: ecce caballum, dic:

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti in ipsum caballum plus quam in tuum proprium. — Non feci. — Approbet appellator, aut se idoneet appellatus.

87. IIII. Si quis cum servo aut haldione vel cum pertenentem alieno de qualiscumque re convenerit sine noditia domini eius, quae in anteriore edicto [*Roth.* 233-235] non contenetur, et provatum fuerit, quod res domini sui naufragassit, tunc reddat ipsam rem, qui eam suscepit absque praetio, domino eius, ita ut satisfaciat per sagramentum, quod amplius exinde non tolissit. Postea dominus eius faciat de servo aut de aldione suo, quod illi placuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu comparasti decem modia de frumento de Marcoardo suo servo. — De torto. — Si dixerit:

---

87. Hec lex « pertinentem » pro filio vel uxore seu pro femina que sub alterius mundio est, secundum Wilihelmum, pro « servo » ancillam, pro « aldione » aldiam hic intelligentem, posuit. Sed secundum Ugonem lex ista « pertinentem » pro ancilla et aldia posuit, cum lex Longobarda nullum nisi respectu servi vel ancille vel aldii vel aldie dominum vocet. — § 2. Notandum est quoque, quod hec lex secundum Wilihelmi sententiam Rotharis legibus que sunt « Item sicut nec patribus » et « Nulli mulieri libere » concordat; secundum utriusque sententiam his legibus Rotharis que sunt « Servo cuiuscumque » « Servus massarius » « Non liceat aldio cuiuscumque » (Roth. 233-235) concordat. — § 3. Quod in hac lege scriptum est: « quod in anteriori edicto non continetur », ita oportet intelligi, quod anterius edictum neminem cum servo vel alterius pertinente sine domini notitia convenire permittat. — § 4. Quod vero legitur: « et probatum fuerit, quod res domini sui naufragasset », pro solo servo massario dictum esse putandum est, quia in iam dictis Rotharis legibus nullus alius servus de peculio suo vendere nisi servus massarius permittitur. — § 5. Si quis Romanus Longobardi servo absque notitia domini aliquid mutuo dederit quod in domini proficuo expendatur, debet dominus illud persolvere, sive aliquid servi dominus habeat sive non: sin autem in eius proficuo non fuerit expensum, iuxta quod de servi rebus habuerit, debet persolvere, quod in Institutionum quarti libri lege que est « Quia tamen superius mentionem habuimus » (Inst. IV, 7, 4) patet. — § 6. Item si Longobardus Romani servo sine domini notitia mutuo dederit, quandoquidem unusquisque secundum suam legem satisfactionem accipit (Pipin. 27) et Longobardorum lex absque domini notitia cum alterius pertinente convenire prohibet, nichil inde solvendum est. Iuxta tamen predictam Institutionum legem contendi potest, esse persolvendum, eo quod ipsa generaliter loquitur, hec vero tantum de Longobardi servo excogitata est. — § 7. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei 20 solidos, quos servo tuo Petro prestitit, debes. — § 8. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu absque eius notitia a Petro servo suo res solidos 20 valentes mercatus est.

« 5 modia comparavi », iuret, quod plus non comparavit, et reddat ipsum quod habet. Si dixerit: « ego feci per tuam iussionem », probet.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum bovem. — Donatus tuus servus ministerialis vendidit michi ipsum bovem per utilitatem tuae casae. — Approbet, aut perdat secundum quosdam; set secundum valentes iuret.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse deposuit ad tuam uxorem tanta mobilia quae valebant solidos 100. — Tu non fecisti per meam iussionem. — Probet ipse qui appellat, quod fecit per suam iussionem. — Aut: ad Iohannem tuum filium secundum quosdam.

88. V. De servis fugacibus, quia iam antea capitulum istum adfiximus [*cap.* 11], sed non est specialiter dictum, in quali spatium dominus eius eum perquirere debeat, ut iustitiam faciat, qui eum conpellat: modo vero ita prospeximus, ut si fuerit in beneventum aut in spoliti, habeat spacium dominus eius in mensis tres. Quod si fuerit intra tuscia, habeat spatium in mensis duo; et si fuerit ista parte alpe, habeat spatium perquirendum in mense uno, et faciat iustitiam, qui eum de servo suo conpellat.

89. VI. Si quis coniogi suae metam dare voluerit, ita nobis iustum esse conparuit, ut ille, qui est iudex, debeat dare, si voluerit, in solidos quadrigentos, amplius non, minus quomodo convenerit; et reliqui novilis homenis debeant dare in solidos trecentos, amplius non; et si quiscumque alter homo minus voluerit, quomodo convenerit. Et ipsa meta sub aestimatione fiat data et adpretiata, ut nullo tempore exinde intentionis aut causationis procedat.

Martine, insimul cum Petro tuo tutore, te appellat Iohannes, quod tu ei malo ordine tenes terram tali in loco positam. — Terra

---

88. Lex ista, unius mensis spatium ad perquirendum servum, si ex hac parte Alpium est, domino concedens, superius positam lege quae est « Si servus dum in fuga est » (Liutpr. 11) rumpit, in qua, ubicumque sit infra provinciam, trium mensium spatium perquirendum conceditur domino. — § 2. Quia in hac lege scriptum est: « iam antea capitulum affiximus », dicitur a quibusdam legem hanc non de aliis fugacibus, nisi de illis qui in fuga furtum facerint esse locutam. Sed errant; quia lex ista dicens « affiximus » alios reges qui de fugacibus servis locuti sunt, nullam ponentes differentiam, utrum in fuga an ante fugam furtum aut aliquod dampnum fecerit, sociavit, veluti Carolus legi Salicae, quam Theodoricus solus instituit, se immiscuit dicens: « Iubemus enim, ut propter nullam districtionem, quam nos facere iubemus » (Karol. M. 70).

89. Meta que in hác lege precipitur, non ab eo danda est, a quo morgincaph datum est coniugi: quia meta hec non pro alio, nisi pro eo quod morgincaph dare noluerit iniuncta est. Meta namque post connubium dari potest coniugi, morgincaph vero non. — § 2. Non putandum est, legem hanc a sequenti « Nulli sit licentia coniugi » (Liutpr. 102) esse ruptam, quae non ad hanc, sed ad superiorem « Si quis Longobardus morgincaph » (Liutpr. 7) respexit.

quam dicis est sua propria per cartam, quam vir eius fecit sibi. — Si carta manifestat ut dicit lex, dicat falsam aut taceat: si plus, refutet plus. — Si tamen et dicit: contra legem est ipsa carta, quia plus valebat quando tibi dedit. — Non est verum —, approbet, et refutet quod plus valebat. Secundum quosdam.

90. VII. Si quis res alienas, casas aut terras, aut pecunia aut familias malo ordine possederit, et per legem et iustitiam et per iudicium exinde convictus et expulsus fuerit, aliud exinde non conponat, nisi retro tempus reddat frugis et laboris sub sagramento, ab illo diae, quod exinde conpellatio facta et manefestata est.

91. VIII. De scrivis hoc prospeximus, ut qui cartolas scribent sive ad legem langobardorum, quoniam apertissima et pene omnibus nota

---

90. Appellatus, terram alienam malo ordine possidere, neque Romanorum neque Longobardorum lege cogitur suam esse probare; appellatori vero aut tacendum aut suam esse probandum iuxta Romanorum plerasque leges, quarum una hec est: « Possessiones, quas ad te pertinere dicis, more iudiciorum persequere » (Cod. IV, 19, 2). — § 2. Lex ista dicens: « malo ordine possederit » quibusdam videtur de eo solo, qui sciens res alienas possideat, dicere, eo quod in Institutionum quadam lege que est « Superest de officio iudicis » credens esse suam bone fidei possessor, sciens vero esse alienam male fidei possessor esse asseritur (Inst. IV, 17, 2). Sed veraciter arbitratum est, sive a sciente sive a nesciente res aliena [possessa esset], malo ordine dixisse eam esse possessam, quod in superiori lege, que est « Si quis molendinum » (Roth. 151) evidenter potest intelligi. — § 3. Legem iustitiam et iuditium, que in lege hac scripta sunt, huiusmodo discriminat Ro., quia legem ad scriptum, iustitiam ad equitatem, iudicium ad iudicum diffinitionem referendum. Unde concordat cuidam Codicis capitulo tercii libri: « Placuit in omnibus rebus, precipuam esse iustitie equitatisque, quam stricti iuris rationem » (Cod. III, 1, 8). — § 4. Fruges et labores ita oportet intelligi, ut fruges ad terram, labores vero vulgariter ad case censum et pecunie usuram et familie operationem referantur. Arbitrantur quidam, fruges et labores illos tantum, quos possessor habuit, esse reddendos. Sed rationabilius putandum est, tantum esse reddendum, quantum exinde vendicanti appellatori pervenire posset, si eam possedisset pacifice, quod in predicta Institutionum lege videri potest perspicue. — § 5. Opinantur quidam, tantum esse reddendum, quantum ab illa die inantea pervenire posset, ex quo appellatio facta est. Unde hec iniquitas procederet: quod nulle fruges inde darentur, contingere posset; quia placitum post appellationem nonnisi per dies 12 iuxta Longobardam legem (Roth. 362) differtur, et infra ipsos 12 dies nulle fruges recolligerentur, nisi messium aut vindemiarum tempus adesset. Sed iuxta veritatis sententiam ab illo die, id est post illum diem, ex quo manifesta compellatione possessor convictus et expulsus fuerit, tantum ab eo reddendum est, quantum retroacto tempore possessionis rei domino pervenire posset. Notandum est quoque, quod antiquissimorum sententia ab hac in eo tantum dissonet, quod iuxta illorum sententiam hic legebatur « in » loco « ab »; quod non est laudandum, quia fere contingere posset, scilicet quod in illa die, qua manifesta compellatione possessor victus et expulsus fuit, quantum retroacto tempore possessionis rei domino perveniret, reddi posset. — § 6. Non est intelligendum, hanc legem eo quod dicit: « aliud exinde non componant, nisi de retro tempore reddat fruges » retropositas leges (Roth. 355-356) in hoc, quod pro invasione 6 solidos componi precipiunt, rumpere; quia similiter dici posset, quod hec eadem lex rumperetur a Caroli capitulo, quod est « Si quis liber homo, contempta iussione nostra » (Karol. M. 79) vel a Pipini capitulo quod est « Ut nullus alteri presumat res suas » (Pipin. 23), in quibus pro invasione bannum componi precipitur. Quod non est laudandum; immo iuxta predicta capitula bannum, iuxta retropositas leges 6 solidos, iuxta hanc legem reddendo fruges et labores pro invasione est compositurus. Sed lex ista ideo dixit: « aliud exinde non componat », ne quis putaret, invasorem fruges et labores sibi nonos compositurum esse.

91. Superior lex Liuprandi que est « Si qua mulier » (Liutpr. 22) partim a lege ista rumpitur, in qua scriba contra legis ipsius sententiam scribens manum ammittere, hic vero widrigild tantum

est, sive ad romanorum, non aliter faciat, nisi quomodo in ipsis legibus contenetur; nam contra legem langobardorum aut romanorum non scribant. Quod si non sciunt, interrogent alteros, et si non potuerent ipsas legis pleniter scire, non scribant ipsas cartolas. Et qui aliter facere presumpserit, conponat wirgild suum, excepto si aliquid inter conlibertûs convenerit. Et si quiscumque de lege sua subdiscendere voluerit et pactionis aut conventias inter se fecerent, et ambe partis consenserent, isto non inpotetur contra legem, quia ambe partis volontariae faciunt: et illi qui tales cartolas scribent. culpavelis non inveniantur esse. Nam quod ad hereditandum pertinet, per legem scribant. Et quia de cartola falsa in anteriore edictum [*cap.* 243] adfixum est, sic permaneat.

Petre, te appellat Maria insimul cum Martino suo tutore, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. — Mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Ecce cartam quam tu michi fecisti. — Si carta manifestat de parente vel de mondoaldo et consensu mariti, quando fecit cum parentibus (Liutpr. 22), *dicat falsam aut taceat. Si carta non manifestaverit hoc, sit vacua, si Longobarda fuerit. Et si dixerit appellatus, quod non fuisset Longobarda, aprobet femina, se esse Longobardam; et si non potuerit, det duplum.*

92. VIIII. Si quis liber homo, in terra aliena resedens livellario nomine, humicidium fecerit et fugam lapsus fuerit, tunc ille, in cuius terra ipse humicida habitavit, habeat spatium in mense uno ipsum hominem perquirendum; et si eum invenerit, licentiam habeat ipsum hominem, quamvis liber sit, conpraehindendum et tradendum in manus illius cui humicidium fecit. Et si hoc non fecerit, dare deveat mediaetatem de omnibus rebus movilibus, excepto tectoras, quas in ipsa casa ipse humicida habuit. Quod si nec hoc voluerit facere ipse cuius terra est, dare deveat livellario nomine ipsa terra ei, cui humicidium factum est, ut reddat ei exinde, sicut ille reddebat, qui ipsum humicidium fecit. Tamen de his trebus capitulis in illius sit

---

iubetur componere. — § 2. Quod in hac lege habetur: « ut si quiscumque de lege sua subdescendere voluerit » ita intelligendum est, si quis de compositione legaliter sibi debita aliquid aut eam integram remittere voluerit; et diffinitionis eiusdem in cartule scribae nulla est inferenda calumpnia. — § 3. In eo quod lex ista dicit: « qui aliter facere presumpserit », datur intelligi, quod si ignoranter contra legem scripserit, nulla sit afficiendus molestia, quandoquidem presumptio non ignoranter sed a sciente audaciter committitur. — § 4. In eo quod lex ista de false cartule scriptoris manu amputanda Rotharis legem quae est « Si quis cartam falsam » (Roth. 247) affirmat, ab Institutionum lege ultima dissidet, in qua false carte scriptor in exilium mitti, servus vero mori precipitur (Inst. IV, 18).

potestatem elegendi, cuius terra est, ut faciat exinde unam qualem voluerit.

93. X. Si quis mulierem aut puellam aut religiosa femina, quae in alterius mundium est, in sacramento mittere presumpserit, conponat ad mundoald eius solidos numero quinquaginta, et in palatio sol. numero 50.

Petre, te appellat Martinus, quod tu misisti unam suam mundoaldam in sacramentum. — Aut excdicat aut componat solidos 50 regi et 50 mundoaldo.

94. XI. Si quis fream alienam sine volontatem de mundoald eius movere de casa, ubi inhabitat, presumpserit, et alibi duxerit, conponat ille qui in caput est, pro inlecita presumptione ad mundoald eius solidos numero octonta. Et si liberi homenis cum ipso fuerent, conponat unusquis per caput solidos 20; servi autem in conpositione domini sui compotentur. Nam si forte ille homo liber, qui ipsam fream de casa ubi est tolerit, et sibi uxorem duxerit, sic conponat, sicut gloriose memorie rothari rex in anteriore edicto [*Roth.* 186, 187] instituit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu movisti Mariam suam mundoaldam de casa ubi habitabat, et minasti ad aliam partem sine sua voluntate, et fuisti in capite.

Petre, te appellat Martinus, quod Donatus movit Mariam suam mundoaldam de casa ubi habitabat, et minavit in aliam partem et tu fuisti cum ipso.

95. XII. Si quiscumque liber homo ancillam suam pro religionis et munditiae causa vestem religiosam induerit, ut ei, sicut consuitudo terrae istius est, inferendam aut oblationem per loga sanctorum deveat deportare, et contegerit ex peccatis, ut quispiam homo eam oxorem ducat: ubicumque inventi fuerent, separentur, et conponat ipse, qui eam tolit oxorem, domino eius solidos 40, et illa revertatur in pristinum habitum. Quod si aliquis eam, quod absit, adulteraverit, simili modo componat domino eius solidos numero 40. Quia edictus

---

94. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod absque eius voluntate Bertam, quae sub mundio eius est, de casa in qua habitat movisti et alibi eam duxisti. — § 2. Lex ista dicens: « si forte ille homo est liber » patenter insinuat, de utriusque conditionis homine, id est de libero et servo habuisse initium, quod antiqui nolebant; velut habetur in Caroli capitulo, quod est « Si quis latro » (Karol. M. 84), in quo, licet habeatur: « dominus servi illius », non tamen est dubium, de servo incepisse et libero. — § 3. Lex ista servos in compositione domini sui computari precipiens insinuat, si dominum secuti non fuerint, tantum pro eis esse conponendum, quantum pro eo conponerent liberi. — § 4. Si mulierem movens eam in coniugium duxerit, 40 solidos compositurus est (Roth. 188), a compositione solutis sequacibus.

anterior [*Roth.* 194] de gentile ancilla adulterata viginti solidos contenit, ut conponatur, de dei quidem ancilla iustum est, ut compositio dublicetur. Verumtamen sic statuimus, ut si provata causa fuerit per presveterum aut alium sacerdotem, quomodo ipsa vestem religiosa induta est, ut non fiat alicui homini calomnia pro figmento, sed pro certa veritate; et dum provatio vera facta fuerit, sic ipsa compositio fieri deveat.

Haec autem omnia, quae modo in presente edicti corpore adfixemus, si deinceps causa emerserit, sic deveat fieri terminata, sicut nunc statuere visi sumus; quae antea emerserunt, sic determinentur, sicut anterior institutio fuit.

Explicit de anno XV.

INCIPIT DE ANNO SEXTO DECIMO (*p. Chr.* 728).

Pluribus iam quidem vicibus in antiquo edicti corpore ea adiungere curavimus quae pro salute animae et gentis nostrae salvatione esse prospeximus; nunc itaque simili modo ea considerantes, quae secundum deum recta esse cognovimus, ut nec periuria nec iurgia inter nostros emergantur fideles, una cum nostris iudicibus atque fidelibus langobardis, et modo presenti tempore die kalendarum martiarum anno christo protegente regni nostri 16, indictione 11, iterum adiungere: deum invocamus testem, non pro aliqua vana gloria aut laude humana querendum, sed dei omnipotenti placendo et nostros de errore tollendo subiectos.

96. I. Si quis pro causam suam aliquid iudici aut ad qualemcumque locopositus vel fidelis regi dederit, et viventem eum requisierit, dicendo quod liberatum non sit, faciat illi iustitiam, post quantûscumque annos requisierit. Nam si post mortem eius filiûs aut heredis pulsaverit, sic statuimus, ut si viventem patrem pulsavit proclamando ad regem, aut conpellandum per tales homines quorum fedis amittitur, et veritas apparuerit, quod pulsavit et iustitiam invenire non potuit, faciat ei filii aut heredis iustitiam sicut lex est, si intra anni spatium post mortem patris repetitionem suam ostendere potuerit. Nam si suam reclamationem ostendere non potuerit, et anni spatium preterierit, etiamsi pulsassit, non habeat fagundiam filiûs aut heredes repetendo, nisi sit sibi contemptus. Quia de wadia et fideiussore de sagramento ita rothari decessor noster in anteriorem edicto [*cap.* 361]

sic statuit, ut post anni spatium, cuius pars neglexerit, amittat causam suam: ideoque nobis congruum paruit, ut ipse qui sine wadia et fideiussorem repetire querit, post anni spatium facundiam non habeat repetendo.

Petre comes, te appellat Martinus, quod ipse dedit tibi 100 solidos per diffinire unam suam intentionem, et non diffinisti.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse dedit patri tuo 100 solidos per diffinire unam suam intentionem, et non diffinivit. — De torto. — Si dixerit: « pater meus diffinivit », probet. Si dixerit: « tu non appellasti patrem meum », probet ipse qui appellat, quod appellavit patrem suum aut sibi mandavit. Si dixerit: « unus annus est transitus, quod pater meus mortuus est », aut probet aut faciat iusticiam.

97. II. Si quis alium pulsaverit de servo suo aut haldione, quod furtum aut humicidium aut aliquod malum fecissit, si viventem ipso servo aut haldione eum pulsavit et conpellationem fecit, faciat ei iustitiam, quandoque pulsatus fuerit. Nam si dum ipse servus advixerit, dominum eius non pulsaverit, nisi post mortem servi aut haldionis ipsius quesierit ad domino eius, ut ei iustitiam faciat: decrevimus ut nullam facundiam habeat requirendi, si vivente servo aut haldione non pulsavit dominum eius; quia iniuste nobis apparuit, ut posteus servo aut haldionem ipsum inquirere non potest, ut ei aliquam iustitiam faciat.

Petre, te appellat Martinus, quod habet certam suspectionem, quod Marcoardus tuus servus tulit sibi furto tantas res quae valuerunt solidos 6 et unum denarium, aut occidit Marcum suum patrem, aut fecit unam plagam sibi. — Si dixerit: « de torto me appellat », si est de furto, defendat se per bellum (Ott., I, 6), *si voluerit appellator; de ceteris vero causis per sacramenta. Et si dixerit appellatus: « non tibi respondeo, quia non appellasti me tamdiu quod ipse vixerit », probet appellator, quod sic fecit aut compellationes fecit per homines. Si non potuerit, exdicat se appellatus, et si non potuerit exdicere, componat sicut lex est.*

---

97. Appellatus aliquis de servo inquirendo data wadia, si servum, antequam inquiri possit, mori contigerit, non inde respondere cogendus est, quia lex ista, de servo mortuo iustitiam facere iubens, de a domino inquisito debet intelligi. — § 2. Quod in hac lege habetur: « quia iniustum nobis apparet, ut, postquam servum aut aldionem inquirere non potest », et cetera, de servo tantum aut aldione mortuo dictum esse apparet [quia, si de aliis servis qui inquiri non possunt dictum esset], iam hec iniquitas inde procederet: quod leges retroposite (Roth. 256), que dominos medietatem dampni a servis fugientibus in fuga commissi pro ipsis servis conponere iubent, rupte essent, quandoquidem a dominis servi inquiri non possunt.

98. III. Si servus cuiuscumque ancillam alterius tolerit, et dominus ancillae eam libertaverit et amund fecerit, aut si eam vindederit et qui eam emit doloso animo libertaverit, et servus ipse in servicium permanserit: amittat ipsam libertatem suam et sit ancillam regis; et ipse qui eam libertaverit, conponat regi aliam talem, aut precium quantum ipsa valuerit, eo quod conludium fecit. Servus vero ipse sit in potestatem domini sui, et ancillam ipsam faciat dominus servi suam cum pretium, aut qualiter regem optinere potuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod unus suus servus habebat Mariam tuam ancillam ad mulierem, et tu libertasti eam, vel tu vendidisti eam propter fraudem, quod voluisti illud separare coniugium. — Et si appellatus se exdicere ausus non fuerit, sit illa ancilla regis, et componat aliam talem in cortem regis aut precium quod valuerit, ideo quia colludium fecit.

Petre, te appellat Martinus, quod Marcoardus tuus servus habebat ancillam Pauli ad uxorem, et tu comparasti eam et libertasti pro fraude, quod voluisti separare illud coniugium. — Approbet appellator; si non potuerit, exdicat se appellatus vel emendet sicut lex est.

99. IIII. De puero intra aetatem decrevit clementiam nostram cum nostris iudicibus vel reliquis langobardis, ut sicut in alium hominem de rebus suis, dum intra aetatem est, dare non potest, ita nec regi donare possit, antequam ad legitimam perveniat aetatem; quia de causam istam multae contentionis fuerunt.

Petre, te appellat Martinus, quod pars publica unde tu es advocatus tenet sibi malo ordine terram in tali loco. — Propria est de parte publica. — Quid pertinet parti publicae? — Ecce cartam, quam ad partem publicam fecisti. — Ipsa carta contra legem est, quia ego eram infra aetatem. — Approbet appellator sic esse, et si non potuerit, componat duplum.

100. V. Nulli sit licentiam, qualevit mulierem, mundium eius habens in potestatem, post mortem mariti sui ante anni spacium velare aut monachico habito induere. Et si ipsa sua volontatem ante anni spacium hoc facere disposuerit, veniat ad palatium regi et dicat clementiae eius volontatem suam, et interrogata vel inquisita diligenter a rege, per eius permissum accipiat religiones velamen. Si vero ante anni spacium sine permissum regis quis hoc facere presumpserit, componat regi wirigild suum; mundio vero mulieris, vel res eius propriae sint in potestatem palatii. Qui hoc ante anni spacium facere querit, propter logrum pecuniae vel seculi cupiditatem hoc facere

querit, nam non ob amorem dei, aut anima eius salvandam; quia post mortem viri sui, dum dolor recens est, in quale partem voluerit, animum eius inclinare potest. Nam cum in se revertitur, et carnis dilectatio ei obvenerit, quod peius est, in adulterium cadit, nec monacha esse invenitur nec laiga esse potest. Et si alter quiscumque homo in cuius mundium non est, hoc facere presumpserit, conponat wirigild suum in sagro palatium, et ipsa cum rebus suis sit in potestatem mundoaldi sui.

101. VI. Si qua mulier religionis velamen induta fuerit, vel observata omnia, qualiter in superiore capitulo adfixa sunt, in monasterio intrare voluerit: si filiûs aut filias habuerit, in quorum mundium esse inveniatur, cum tertiam portionem de propriis rebus suis intrit in monasterium, et post ovitum eius remaneat in ipso monasterium, ubi ipsa intraverit. Si vero filiûs aut filias non habuerit, cum medietatem de rebus suis in monasterio intrare possit, si voluerit, et post eius decessum maneat ipsa metietas in potestatem monasterii. Nam si in domum permanserit, potestatem habeat de rebus suis iudicare pro animam suam, aut cui voluerit, tertiam portionem; duas vero portionis ex rebus eius sint in potestatem ipsius, ad quem mundium eius pertinet.

102. VII. Si quis langobardus habuerit filium masculinum legitimum unum, aut filia legetimam unam aut plures, et antequam eam ad maritum tradat, ad mortem venerit, potestatem habeat ad filiam suam per cartola donationis, si voluerit, usque ad quartam portionem de rebus suis iudicare; si iudicaverit, stabilem permaneat. Si vero duos filiûs legetimûs habuerit, et filia una aut plures, septima portionem de rebus suis iudicet si voluerit; si vero amplius filii fuerint, per hanc rationem conpotetur. Si vero pater viventem se eas ad maritum dederit, ordinet eas iuxta legem, qualiter voluerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est de muliere mea. — Quid sibi pertinet? — Ecce cartula, quam pater tuus et suus fecit sibi de quarta parte suae substantiae, quando venit ad mortem. — Si carta manifestat plus de quarta porcione, hoc quod plus est reddat.

103. VIII. Nulli sit licentiam, coniugi suae de rebus suis amplius dare per qualecumque ingenio, nisi quod ei in diem votorum in metphio et morgingap dederit secundum anteriorem edicti pagina [*Liutpr.* 7] et quod super dederit, non sit stabilem.

Maria, insimul cum Petro tuo tutore, te appellat Iohannes, quod

tu ei tenes terram in tali loco malo ordine. — Ecce cartulam, quomodo talis homo mihi dedit. — Quid pertinuit ei? — Per cartulam, quam vir meus fecit sibi. — Ipsa contra legem est, quia ipse eam fecit eo colludio, ut daret tibi plus quarta. — Non. — Aprobet vel idoneet.

Explicit de anno XVI.

INCIPIT DE ANNO SEPTIMODECIMO (*p. Chr.* 729).

Vicibus iam etiam . . . in volumina in antiquo edicti corpore illa adicere curavimus, que deo placita et genti nostre expedivilia esse cognovimus: et nunc quidem propter singulas vexationes, que inter homines oriuntur, prospeximus etiam et modo adiungere, que oportuna esse probantur. Et ita statuimus atque censuimus, ut a die isto kalendarum martiarum anno regni nostri, deo propitio, septimodecimo, indictione duodecima, sic debeat de istis causis iudicium procedere: nam quod antea statuta sunt, modo minime revolvantur. Quia nobis sic constetit cum nostris iudicibus tam de austria et neustria et de tuscie partibus vel cum ceteris langobardis fidelibus nostris, id est in primis:

104. I. Si servus cuiuscumque, habens legitimam oxorem, et aliam ancillam super eam duxerit, conponat dominus servi, sicut edicto de adulterio contenit [*Roth.* 194. *cf. Liutpr.* 95. 110], ei cuius ancillam postea tolit. Ancilla vero ipsa pro inlecita presumptione accipiat talem disciplinam ad dominum suum in presentia de domino servi, ut alia ancillam hoc facere non presumat.

Petre, te appellat Iohannes, quod Marcoardus tuus servus habeat legitimam uxorem, Mariam ancillam Martini, et duxit Susannam suam ancillam super eam in casam suam. — Non est verum. — Approbet aut se idoneet.

105. II. De his qui de inlecito matrimonium ante tempo nati sunt,

---

105. Quod in hac lege: « ante tempus » scriptum, antequam lex ista fieret, oportet intelligi. — § 2. Lex ista, dicens: « de inlicito matrimonio », connubia omnia, que divina et humana lex prohibet, tetigit, legibusque superius de illicito matrimonio loquentibus (Roth. 185: Liutpr. 12, 31-33) concordat. — § 3. Si legitimi fratres non legitimis voluntarie partes dederint, quandoquidem a patris potestate iuxta Novellarum leges de illicito matrimonio leges (Julian. nov. 32, 2) soluti sunt, non necesse est in hoc eius assensum requirere. — § 4. Ex hac littera huius legis que est: « sin autem fratres non sunt et parentes propinqui fuerint » duplex colligitur intellectus, scilicet, quod iniuste possessio non valeat adversus fratres legitimos, valeat adversus alios parentes.

et ei legetimi fratri sui volontariae partem dederunt, ita statuimus, ut si ei fratri sui legetimi volontariae partem dederunt, in ipso deveant permanere, et eos exhereditare menime deveant. Nam pater non possit illos inlecitûs neque per thinx vel per qualicumque conludium heredis instituere. Hoc autem ideo statuere previdemus, ut omnes homo, qui vult, accipiat oxorem legetimam, nam non inlecitas contraat nuptias. Si autem fratres non sunt, et parentis propinqui fuerent, qui potuerunt legetime ad hereditatem venire, et usque modo tacuerunt, taceant et inantea, et nullam habeant contra eos, qui possident, per triginta annos fagundiam loquendi, dicendo, quod exherede esse debeant; nisi quod per triginta annos possederunt, possedeant.

Petre, te appellat Martinus; quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris et tui. — Vel ita: Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est sua est, et tu sibi eam detines. — Quid tibi pertinet? — Per successionem patris mei. — Vere ei successisti, sed mecum debes ei succedere. — Non debes tu eum succedere, quia tu es natus de illicito matrimonio. — Non sum. — Probet ipse qui appellat, quod sit natus de illicito matrimonio, aut ipse iuret usu et exemplo legis Rotharis, ut filius legitimus sit. Si dixerit: « tu dedisti michi ipsam terram voluntarie in parte », aut probet per scriptum aut per testes, aut perdat. Si ostenderit cartam, quod pater illicitus fecisset in aliam personam, et ostenderit cartam, quam ipsa persona fecisset sibi, tunc legitimus frater probet, quod pater suus propter hoc fecit ipsam cartam, quia voluit, quod ille illicitus haberet ipsam cartam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Possessam habeo per 30 annos. — Hoc non potest dici contra fratres.

106. III. Si quis aldiane alienam aut suam ad uxorem tollere voluerit, faciat eam widerbora, sicut edictus contenit [*Roth.* 222] de ancillam. Nam qui sine ipsa ordinatione eam quasi oxorem habuerit, filii qui ex ea nati fuerent, non sint legetimi, sed naturalis.

Petre, te appellat Martinus, quod tu ei malo ordine tenes terram in tali loco positam. — Illa terra mea propria est per successionem Pauli mei patris. — Non debes ei succedere, quia habuit te ex A. sua aldia. — Vere, sed fecit eam widerbora, sicut est edictum, et tulit ad uxorem. — Approbet ita aut perdat.

107. IIII. Si plures homenis cartolam conveneutiae inter se fecerent, et poena posuerint, et postea unus duos aut tres vel amplius se de ipsa convenientiam subtrahere voluerent aut poena rupperent, unusquisque per caput conponat ipsa poena, quam posuerunt, in integrum. Quia omnes unianimiter consenserunt, et nullus eos imperavit talis causam facere, ideo per caput conponat, qui ruperunt ipsa poena, sicut per caput volontariae consenserunt.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti cartam conventientiae cum illo insimul de elevatione unius castri, aut ire in talem locum secum, vel de alia re, et misisti penam solidorum 100, et te subtraxisti vel penam rupisti. — Approbet, et si non, exdicat se appellatus, et si non fuerit ausus exdicere, emendet poenam quam inter se posuerint.

108. V. Si quis fideiussorem aut devitorem suum pigneraverit, et ipsum pignum recollegere neglexerit, et eum per duodecim dies dimiserit, tunc ille qui pignum ipsum aput se habit, si servus aut ancilla est, costodiat eum ut ei fuga non faciat, et faciat sibi eum operas facere, sicut suum proprium servum aut ancillam. Et super habeat licentiam repignerare usque in secundam vicem, ut sint ipsa pignera in dubblo, quantum devitum ipse est. Et si per triginta dies pignera ipsa debitor aut fideiussor recollegere neglexerent, si in neu-

---

107. Si quis a convenientia per cartam a se factam se subtraxerit, heres eius pena compositionis non tenetur astrictus, precepto in quadam lege Institutionum que est: « Hoc loco ammonendi sumus » (Inst. IV, 12, 1), quod maleficiorum litigium, nisi lis contestata fuerit, adversus heredes non transeat. Si vero de contractu litigabitur, sive lis contestata fuerit sive non, heredi et in heredem competit. Lis namque tunc contestata esse videtur, cum iudex virorum adversariorum partes ceperit examinare, dicente Codicis tertii libri capitulo: « Res enim in iudicium deducta non videtur, si tantum postulatio simplex celebrata sit vel actionis species ante iudicium reo cognita. Inter litem enim contestatam et actionem editam permultum interest. Lis enim tunc contestata videtur, cum iudex per narrationem negotii causam audire ceperit (Cod. III, 9).

108. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu eum in Rufino ministeriali servo suo malo ordine pignerasti. — Pigneravi, set non malo ordine, quia tu michi 50 solidorum fideiussor fuisti, aut aliter michi 50 solidos debes. — Si enim appellator se non fideiussorem aut debitorem 50 solidorum non esse iuravit, pignerator pignus sibi nonum redditurus est. — § 2. Si pignerator, appellatus pignorasse, ultra quam fieret debitum pignoraverit, sibi nonum est cogendus componere. Si vero servum [in quo pignoraverit] intra 12 noctes operas fecisse appellatus fuerit, aut emendet aut se inde purificet; transactis 12 noctibus nichil de operis emendabitur, si recollegendi eum fuit debitor neglegens. Si vero appellatus, servum in quo pignoraverit fugisse, responderit, quia in lege habetur: « custodiat eum, ut ei fugam non faciat », dicitur a quibusdam, ut eum querat, et, si invenerit, reddat, si autem inventus non fuerit, det pro eo quanti fuerit pretii. — § 3. Lex haec dicens: « Si quis fideiussorem aut debitorem pigneraverit » nostro commendat intellectui, creditorem quemlibet seu debitorem aut fideiussorem pignerare posse; unde a lege Romana dissidet, que, dum debitor quod solvere possit habeat, fideiussorem pignerari posse prohibet (Cf. Iulian., Nov. 3, 1). Secundum Ugonem tamen non dici posse, quod hec lex a Romana dissidet: secundum enim eum, nisi debitore in solutione deficiente, fideiussorem pignorari non iubet; quod non laudatur. — § 4. Quamquam lex habeat « aut ancilla », est intelligenda tamen de omni pignore dicere, quia, si de solo servo aut ancilla intelligeretur, similiter Pipini capitulum, quod

stria aut in austria fuerent, amittat ipsa pignera, et non habeant facundiam requirendum. Si vero in tusciae partibus fuerit, habeat spatium in dies sexaginta; nam si super sexagenta dies fuerit, similiter amittat pignera ipsa; insuper potestatem habeat, qui pigneravit, causam suam per legem agere et procurare.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in uno suo servo ministeriali. — Propter hoc te pigneravi, quia tu es michi debitor 100 solidorum. — Tunc ipse qui pigneravit probet, quod ipse sit debitor dare ei solidos 100, et si non potuerit, ipse qui pigneratus est iuret, et ipse emendet pignus sibi nonum. Si dixerit: « propter hoc te pignoravi, quia tu dedisti michi vadiam de dare solidos 50 in Kalendis Maiis, et non dedisti ». — « Non dedi tibi unquam ipsam vadiam » — probet ipse qui pignoravit. Si dixerit: « propter hoc te pigneravi, quia tu fuisti meus fideiussor de uno vadio quod michi dedit Marcoardus ». — « Non fui tuus fideiussor » — probet ipse qui pigneravit, et si non potuerit, iuret quod non fuit fideiussor suus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in unum suum servum ministerialem 50 solidorum. — Propter hoc te pigneravi, quod tu debes michi dare 14 solidos. — Statim reddat pignus sibi nonum.

---

est « Quicumque post missam sancti Iohannis » (Pipin. 41), posset de solo Franco intelligi. Sicut enim ista de omni pignore incipit, sic illa de omni homine generale habet principium. Potest et aliter intelligi de omni locuta esse pignore, quandoquidem in secunda pignoratione nulla ponitur pignoris differentia. Nam si in secunda pignoratione solummodo de servo aut ancilla intelligendum esset, tunc nullus nisi in servo aut ancilla alium repignorare posset, cum alibi nusquam detur repignorandi licentia, quod esset iniquum; ambobus igitur remotis de omni pignore loquitur. Cui sententiae sic opponitur: si hec lex, ut affirmat, de omni pignore loquitur, tunc lex statim sequens, quia similiter de omni pignere fatur, superflua iudicabitur. Quod non sequitur, quia sequens lex idem specialiter dixit quam superposita, et aliud addit, veluti de pignoribus domitis a debitore vel a fideiussore concessis. — § 5. Ubi haec lex dicit: « et faciat eum sibi operas facere sicut proprium servum », subaudiendum est post predictas 12 dies; et quod diximus de primo pignore, idem intelligendum est de secundo et tertio, scilicet ut, postquam pignus per 12 dies custodierit, faciat eum sibi operas facere sicut suum proprium esset. — § 6. Item ubi legitur: « et insuper habeat licentiam repignorare usque in secundam vicem », subaudiendum est « post predictos 12 dies », quod est dicere, ut tunc tantum habeat licentiam repignorandi, postquam primum pignus per 12 dies custodierit, antea vero non, et, in secundo pignore per 12 dies custodito, repignerandi tertium licentiam habeat, prius vero non. — § 7. In eo quod in hac lege legitur: « repignerare usque in secundam vicem, ut sint ipsa pignora in triplum », ipsis exprimitur verbis pignorationem ipsam posse fieri tertio; « repignorare enim usque ad secundam vicem » primam pignorationem iam esse factam insinuat; « re » namque cum verbis compositum pro « iterum » sepenumero ponitur; « repignorare ergo usque ad secundam vicem » tertio pignorare significat, dicens vero: « ut sint ipsa pignora in triplum », duo evidenter insinuat, scilicet ut ter pignoretur, et unumquodque pignus equale sit debito. Sed secundum Ugonem dicitur hec lex non ideo dixisse « repignorare usque in secundam vicem », ut aliquis post primam pignorationem bis pignorare debeat, sed ut semel tantum post primam pignorare possit, et ita pignorabitur usque in secundam vicem tantum; et ipsa duo pignora sint talia que sint in triplum; quod non est laudandum. — § 8. Unumquodque pigne-

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in unam suam ancillam ministerialem. — Propter hoc te pigneravi, quod tu debes michi dare 50 solidos. — Tene tuos denarios, et redde michi meam ancillam. — Denarios accipio, sed ancillam non reddam, quia fugit. — Non debet esse aliud, nisi ancillam aut precium reddat. Si dixerit: « propter hoc pigneravi, quia debes michi dare 50 solidos », — « Petre, te appellat Martinus, quod fecisti facere operas Mariam suam ancillam infra 12 noctes ».

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in unum suum servum bubulcum. — Propter hoc te pigneravi, quia tu es michi debitor 100 solidorum. — Non debuisti me pignerare, quod alia vice pignerasti me in unum servum bubulcum propter ipsum debitum. — Tu misisti neglegentiam recolligere primum pignus per 12 noctes. — Tunc probet ipse, quod misit neglegentiam, et si probare non potuerit, ipse alter iuret quod non misit neglegentiam, et ipse qui pigneravit emendet pignus sibi nonum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in unum suum servum ministerialem. — Propter hoc te pigneravi, quod tu debes michi dare solidos 50. — Accipe tuos denarios et redde michi meum servum. — Denarios accipiam, sed servum non reddam, quia transacti sunt 60 dies aut 30. — Non sunt transacti 30 dies. —

---

rum a pignorationis die tricesimo trasactari credendum est, si debitor recolligendi fuerit negligens; cavendum est tamen, ne a pignorationis die computetur neglegentia, ubi debitor aut pignorationem esse factam nesciret aut infirmitate vel alio impedimento recolligere prohibetur, sed a notitie vel possibilitatis die ubi hec evenerit computanda est. — § 9. Si servus qui in pignore habetur, antequam tricesimus dies pigneratíonis abiit, ab eo fugerit et recuperatus fuerit, dicebant antiqui, illos dies quibus in fuga permansit, intra 30 dies quibus lex eum trasactari iubet, non debere computari, putantes illos dies quibus pignus iubetur trasactari tales esse, quibus pignus reddi possit, si dominus haberet eum animum redimendi; sed his diebus, quibus in fuga permansit, pignus non posse reddi: quare secundum eos intra prescriptos 30 dies non sunt computandi. Secundum Ugonem tamen sunt computandi, si claruerit, dominum servum redimere neglexisse dum in fuga erat; sed si claruerit, dominum servum redimere non neglexisse, dum in fuga erat, intra prescriptos 30 dies illi quibus in fuga permansit non sunt computandi. — § 10. Si fideiussor, quod a debitore creditori debetur, solverit, proindeque ipsum debitorem pigneraverit, quandoquidem non creditori debitum solverit, non creditori sed fideiussori debitor erit ulterius, iuxta hanc legem pignus trasactari credendum est. — § 11. Si quis servum in quo pignoratus est, ne transactetur, infra 30 dies liberaverit aut vendiderit seu aliter alienaverit, libertatem aut alienationem non mansuram fecisse credendum est, quia iubente hac lege, ut eo sicut proprio suo utatur, et transactis 30 diebus pigneratoris sit proprius, evidenter patet, dominum alienandi iterum non habere licentiam. Quae si daretur domino, posset dici, aliquem res suas sub banno positas alienandi habere licentiam: quia, sicut in hac lege transactis 30 diebus pignus pigneratoris esse precipitur, sic in Lodoyci capitulo « Si cuiuscumque hominis proprietas » (Lud. P. 16) res sub banno posite transacto anno in publicum devenire iubentur. — § 12. Negante debitore, debet mutuum dedisse probare creditor; quod solutum esse, negante creditore, debitor probabit similiter, dicente Codicis libri capitulo: « Ut creditor, qui pecuniam petit numeratam, implere cogitur, ita rursum debitor, qui solutam affirmat, eius rei probationem prestare debet » (Cod. IV, 19, 1).

Aut probet ipse qui pigneravit, quod sint transacti 30 dies, aut reddat pignus. Si dixerit ipse qui pigneratus est, quod non misit neglegentiam recolligere pignus, probet ipse qui pigneravit, quod ipse misit neglegentiam; et si non potuerit, iuret ipse qui fuit pigneratus, quod non misit neglegentiam. Similiter fiat de 60 diebus.

109. VI. Si quis permissum habuerit de devitorem aut fideiussorem suum, ut per bove aut cavallûs domitûs pignerare possit, et pigneraverit, et intra duodicem noctis pignera sua devitor aut fideiussor recollegere neglexerit, potestatem habeat, eas menare sicut et suas proprias, et governare: et si mortui fuerit, non requirantur. Nam si pulsatus fuerit, quod iniquo animo plus quam suam animalia minassit, satisfaciat ei solus ad evangelia. Si vero per 30 dies ista parte alpe aut per sexaginta dies illa parte alpis dilataverent et non recollexerent: sicut superius de servo aut ancillam statuimus [*cap.* 108], ita et de cavallûs vel boves, aurum vel argentum, vestimenta, aeramenta, ferramenta aut animalia minuta vel quolevit pignus fuerit, esse cinsimus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum malo ordine in unum suum caballum domitum, qui valebat solidos 50. — De torto. — Si dixerit: « propter hoc te pigneravi, quod tu debes michi dare solidos 100. — Tamen non debuisti me pignerare in caballo domito. — Debui, quia tu michi concessisti », probet ipse qui pigneravit, quod ipse concessit sibi; si non potuerit, iuret ipse, quod non concessit. — Si dixerit: « Imperator michi commendavit », aut probet aut reddat pignus sibi nonum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in uno suo bove domito, qui valebat solidos 10. — Tene tuum bovem et da michi debitum. — Ego te appellavi, quod tu fecisti eum facere operas infra 12 noctes.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in uno suo caballo domito, qui valebat solidos 100. — Propter hoc te pigneravi quod tu debes michi dare solidos 100. — Tene tuos denarios, et redde michi meum caballum. — Non reddam, quia transacti sunt 30 dies.

---

109. Rotharis lex quae est « Si quis caballum domitum » (Roth. 249) a lege ista partim rumpitur, in qua domitorum equorum pignerator, nulla posita differentia, utrum sibi concessum sit necne, reddere sibi nonum precipitur. Sed ita salvatur: Rotharis lex intelligenda est de non concessis tantum locuta esse. — § 2. In eo quod hec lex appellatum, nulla posita differentia, utrum causa sit 20 solidorum necne, solum iurare precipit, Rotharis legem quae est « Si qualiscumque causa » (Roth. 359) partim rumpit.

110. VII. Si quis servum alienum aut ancillam locu pigneris tenuerit, et furtum aut humicidium, vel quolevit malum fecerit, non repotetur proprio domino, nisi ei qui eum tenuit: quia, posteus eum pro devitum suum compraehindit, sic custodire devit, ut aliquo malo facere non possit. Si vero ancillam fuerit, et cum eam ipse qui pigneravit aut servus eius adulteraverit ante prefinitum constitutum, quod superius posuimus de triginta et 60 dies: conponat adulterium ipsum dominum eius, cuius fuerit ancilla; post constitutum vero 30 vel 60 dierum spatium, sit in potestatem eius qui pigneravit, si ipse, cuius fuerit, recollegere neglexerit.

111. VIII. Si quis servum aut haldionem alterius per conludium conpraehindere presumpserit, dicendo quod super furtum suum conpraesissit aut tacito in curtem suam noctis tempore invenissit, et conludius ipse apparuerit et certa fuerit veritas adprovata: conponat ipse, qui eum adpraehindere per talem ingenio praesumpserit, ei cuius fuerit servus aut haldius, quantum ipse conponere debuit, si absque conludium aut fraudem eum presissit, id est furtum ipsum,

---

110. In eo quod lex ista servi pigneratorem dampnum, quod ab eodem servo in eius potestate factum fuit, emendare precipit, rumpitur a Caroli capitulis (Karol. M., 26, 70) « Nemini liceat » « Iubemus », in quibus servi dominus emendare iubetur. Sed si dominus eum per 30 aut 60 dies recolligere neglexerit, creditor factus dominus non solum dampnum quod in sua fecerat potestate, verum etiam illud quod antea fecerat emendaturus est, quod ex Institutionum lege quae est « Ex maleficiis servorum » potest intelligi, in qua legitur: « Nam si servus tuus noxam commiserit et is in alterius potestate esse ceperit, cum ipso incipit esse actio » (Inst. IV, 8, 5). Erraret namque, si quis legem istam affirmaret, dicens supradicta capitula non eam rumpere, dicendo, dominum dampnum a servo factum emendare debere, quia capitula hec iubendo pignoratorem emendare non prohibent. Sed veracius contendere posset, ea capitula non ad dampnum aliud respexisse, nisi ad ipsum quod a domino iuxta anteriores leges emendandum erat, quia dominus non melius solveretur si finem de (?) acciperet, quia solvitur lege hac dicente: « non requiratur proprio domino ». Si quis vero ab his capitulis hanc legem aliter salvare voluerit, legem Rotharis que est « Nulli liceat pro quolibet debito » (Roth. 252) respiciens in glossis aliter salvare potest. — § 2. Rotharis lex quae est « Nulli liceat pro quolibet debito », in eo quod malum a pignoratore post transactos 20 dies commissum in dampnum debitoris, non in dampnum pignoratoris reputari iubet, ab hac lege partim rumpitur, in qua, nulla posita differentia utrum illud malum sit commissum post transactos 20 dies aut non, malum a pignoratore commissum in dampnum pignoratoris non debitoris reputari iubetur. Sed ita salvari potest, scilicet quod hec lex secundum predicte Rotharis legis determinationes locuta esse intelligenda est. — § 3. Hec lex dicens: « componat adulterium ipsum proprio domino cuius fuerit ancilla » Rotharis legem que est « Si quis cum ancilla gentili » respexisse intelligenda est.

111. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu suum servum aut aldium suum per colludium comprehendisti, et dixisti eum super furtum 100 solidorum aut in curte tempore noctis comprehendisse. — § 2. Dicitur a quibusdam, quod lex ista in eo quod eum qui alterius servum per colludium comprehenderit preter furtum sibi nonum 40 solidos, sicut ante (Roth. 254) dominus iusserat dare, dare precipit, rupta sit a Caroli capitulo quod est « De latronibus ita precipimus » (Karol. M., 44). Sed deviant; quia illud capitulum, de solo latrone loquens, nichil de eo qui per colludium comprehenditur locutum est. — § 3. Lex ista, servum et aldium nominans, intelligi voluit, superiores leges (Roth. 33, 254), quarum mentionem facit que de solo servo locute sunt, servum etiam posuisse pro aldio.

quod querebat, in actogild et pro inlecita presumptionem solidos 40; et si furtum non repetierit, nisi de tacito in curtem suam conpraehinsum dixerit, conponat solidos 40 si ipse conludius apparuerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu prehendisti Donatum suum servum per colludium dicendo, quod tu prehendisses eum super tuum furtum quod valebat solidos 100, aut tacite invenisses noctis tempore in corte tua. — De torto.

112. VIIII. De puella unde iam antea [*cap.* 12] diximus, ut in duodecimo anno legetima sit ad maritandum, sic modo statuimus, ut non intrantem ipso duodecimo anno, sed expleto, sic sit legetimam ad maritandum. Ideo nunc hoc dicimus, quia multe intentionis de causam istam cognovimus; et apparit nobis, quod inmatura causa sid ante expletûs duodecim annos.

113. X. Si quis langobardus voluerit in filios suos sibi bene servientibus aliquit largiri , habeat licentiam in hoc modo, ut si fuerent duo filii, tertiam partem substantiae suae possit meliorare eum, qui ei bene et secundum deo obediens fuerit et servierit. Et si tres fuerent, habeat licentiam, quartam partem meliorare quem voluerit; et si fuerent quattuor filii, tribuat quintam partem; et si fuerent quinque filii, sextam partem; et si fuerent sex, septimam; et si amplius fuerent, per hoc nomiro percurrat, ut semper qui pater est, vicorem habeat, qualiter ei filii sui recte, ut diximus oboediant et deserviant; et si toti ei bene servierent, habeant aequalitatem substantiae patris. Quod si forsitans quiscumque secundam aut tertiam mulierem duxerit, et habuerit filiûs et de anteriorem conioge et de sequentem, non habeat potestatem illos posteriores, quorum mater vivit, meliorem facere dum ipsa advixerit, nec dicat aliquis, quod per ipsa mulierem talis soasio facta fuissit: defuncta autem mulierem, pater licentiam habeat facere, sicut supra legitur. Quia credimus secundum deum esse, ut dum servûs, qui bene serviunt, melioratûs vidimus et remuneratûs

---

112. Lex hec dicens: « unde iam antea diximus », retropositam Liuprandi legem, que est « Si quis puellam intra 12 » (Liutpr. 12) respexisse intelligenda est.

113. Lex hec dicens: « si fuerint duo filii, tertiam partem substantie sue possit meliorare eum qui ei bene servierit et secundum Deum obediens fuerit », dat intelligi, patrem duas partes substantie eis debere. Usu et exemplo istorum duorum dicitur: si quis est patri unicus filius, quod a rerum suarum medietate pater eum exheredare non possit; ideoque, si ipse unicus filius uxorem duxerit, usu habetur, quod rerum suarum medietatem per se aut suppositam personam pater ei concedit. Eodemque modo si plures fuerint, unicuique pars, que iuxta huius legis intellectum a patre debetur, usu conceditur. — § 2. In eo quod lex ista: « filios ex priori aut sequenti coniuge habuerit », intelligi datur, legis huius preceptum non de naturalibus sed de legitimis esse filiis. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes frater tuus, quod tu ei omnium rerum quondam patris vestri communis tertie portionis medietatem malo ordine detines.

a dominis suis, quam illos qui recte non serviunt: quantu magis debent fieri recta causa, ut homo filium suum meliorare et remunerare possit, qui ei melius servierit.

Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod tu tenes sibi malo ordine medietatem de pecia una de terra quae iacet in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Ego melius servivi ad patrem meum, et ipsam terram donavit michi, et ecce carta. — Aut probet, quod melius servisset, aut det partem suo fratri qui appellat. — Vel: pater noster non potuit tibi dare ipsam terram, quia tua mater erat viva. — Probet.

114. XI. Si puella sine volontate parentum absconse ad maritum ambolaverit, et ei meta nec data nec promissa fuerit, et contegerit, ut maritus ipse antea moriatur, quam mundium de eam faciat, contenta sit ipsa mulier, nec possit postea metam querere ad heredibus eius, qui defunctus est, pro eo quod neclegenter sine volontatem parentum suorum ad maritum ambolavit, nec fuit, qui iustitiam eius exquirere.

115. XII. Si quis possederit qualiscumque rem movilem aut inmovilem per cartolam falsam et adprovatum fuerit, quod per ipso monimem falsum rem ipsam possederit, non eum defendat possessio sua, hoc est triginta annorum, nec excludat illum, cuius res legibus fuit, sed amittat ipsa rem, quam per cartola falsa possederat; sic tamen, ut diximus, si provatum fuerit; et ille ipsa rem recipiat, cui antea per lege pertenere debuerat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes terram sibi malo ordine in tali loco. — Mea propria est terra quam dicis. — Quid tibi pertinet? — Ecce carta quam tu michi fecisti. — Falsa est illa carta. — Vis ei adardire? — Volo. — Vadiate pugnam. — Et si non voluerit pugnam facere appellator, tunc appellatus idoneet cartam per sacramentum. Et si dixerit appellatus, postquam bellum factum est, quod possederit terram illam per 30 annos, non audiatur. — Secundum quosdam ita agitur; aliter vero ita:

Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est sit sua et tu sibi eam detines. — Non tibi respondeo, quia eam pos-

---

114. Lex hec, dicens: « Si puella sine voluntate parentum ad maritum ambulaverit et ei meta nec data nec promissa » et cetera, dat intelligendum, puellam metam posse requirere, si cum voluntate parentum fuisset et promissa esset.

115. Hic videtur, quia possessio nil valet, falso titulo ostenso prius. Sed melius est, de possessione loqui sine falsa cartula. Sunt tamen qui dicunt, possessionem sine titulo valere, si probatum vel testibus, vel alia cartula, vel certis indiciis, vel deficiente reo ad iuramentum dandum.

sedi per 30 annos. — Vere possedisti, sed per cartulam falsam, quam dixisti patrem meum fecisse tibi. — Non est verum. — Ita approbabo. — Vel ita: vere possedisti, sed malo ordine et malo titulo. — Non malo ordine, quia patruelis tuus michi eam vendidit per cartam. — Illa carta falsa est.

116. XIII. Si quis commutaverit terram arvam, aut pratum vel silvam, et inibi laboraverit et aedificium fecerit, aut clausura aut vinea posuerit, et postea surrexerit tertius homo qui ipsum locum suum faciat, et eum ille qui dedit defendere non potuerit, recipiat res suas, quem dedit, et insuper ille qui dedit et menime potuit defendere, ipsum damnum ei restituat, quantum adpretiatus fuerit, quod ibidem postea laboravit vel edificavit; sed et de comparationem statuimus, sicut et de commutatione. Hoc autem de his causis dicimus, unde cartolam commutationis aut vinditionis homenis inter se non faciunt: nam unde cartolam faciunt et ostenduntur, sic deveat esse, sicut in ipsa cartolam legitur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? — Donatus commutavit mecum. — Da wadiam de auctore. — Si auctor venerit et negaverit, ipse qui fuit appellatus probet. Si dixerit: ego tecum commutavi. — Quid tibi pertinebat? — Per successionem mei patris? et quid ego? quid meus pater et quid iste? per 30 annos habemus possessam. — Si dixerit: « non possum defendere », restituat ei dannum. Similiter fiat de comparatione. — Et hoc placitum secundum quosdam; sed ita:

Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est, quam tu tenes, sua est. — Non debes mecum placitare quia auctorem habeo. — Eamus igitur ad auctorem.

Explicit de anno XVII.

INCIPIT DE ANNO NONODECIMO (*p. Chr.* 731).

Superstitiosae et vanae contentiones assidue nostram inpulsare clementiam non cessant. Et dum ad resecandas intentiones inproborum noster intenderet animus: quicquid nostris iudicibus vel reliquis lan-

116. Lex ista inter terram et arvum talem voluit intelligi differentiam, ut terra sit quae habitatur, arvum quod excolitur intelligatur. — § 2. Quia quamquam id quod in hac lege scriptum est: « sic debeat esse sicut in ipsis cartulis legitur » ad solas commutationis et venditionis cartulas referendum sit, de omnibus tamen cartulis idem oportet intelligi, alii vero dicunt, de solis cartis commutationis et venditionis intelligendum est.

gobardis recta comparuerunt, sicut etiam..... vicibus a nobis alia statuta sunt, ita et nunc in presenti nonodecimo anno regni nostri die kalendarum martiarum indictione quartadecima decidere et confirmare in huius edicti pagina previdimus; ut si amodo de his capitulis, que subter adnexa sunt, aliqua intentio excreverit, sicut statuimus, ita finiantur ac determinentur.

117. I. Si infans ante decem et octo annos, quod nos instituimus [*cap.* 19] ut sit legetima etas, spunsalia facere voluerit, aut sibi muliere copolaverit, habeat potestatem et metam facere, et morgincap dare iuxta edicti tinore [*Liutpr.* 7. 89], et obligacionem facere et fideiussore ponere, et carta, si voluerit, pro causa ista scribere: et qui fidiiussoris exteterit aut scriva, qui pro causa ista cartam scripserit, nulla exinde habeat damnationem. Quia nos ideo usque ad illam etatem perduximus causam de infantibus, ut ipsi res suas non deveant naufragare aut disperdere. Nam pro ista coniunctionem, quam deus precepit, absolvimus ut fiat.

118. II. Recolimus enim, quod statuimus [*cap.* 20, 62] cum nostris iudicibus, ut qui hominem liberum occiserit, omnem substantiam suam amittat. Modo vero dum repetirent singuli homenis, cui forte aliquam duritiam detenebant, quod parentis eius, qui in lectulum suum mortuos fuerat, per veninum occisissit, et dum per pugnam ipsam causam, sicut antiqua fuerat consuitudo, querere disponebat: gravis causa esse nobis conparuit, ut sub uno scuto per pugnam omnem substantiam suam homo amitterit. Ideoque statuere previdemus, ut si amodo talis causa emerserent, quis ille mortem parentis sui querere per pugnam voluerit, quod eum per veninum occisissit, observata ea, quae in anteriorem edicto scripsemus [*cap.* 71], ut per evangelia firmit, quod non asto animo causam ipsam querat, nisi quod certa ei sit suspectio: potestatem habeat querere per pugnam, sicut antea fuit consuitudo. Et si ei ferita venerit, cui crimen ipsum inmettitur, aut ad camphionem ipsius, quem conductum habuit, non amittat omnem substantiam suam, sed conponat eum secundum qualitatem personae, sicut antea fuit lex

---

117. Quod lex ista dicit: « ante 18 annos » iuxta Caroli capitulum quod est « Illud preterea » (Karol. M. 140) peractis 14 annis debet intelligi, si mulierem copulaverit. — § 2. Quod in hac lege habetur: « qui fideiussor extiterit nullam exinde habeat dampnietatem » non ita intelligendum est, ut pro infante compositionem non persolvat; sed si persolverit, ab eo tandundem exigat. Quod declarat: si pro infante aliter fuerit fideiussor, quam lex precipiat, dampnum inde passurus est, id est penam inde debet persolvere, ab infante nihil exacturus.

118. Lex ista superiorem legem quae est « Si (Liutpr. 20) liber homo se defendendo » commemorat. — § 2. Persone qualitas, que in hac lege discernitur, non solum in homicidio a defendente sed etiam a volente commisso, tam in femina quam in masculo, perspici debet.

conponendum. Quia incerti sumus de iudicio dei, et multos audivimus per pugnam sine iustitia causam suam perdere; sed propter consuetudinem gentis nostrae langobardorum legem ipsam vetare non possumus.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu occidisti per venenum Donatum suum patrem. — De torto. — Vis ei adardire? — Volo. — Vadiate pugnam. — Si aliter fuerit manifestatum, perdat omnen substantiam suam.

119. III. Si quis filiam suam aut sororem sponsare voluerit, habeat potestatem cui voluerit, libero tamen hominem, sicut anterior contenit edictus [*Roth.* 178]. Nam posteās eam sponsaverit, non habeat potestatem alteri homini eam ad maritum dandi ante bienni tempus. Et si dare cuilevit presumpserit aut ipsa spunsalia inrumpere voluerit, conponat sponso ipsius, sicut inter se poena posuerunt, qualiter in anteriorem edicto legitur pagina; insuper in palatium regis conponat wirgild suum. Et ille qui eam tollere presumpserit, conponat similiter in palatio wirgild suum; si vero sine volontatem patris aut fratris eam tollere presumpserit, qui iam alteri est disponsata, conponat sponso eius dubbla metam, sicut edictus anterior contenit; in palatium regis conponat wirgild suum. Pater vero aut frater, qui in tali causa non consenserunt, sint soluti. Puella vero

---

119. Lex ista dicens: « potestatem habeat cui voluerit, libero tamen homini, sicut anterius edictum continet », Rotharis leges que sunt « Si quis sponsaverit puellam liberam » (Roth. 178), « Si quis filiam suam aut quamlibet parentem » (Roth. 182) affirmat. In hoc quoque quod dicit: « libero tamen homini » datur intelligi, coniugium inter servum et liberam non posse legitimum fieri. — § 2. Lex hec dicens: « nam postquam eam sponsavit, non habeat potestatem alteri homini eam ad maritum dandi ante biennii tempus » Rothariis legem, que est « Si quis sponsaverit puellam liberam » partim corrumpit, ut retro dictum est; sed ita salvatur, ut retro dictum est. — § 3. Lex ista in eo quod dicit: « componat sponso qualiter in anterioris edicti pagina continetur » id est duplam metam, eiusdem Rotharis legem que est « Si pater filiam suam aut frater sororem suam » (Roth. 192), in eo quod dicit: « componat sponso qui eam sponsatam habuerit similiter penam ut supra in duplum metam, que dicta fuit in die sponsaliorum » confirmat. — § 4. Hec lex, quoque dicens: « si vero sine voluntate patris aut fratris eam tollere presumpserit, que iam alteri est desponsata, componat sponso eius duplam metam sicut anterius edictum continet », Rotharis legem, que est « Si quis puellam aut viduam » (Roth. 190), in eo quod dicit: « sponso autem, cui sponsata fuit, omnia, que in meta data fuerit, quando eam sponsavit, in duplum ei componatur » corroborat. — § 5. Legem istam de alia filia vel sorore nisi de puella dixisse, neminem existimare oportet: quia in hac lege habetur: « puella vero ipsa », et predicta Rotharis lex que est « Si pater filiam suam aut frater sororem suam », in quam hec lex respicit, non de alia nisi de puella locuta est. Potest tamen contendi, legem hanc de omni filia vel sorore legitima dixisse, eo quod quasi generaliter in principio locuta est dicens: « Si quis filiam aut sororem suam », sicut quarundam legum mos est, ut cum de pluribus rebus initium habeant et unum tantum constituant; quemadmodum habetur in Caroli capitulo, quod est « Si quis latro de uno furto » (Karol. M. 84), in quo legitur: « constituimus ut dominus servi illius », et in supraposita Liuprandi lege que est « Si quis fream alienam » (Liutp. 93), in qua legitur: « nam si forte ille homo liber est », que lex nulli dubium est de libero vel servo habere initium. — § 6. Si quis hanc legem de sola puella esse locutam contendere voluit, dicens: si de vidua intelligi voluisset, eodem modo vidue, quo puelle successionem auferret, responderi ei

ipsa, qui suam volontatem hoc facere presumpserit, si aliqua ei portio ex parentum successionem devetur, amittat ipsam portionem suam, et nuta et vacua de rebus parentum suorum vadat, et ipsi succedant, qui per legem succedere possint; nec possent ei pater aut frater per quolevit genium aliquid dare aut hereditatem relinquere, quia excrevit vicium hoc in gentem nostram pro cupiditatem pecuniae, et ideo eum resegare volumus ut inimicidias cessent et faida non habeant. Si autem, quod absit, post sponsalia facta talis inter parentis ipsius excreverit inimicitias, qualiscumque causam intervenientis, ut humicidium de parentem ipsorum proveniat, unde duritiam inter se teneant: si dare aut tollere voluerit, conponat pars, qui neclexerit, sicut statutum inter se habuerunt, et sint absoluti; quia non est bonum, ut ibi quispiam deveat dare filiam aut sororem vel parentem suam, ubi vera inimicitiam humicidii esse provatur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse sponsavit Albergam tuam filiam puellam, et tu dedisti eam alteri ad coniugium ante duos annos. — Non sponsasti meam filiam. — Tunc ipse qui appellat probet. Si dixerit: « sponsavisti tu meam filiam, sed non erat puella », tunc ipse qui appellat probet, quod erat puella; et si non potuerit, iuret ipse qui appellatus est, quia non erat puella.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rapuisti Albergam suam sponsam.

---

potest, quamquam nominatim puelle penam inferret, voluit tamen de vidua idem intelligi, sicut in Rotharis lege que est « Si quis caballum alienum » (Roth. 343), que, quamquam de solo caballo finem habeat, de omni tamen peculio intelligi voluit. — Sed quicumque huius sententiam de omni filia vel sorore legitima intelligunt, verba hec: « componat sponso, qualiter in anterioris edicti continetur pagina » ad quandam Liuprandi legem superius positam, que est « Quicumque homo sub regni nostri dicione » (Liutpr. 15), iuxta quam vidua a sponso subrepta et alii data iudicabitur – nam ibi wadia in presentia trium data omnibus adimpleri iubetur — et ad predictam Rotharis legem que est « Si pater filiam suam » (Roth. 192) referunt, in qua de puella indicatur. Lex enim ipsa, dicens: « anterioris edicti pagina », singularem numerum pro plurali, id est « anterioris edicti » pro « anteriorum edictorum », posuit, veluti Astulfus « anterioris edicti » pro « anteriorum edictorum » posuit in initio legis que est « Anterioris edicti leguntur capitula » (Ast. 2), respiciens ad quandam Liuprandi legem que est « Si qui servum suum vel ancillam circa altare » (Liutpr. 23). — § 7. Quod in hac lege habetur: « sint absoluti », ita intelligendum est, ut parens tradere vel sponsus accipere invitus non cogatur, quod in sequentibus patet, in quibus dicitur: « quia non est bonum, ut ibi quispiam debeat dare filiam aut sororem, ubi veram inimicitiam homicidii esse probatur ». — § 8. Paulo superius puellam pro sola virgine legum ac iudicii morem observantes posuimus; sed actorum ac divine pagine veritatem sectantes puellam non pro sola virgine, sed pro iuvencula positam esse contendimus. — § 9. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Mariam filiam tuam puellam, quam sibi desponsasti, ante biennium alii in coniugio tradidisti. — § 10. Maria, hoc te appellat Iohannes, et tuum tutorem Andream, quod tu ei terram in tali loco malo ordine detines. — Respondet: terra illa, de qua me appellas, per successionem ex parte patris aut mei fratris mea propria est. — Respondet: per successionem ex patris vel fratris tui parte tua esse non potest, quod tu ab eo desponsata Dominico ad alium absque eiusdem patris aut fratris tui voluntate fugisti. — Quod si actor probare nequiverit, puelle tutor aut se inde purificet aut terram ammittat.

Alberga cum Dominico tuo tutore, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Mea propria est per successionem mei patris. — Non debes tu eum succedere, quia tu fuisti sponsata ad Marcoardum et vivente patre tuo sine sua voluntate ambulasti ad Petrum ad maritum. — Aut probet aut taceat.

120. IIII. Contenit autem anterior edictus [*Roth.* 182] de fream suam, qui eam male tractaverit, ut amittat mundium ipsius; et non dicit, qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde providimus dicere, quia ipsa sit mala tractatio, id est si eam fame negaverit, aut vestimentum vel calciamentum secundum qualitatem pecuniae non dederit, aut ad servum vel haldionem alterius eam oxorem dare presumpserit, aut eam battederit turpiter (excepto si infans fuerit, pro honesta disciplina ostendendum muliebre opera, aut ad vicium malum emendandum, sicut de propriam filiam suam) et si eam in indicebilem operam quoacta minaverit, aut si ipsa adulteraverit: omnia haec qui facere presumpserit, male tractata esse dicimus. Insuper et addimus, ut nec ad liberûs homenis eam ad maritum absque eius voluntatem dare presumat, quia peius tractata esse non potest, si illum verum tollit, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas et feritas, si fecerit, vel de adulterium, conponat eidem feminae sicut edictus contenit [*Roth.* 43 — 74], et mundium eius amittat.

Petre, te appellat Maria cum Dominico suo tutore, quod ipsa erat tua mundoalda, et necasti eam per famem, aut turpiter battisti vel plagasti eam. — Secundum quosdam haec fit appellatio.

121. V. Si quis admodum inventus fuerit cum uxorem alienam torpiter conversari, id est si manos in seno aut ad pectum eius miserit vel ad alium locum unde turpe esse potest cum consensum ipsius mulieris, et provatum fuerit, conponat qui hoc malum penetravit wirigild suum ad maritum ipsius mulieris. Si autem causa non fuerit

---

120. Rotharis legem que est « Si quis filiam suam aut quamlibet parentem » (Roth. 182), in qua habetur: « et si ipse eam male habuerit aut tractaverit », lex ista dicens: « Continet autem » reducit memorie. — Quamquam lex ista dicat: « excepto si infans fuerit », quandoquidem predicta lex Rotharis, in quam respexit, dicat: « et si talis fuerit mulier, quae maritum non velit aut non possit habere », de sola illa vidua hec loqui putanda est, que virum aut nolit aut habere non possit. Non mirandum est, si 12 annorum mulier, que scilicet vidua esse potest (Cf. Liutpr. 12), hac in lege dicta est infans: cum masculos usque ad decem et octo annos infantes legibus usitatum sit (Cf. Liutpr. 19, 116) infantes appellare, quamquam non proprie ultra septem annos dicatur infantia. — § 2. Quod in hac lege scriptum est: « componat eidem feminae sicut edictum continet », dum de mundoalda in hoc edicto nihil continetur, oportet intelligi, ut mundoaldus eam compositionem femine pro iniuria vel de adulterio persolvat, quam ab alio eidem femine iniuriam vel adulterium faciente ipse exigeret.

121. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu cum uxore sua turpiter conversari, id est manum in sinum aut pectus eius mittendo, inventus fuisti. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes,

provata, nisi tantummodo quispiam de suspecto alium de uxorem suam conpellaverit, habeat licentiam ipse qui conpellat aut ad pugna aut ad sagramentum ipsum hominem querere, qualis voluerit. Si vero ipsa mulier in hac inlecita causam consentiens fuerit, potestatem habeat maritus eius, in eam vindictam dare, sibi in disciplina, sibi in vindicionem, ubi voluerit; verumtamen non occidatur, nec ei sematio corporis fiat. Si quidem forsitans talis fuerit ipse liber homo, ut non habeat, unde compositionem faciat, tunc puplicus deveat eos dare in manu mariti eius, et ipse in eum faciat vindictam in disciplinam et in vindicionem, nam non in occisionem aut in semationem. Si autem haldius aut servus alienus hoc malum in libera muliere facere presumpserit, tunc patronus eius conponat ad maritum ipsius mulieris solidos 60, et ipsa persona dit ei in manu. Si vero servus aut haldius alienus per volontatem domini sui hoc malum fecerit, quod suprascriptum est, et provatum fuerit quod ipse dominus consensit, conponat sicut supra wirigild suum; sic tamen ut ipse servus in ipsa conpositionem tradatur. Et si provata causa non fuerit de domini eius volontatem, tunc ipse dominus servi aut haldionis pureficet se per sagramentum cum legetemis sagramentalibus suis, ut in ipsum malum consentiens non fuissit, et sit absolutus, et tantum fiat, sicut supra previdemus vel statuimus de servo vel haldione.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse invenit te turpiter conversare cum Alberga sua uxore.

Petre, te appellat Martinus, quod habet suspectionem, quod tu conversasti turpiter cum Alberga sua uxore. — De torto. — Vis ei adardire? — Volo. — Vadiate pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus per tuam voluntatem conversavit turpiter cum Alberga sua uxore. — Aut non fecit, vel fecit, sed non cum mea voluntate.

---

quod tu cum muliere sua turpiter conversatus es, velut ut ipse suspicatur. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod Andreas servus tuus aut aldius cum Ingeza uxore eiusdem, id est, te volente, turpiter conversatus est. — § 4. Non putandum est, ut in pugna de qua lex ista loquitur, de astu sacramentum oportet fieri, quia superior lex, que de astu sacramentum fieri precipit, non in aliis pugnis sacramentum de astu fieri iubet, nisi illis tantum, que retro fiebant usu vel lege. — § 5. In eo quod lex ista in venditione vindictam in femina dari precipit, a Lotharii capitulo quod est « Nulli liceat, excepta causa fornicationis » (Loth. 95) rumpitur. — § 6. Liber homo cum uxore alterius conversatus, si, quod pro compositione persolvat, caruerit, si 20 solidorum pretium aut plus defuerit, iuxta sequentem Liuprandi legem que est « Si quis homo qui est pauper aut naufragus » (Liutpr. 151) perpetuo est emancipandus servitio, si vero minus inde defuerit, non perpetuo, sed ad terminum iuxta predictam legem sequentem servitio est tradendus. — § 7. Lex ista dicens: « tunc patronus componat ad maritum ipsius mulieris solidos 60 et ipsam personam det ei in manus » Caroli capitulo affirmatur quod est « Nemini liceat servum suum » (Karol. M. 26).

122. VI. Si quis miser insipiens homo presumpserit sponsare mulierem habentem virum, sibi ipse vir eius egroto sit sibe sanus, sicut modo et nobis talem causam adnuntiatam est, et provatum fuerit, conponat ipse, qui hoc fecerit, wirigild suum ad maritum eius; et ipsa suscipiat in se talem condemnationem, qualem superius diximus [*cap.* 121] de illam mulierem, qui se turpiter adtractare permittit.

Petre, te appellat Martinus, quod spopondisti Mariam suam mulierem. — Approbet, si potuerit; si non, appellatus exdicat se, aut componat widrigild suum ad maritum mulieris.

123. VII. Si quis fororem accepto battederit hominem liberum aut mulierem liberam aut puellam, qui in scandalum, ubi veri litigant, venerent et per ipsas feritas ponderusûs vel ponderosas effecti fuerent, sicut et modo factum audivimus, conponat medietatem pretii ipsius masculi, tamquam si eum occidissit, et de feminas semilem modo medietatem pretii, tamquam si fratem eius occidissit; excepto si plagas aut feritas fecerit, conponat sicut anterior edicto [*Roth.* 43—74] legitur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse currebat in scandalum, aut Maria sua mundoaldà simpliciter, et tu fecisti sibi plagas aut feritas sibi aut illi, et per illas plagas vel feritas fuit ponderosus vel ponderosa. — Approbet secundum quosdam; si non, idoneet se reus, vel componat medietatem pretii quantum appreciabitur masculus.

124. VIII. Si quis haldium vel haldiam, servum vel ancillam battederit, et per ipsam batteturam ponderosi facti fuerent, medietatem pretii conponat dominum vel patronum eorum, tamquam si eum occidissit; excepto plagas aut feritas sic conponat, sicut in anteriorem edicto [*Roth.* 76—127] legitur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu baptisti Marcoardum suum aldium, aut Mariam suam aldiam, aut Marcoardum suum servum,

---

122. In eo quod hec lex vindictam in mulieris venditione dari precipit, ubi dicit: « et ipsa in se suscipiat talem condempnationem, qualiter superius diximus » a Lotharii capitulo quod est « Nulli liceat excepta causa fornicationis » (Loth. 95) rumpitur. — § 2. Lex ista dicens « presumpserit » aperte designat, eum de quo loquitur scienter sponsare alterius coniugem.

123. Lex ista, in eo quod dicit: « et de femina simili modo medietatem precii, tamquam si fratrem eius occidisset », Rotharis legem quae est « Si quis mulieri liberae aut puellae in via se anteposuerit » (Roth. 26) corrumpit. — § 2. Non est intelligendum, a Liuprandi lege quae est « Relatum est nobis » (Liutpr. 140), in hoc quod dicit: « siquidem in scandalum simpliciter », legem istam esse ruptam, quia illa non ad hanc sed ad Rotharis legem quae est « Si mulier libera in scandalum » (Roth. 379) respexerit, que lex, scilicet « Si mulier libera in scandalum », non est intelligenda locuta esse de tali plaga aut ferita, unde femina ponderosa fiat.

aut Mariam suam ancillam, et per illam baptituram fuit ponderosus vel ponderosa. — Approbet secundum quosdam, si potuerit; si non, purificet se appellatus, aut componat domino vel patrono medietatem precii, tanquam si eum occidisset, excepto composiciones plagarum aut feritarum.

125. VIIII. Si quis malitiosae et per superbia, sicut et modo factum esse cognovimus, mulierem aut puellam liberam sedentem ad necessitatem corporis sui, vel in alium locum, ubi ipsa femina pro sua necessitatem nuda esse vedetur, pungere vel percutere presumpserit, conponat ad mundoald eius solidos octuagenta; et si haldius aut servus fuerit, qui hoc facere presumpserit, conponat dominus eius solidos sexaginta, et ipsam personam, qui hoc malum fecerit, tradere deveat in manu de mundoald eiusdem feminae.

Petre, te appellat Martinus, quod Maria sua mundoalda stabat per suam necessitatem, aut erat nuda in aliquo loco, et tu per superbiam et per malum percussisti eam aut pupugisti, aut Marcoardus tuus servus, aut Marcus tuus aldius fecit. — Probet si potest; si non, idoneet se appellatus, aut emendet sicut lex est.

126. X. Si haldius cuiuscumque haldiam alterius tulerit ad uxorem et filii de ea procreati fuerent, et mundium ex ea non fecerit, sint filii eius haldionis, cuius et mater fuerit; nam posteûs mundium fecerit, et filii nati fuerent, sicut anterior edictus [*Roth.* 218] contenit, patre sequantur, et talem legem habeant cum patrono suo, qualem et pater eorum habuit:

Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes sibi Marcoardum suum aldium. — Meus proprius est. — Quomodo est tuus proprius? — Unus meus aldius apprehendit Mariam tuam aldiam et fecit mundium de ea, et post ex ea fuit natus ille. — Approbet appellatus sic esse, aut perdat.

127. XI. Si quis romanus homo mulierem langobardam tolerit, et

---

126. Ab hac lege Rotharis lex quae est « Si aldius aldiam aut libertam » (Roth. 218) partim firmatur, partim rumpitur; quia, si aldius aldiam sub mundio duxerit, ex eis procreati patrem secuntur; si vero absque mundio convenerit, qui ex eis procreati fuerint, non patrem sed matrem sunt secuturi.

127. Lex ista in eo quod dicit: « Si Romanus homo » et cetera dat intelligi, si ipse qui mortuus fuerat Longobardus esset et ipsa sine voluntate heredum ipsius ad alium maritum ivisset, quod fayda et anagrip — subaudis de vidua — ab heredibus prioris mariti posset requiri. Iuxta quem intellectum patet, Rotharem legem que est « Si puella libera aut vidua sine voluntate parentum » (Roth. 188), tam pro mundoaldo extraneo quam parente posuisse, cum aliam legem non habeamus, iuxta quam fayda et anagrip de vidua posset requiri ab heredibus prioris mariti, nisi iuxta predictam legem Rotharis. — § 2. In eo quod hec lex dicit, quod fayda et anagrip non potest requiri ab heredibus prioris mariti, si eam ipse mundiavit, dicebant antiqui, quod fayda et

mundium ex ea fecerit, et post eius decessum ad alium ambolaverit maritum sine volontatem heredum prioris mariti, faida et anagrip non requiratur; quia, posteû̂s romanum maritum se copolavit, et ipse ex ea mundio fecit, romana effecta est, et filii qui de eo matrimonio nascuntur, secundum legem patris romani fiunt et legem patris vivunt; ideo faida et anagrip menime conponere devit qui eam postea tolit, sicut nec de alia romana.

Petre, te appellat Maria cum Dominico suo tutore, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Mea propria est per cartulam venditionis, quam tu michi fecisti cum marito tuo, qui est mortuus, et ecce cartula. — Ipsa cartula non michi nocet, quia ego eram Longobarda; non potui facere sine parentibus. — Maritus tuus fuit Romanus et fecit mundium de te. — Aut probet ipse qui habet cartulam, quod maritus fecit mundium, aut fiat vacua.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti ad coniugium Mariam suam mundoaldam sine sua voluntate.

128. XII. In anteriore edicto nostri [*Liutpr.* 36. 38] capitula adfixemus, ut si wadiam suam solvendam quispiam liber homo tres fideiussoris habuerit, liberû̂s homines, et ipse qui wadiam suscepit, reddere neclexerit, sic conponat sicut ille, qui non habuerit fideiussores paratû̂s. Modo vero, dum pravû̂s homines cognovissimus talis

---

anagrip posset requiri ab heredibus prioris mariti, si eam non mundiasset. Sed ma'e dicebant: quia, sive Romanus sub mundio ducat Longobardam sive non, licet eo defuncto ipsa ad alium maritum absque heredum defuncti voluntate ierit, heredes tamen ipsi de fayda seu anagrip non sunt acturi: quia, si sub mundio ducta fuerit, ab ea lege agere prohibentur, si vero absque mundio, quia eius a defuncto non devenerat mundium, inde agere nequeunt. — § 3. Si Romanus aliquis Longobardam sub mundio duxerit, et venditionis, donationis, commutationis, libertatis cum ea ducta cartulam fecerit, quandoquidem Romana facta est, nec a parentibus nec a comite interroganda est. — § 4. Si quis Salichus Longobardam mulierem sub mundio duxerit et ipse cum ea venditionis, donationis, commutationis, libertatis cartulam fecerit: queritur, utrum ipsa sit interroganda a parentibus seu a comite? Iudices antiqui dicentes, eam, usu et exemplo huius legis Salicham factam, non esse a parentibus seu a comite interrogandam, affirmant hoc. Sed male affirmabant, cum specialiter habeamus de unaquaque Longobarda, quod a parentibus seu a comite sit interroganda, et nullam habeamus legem, que Longobardam Salicho viro copulatam precipit esse Salicham. Et cum iuxta quoque Pipini capitulum quod est « Placuit nobis inserere » (Pipin. 34) et cetera habeamus, quod nulla consuetudo legi superponatur, concludendum est igitur, ut a parentibus interrogetur. — § 5. Longobarda femina a Romano sub mundio ducta eo defuncto ad pristinam redire non potest, quia Lotharii capitulum quod est « Ut mulieris Romane » (Loth. 14) non alias nisi Longobardi viri uxores ad legem pristinam redire permittat.

128. Lex hec dicens: « anterioris edicti nostro capitulo affiximus » superiorem Liuprandi legem quae est « Si quis alii wadiam dederit et voluerit eam per fidemiussorem » (Liutpr. 37) et cetera reducit memorie. — § 2. Hec lex quoque dicens: « sic componat, sicut ille qui fideiussores non habuerit paratos » superiorem Liuprandi legem quae est « Si quis alii wadiam dederit » (Liutpr. 35) commemorat. — § 3. Fideiussorem, qualiter hac et predicta Liuprandi lege quae est « Si quis alii wadiam dederit » precipitur, esse oportet.

fideiussores velle statuere, qui nihil habuerent, nisi solumodo personam suam, ut per eos iustitiam suam creditûr ipse invenire menime possit, statuimus, ut talis esse deveant fideiussoris ipsi, ut, si amplius non habuerent, quomodo eum pignerare possint, quam ipsa oblicatio sit, vel tantum habeant, quantum, ut diximus, ipsa oblicatio est, unde fidiussores intervenire debeant. Nam si minus habuerent, non sit culpavelis ille, qui eum recepere noluerit, nec ipse qui dare devit, possit se excusare a culpam dicendo, quod fideiussores paratûs habuissit; quia impossebilem est, ut talis fidiussoris homo recepiat qui non habent, etsi amplius non, vel quantum ipsum devitum fuerit, quod tollere locum pigneris possit. Et si de presenti habuerit, unde dare talis fidiussoris, qui recipiendi sunt, ecce bene: si autem ipsa ora non habuerit, sit spacium de ipsam wadiam tres dies sine culpam, et postea debeat dare talis fidiussores, qui habeant unde persolvant, quod devitor dare debuit; si vero amplius dilataverit ad fideiussoris dandum, sicut antea statuimus, sic conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse dedit tibi vadia dare solidos 100 in Kalendas Augusti et vult suscipere per fideiussores.

129. XIII. Intervenientem vanissimam et superstitiosa vel cupida soasionem et perversionem apparuit modo in his temporibus, quia inlecita nobis vel cunctis nostris iudicibus coniunctio esse paruit, quoniam adulte et iam mature aetate femine copolabant sibe puerolûs parvolûs et intra etatem legetimam et dicebant, quod vir eius legetimus esse deverit, cum adhuc se cum ipsa miscere menime valerit. Nunc itaque statuere previdimus, ut nulla amodo femina hoc facere presumat, nisi si pater aut avus pueri cum legetimûs parentis puelle

---

129. Martine, hoc te appellat Iohannes, partis publice advocatus, quod Andreas sub tua tutela 14 annorum minor feminam adultam coniugem habeat. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes. quod Mariam infra aetatem sibi iunctam, antequam ipse ad tredecim annos veniret, in coniugium duxisti. — Non. — § 3. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu eum infra etatem, quod acciperet adultam feminam in coniugium, exhortatus es. — § 4. Item, quamquam huius legis medium et finis puellam nominet, quia tamen in principio adulte et mature etatis feminam habeat, de cunctis feminis eam esse locutam, non est dubium. — § 5. Quia lex ista 13 annorum puero uxorem ducendi licentiam prebuit, ideo femine adulte et ab eius coniunctione separate idem spatium expectandi concessit. Sed quia hodie iuxta Caroli capitulum quod est « Illud preterea » (Karol. M. 140) puer ante 14 annos uxorem prohibetur ducere, dicebant antiqui, feminam adultam et ab eius coniunctione separatam predictum spatium expectandi puerum sibi ab hac lege concessum expectare non oportere; quia, licet ipsa tantum expectaret, tamen puer eam accipere non posset. Sed secundum Wilihelmum et omnes bene sentientes male dicebant, quia, licet ante quartum decimum annum puero in coniugem ducere non permittitur, intelligendum est tamen, idem spatium, scilicet quartum decimum annum, expectandi finem esse concessum. — § 6. Ideo, quod hec lex patrem aut avum pueri cum puelle parentibus, ut eam puer in coniugium ducat, previdere permittat, de Caroli capitulo quod est « Illud preterea » rumpitur, in quo 14 annorum minori uxorem ducere non permittitur.

hoc facere previderit. Nam si puer post mortem patris aut avi sui intra etatem remanserit, et ei se qualiscumque femina, antequam ipse puer terciodecimo anno conpleat, copolare presumpserit, dicendo quod legitimus maritus eius esse debeat, inrita sit ipsa coniunctio, et separentur ad invicem. Femina vero ipsa revertatur vacua cum obproprium suum et non habeat potestatem alio viro se copolare, dum ipse puerolus ad aetatem suprascripta pervenerit, siquidem ipsa inpleta etatem puer ipse sibi eam oxorem habere voluerit, habeat licentiam, et si eam noluerit, tollat sibi oxorem aliam qualem voluerit aut potuerit. Illa vero, si ad alium maritum ambolaverit, et ipse puerulus eam habere noluerit, non ei possit vir suus qui eam tollit, pleniter metfio dare, sicut ad aliam puellam, sed tantummodo mediaetatem, sicut ad viduam mulierem [*Roth.* 182. 183]. Qui verum puerum ipsum soaserit, sibe parentis eius sint, sibe extraneus homo, conponat solidûs centum, medietatem regi et medietatem ad ipsum puerolum.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Dominicus qui est in tua tutela habet ad coniugium unam feminam adultam.

Petre, te appellat Martinus, quod, quando ipse erat infra etatem, sociavit sibi unam feminam, et fuit separatus, et tu accepisti eam ad coniugium, antequam veniret in tercium decimum annum. — Si dixerit: « de torto me appellas », excdicat; sin autem, dividatur ab ea, et sustineat poenam adulterii si parentes adversum eum egerint.

Petre, te appellat Martinus, quod tu adortatus es eum, quando erat infra aetatem, quod acciperet unam feminam adultam ad coniugium, et accepit.

Explicit de anno XIX.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO PRIMO (*p. Chr.* 733).

130. I. Si quis dixerit coniugi suae malam licentiam dandum: « Quia vade, cumgumbe cum talem hominem », aut si dixerit ad hominem: « Veni et fac cum mulierem meam carnis comixtionem », et

---

130. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Albizze filie sue uxori tue adulterandi licentiam consensisti. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, qud tu Albizzam filiam suam et Petri uxorem, ipso Petro permittente, polluisti. — § 3. Lex ista dicens: « moriatur secundum anterius edictum » Rotharis legem que est « Si quis cum uxore alium fornicantem » (Roth. 211) memorie re-

talem malum factum fuerit, et causam provatam, quod per ipsum maritum factum sit: ita statuimus, ut illa mulier, qui hoc malum fecerit et consenserit, moriatur secundum anteriorem edicto [*Roth.* 212], quia talem causam nec facere debuit nec celare. Quia si vir eius cum ancillam suam aut cum alia femina adulterassit, mulier ipsa ad palatium et ad iudicis habuit proclamare: ideo tacere hoc nequaquam debuit, quando ei primo fuerat dictum. Propterea, ut diximus, moriatur secundum anteriorem edicti pagina. Ille autem vir eius, qui ei tam malam licentiam dedit aut alteri homeni dixit, et auctoritatem tribuit in mulierem suam talem malum perpetrandum, conponat ad parentis ipsius mulieris suae, tamquam si in scandalum occisa fuissit [*Roth.* 378], quia et ipsa ex peccatis in scandalum cocurrere visa est, quando ad hoc malum perhitrandum accessit; quia in maiorem scandalum currere non potuit, quando se ad mortem traxit. Ideo, ut premisemus, conponat wirigild eius, sicut supra statuimus. Et res eiusdem mulieris, si filiûs habuerit, ipsi habeant; et si filiûs non habuerit, revertatur ad parentis ipsius mulieris; eo quod credimus, quod talem malum ideo querat miser homo facere, ut ipsam mulierem perdat et res eius habeat. Ille autem homo, qui ipsam mulierem alienam adulteraverit, quamquam cum viri eius consilium, fiat traditus in manus ad parentis ipsius mulieris, nam non in manu viri sui, qui talem malum consensit vel consilium inlecitum dedit. Item de causam istam, quae supra premisemus, si consilium aut licentiam data fuerit ad mulierem, et ipsa non consenserit et manefestaverit causam ipsam, et ipsam operam malam facta non fuerit: tunc ipse vir eius, qui ei talem licentiam et consilium dederit, conponat sicut antea in edictum adfiximus, quomodo qui alii malum consilium dat [*Liutp.* 72], id est solidos quinquaginta, quia adhuc maior malitiam est, quando homo ad mulierem suam inlecitum consilium tribuit, quam si ad alterum hominem malum consilium dedissit.

Donne comes, hoc dicit Martinus, quod, postquam sociavit sibi ad coniugium Albergam quae est in presentia vestra, quod ipsa se adulteravit. — Dicis tu ita? — Sic dico. — Et tu, femina, quid dicis? — Non sum sua mulier. — Tunc maritus probet, quod est sua mulier. Si dixerit: « ego feci per suam licentiam », moriatur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti licentiam ad Ma-

---

duxit. — § 4. Lex hec dicens: « tamquam si eum occidisset » Rotharis legem que est « Si quis mulier libera in scandalum cucurrerit » recordatur. — § 5. Lex ista dicens: « componat sicut ante in edicto affiximus » superiorem Liuprandi legem que est « Si quis liber homo ad alium liberum hominem » (Liutpr. 71) respexisse dicitur.

riam suam filiam et tuam uxorem, quod ipsa adulteraret, et se adulteravit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes et malo ordine unam peciam de terra, quae iacet in tali loco, quae fuit Albergae suae consobrinae et tuae uxoris, cui dedisti licentiam, ut cum alio homine commisceret.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu adulterasti Mariam suam uxorem. — Ego adulteravi per tuam licentiam. — Aut probet, aut fiat traditus in sua manu.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti licentiam ad Mariam suam filiam et tuam uxorem, quod se adulteraret, et non fecit.

131. II. Si quis comendaverit res suas in cuiuscumque casam de conlibertos suos, libero hominem, et contegerit ut adveniens fur res ipsas furaverit, et ipse, in cuius casa ipsas res fuerunt reddederit, aut si non reddederit, tamen reddere debit: et nos ita statuimus et diffinimus, ut qui res alienas comendatas susceperent, et eas perdederit, restituat res ipsas cui fuerent; et si postea ipse furtus inventus fuerit, ei conponat ipse fur, de cuius casam ipsas res rapuit aut furavit. Quia ideo hoc prospeximus, quoniam, si illi conponat ipsum furtum, cui res ipsas fuerit, postea ille cuius casam rupit, querat ei ruptura casae suae, et non possumus in unam causam duas calomnias inponere. Ideoque sic nobis iustum fuit, ut ille qui res suas comendavit, recepiat eas ab ipso, de cuius casa perierunt, et ipse de cuius casam perierunt aut ipsum furtum exivit, querat ad ipsum furonem conpositionem, et tollat sicut lex est, et ipse fur, licit malefactor sit, non habeat de una causa duas calomnias.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi tanta sua mobilia, quae valebant solidos 20.

---

131. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei rem mobilem sibi depositam 20 solidos valentem, iuxta quod ipse suspicatur, furatus es. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tibi rem mobilem 20 solidos valentem deposuit. — § 3. Si Romanus Longobardo vel Longobardus Romano seu alterius nationis homini aliquid mobile deposuerit, iuxta hanc legem inde nichil fiet, quia lex ista depositorem et eum cui deposuit — depositi susceptorem a fure compositionem iubens exigere — depositorem et eum cui deposuit Longobardos insinuat esse, quandoquidem omnes compositionum exactores iuxta legem Longobardorum Longobardos esse putandum est. — § 4. Si res deposite non furto aut schacho sed alio modo sublate fuerint, iuxta hanc legem nichil inde fiet. Sed iuxta Institutionum legem que est: « Re contrahitur obligatio », si depositi susceptor dolum in depositi perditione commiserit, depositum restituet; si vero non suo dolo perierit depositum, nihil inde est reddituras (Inst. III, 14, 3). — § 5. Lex ista una in re duas calumpnias inferri prohibens leges superiores uni rei duas calumpnias iungi precipientes corrumpit et a plerisque sequentibus una de re duas compositiones fieri precipientibus rumpitur.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu tulisti sibi ad furtum tanta mobilia quae valebant solidos 20.

132. III. Si quis fraudolenter tolerit ancillam alienam et dixerit, quod eam servus aut haldius ipsius tolissit ad oxòrem, et postea veritas clarifacta fuerit, quod non eam ipse servus aut haldius tolissit, tunc primum omnium reddat ipsum mancipium, cuius fuit, et sit eius ancillam cuius antea fuerat. Et ille qui hanc fraudem fecerit, dit insuper aliam talem ancillam aut haldianam eidem homini, cui fraudem fecit, et reddat operas de ipsa ancillam, quam fraudolenter tolit, quamdiu eam habuit aput se.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti Mariam suam ancillam aut aldiam per fraudem, dicendo quod Marcoardus tuus aldius aut servus tulisset eam ad uxorem, et perdidit tantam operam quae valuit 5 solidos. — Approbet secundum quosdam appellator, si potest; si non, idoneet se appellatus. Si vero non potuerit, reddat ipsam et componat aliam talem simul cum operis quamdiu apud se habuit.

133. IIII. Si quis liber homo in casam alienam introierit ad resedendum, et ei censum reddendum, et postea aliquid emerit de illis rebus, quas secum adduxit, quando in ipsam casam introibit, aut forsitans habuerit res de mulierem suam et exinde emerit, et provatum fuerit: tunc ipsum negotium dimittat in ipsam casam et recipiat pretium suum. Et ipsa provatio in hoc ordinem deveat fieri, ut quando de rebus mulieris suae aliquid comparaverit, adducat homenis qui sciant quod ipsum precium de rebus mulieris suae sit, ut causam ipsam non veniat ad periurium; sed quando voluerit iurare de rebus mulieris suae conparationem facta fuissit, et illi testis firmiter sciant et iurent, « quia interfuimus, quando ipsa conparatio de rebus mulieris ipsius facta est », et sic postea recipiat pretium suum et ipso negotium remaneat in ipsam casam. Nam si de illo laborem conparaverit, quod postea laboravit, aut fecit posteûs in ipsam casam ad censum reddendum introivit, in ipso cespite dimittat, ubi labora-

---

132. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ei Albergam aldiam aut ancillam suam dicens, Andream aldium aut servum tuum eam habere in coniugem, fraudulenter subripuisti. — § 2. In eo quod hic lex ista, legitimum inter servum et ancillam alienam posse fieri coniugium, notificat, nulla interposita differentia, utrum ancille domini consensu fiat vel non, a Caroli capitulo quod est « Ut coniugia servorum non dirimantur » (Karol. M. 128) rumpitur, in quo inter servum et ancillam coniugium prohibetur esse legitimum, nisi cum consensu utrorumque dominorum fuerit factum.

vit. Hoc autem ideo nunc adfiximus, quia tantumodo causa ista in hoc modo semper et antecessorum nostrorum tempore et nostro per cawarfida sic iudicatum est; nam in edicto scripta non fuit.

134. V. Si homenis in uno vico habitantis aliqua intentionis habuerit de campo aut vinea, prado aut silva, vel de alias res, et collexerent se una pars cum virtutem et dixerent « quia wifamus et expellimus eum de ipsum locum per virtutem foras », et ambolaverunt, et scandalum ibi comissum fuerit et plagas aut feritas factas vel homo occisus fuerit: ita decernimus, ut plagas et feritas aut hominem mortuum conponat secundum anteriorem edicto, quod gloriosus rothari rex [*cap.* 43 *sqq.*] vel nos [*cap.* 20. 62] instituimus; pro autem inlecita presumptionem de ipsa collectionem conponat solidos 20 ad illam partem, qui in campum aut in vitis vel in prado aut in silva suum laborem faciebat. Hoc autem ideo statuimus, ut nullus presumat malas causas in qualiscumque locum excitare aut facere; et non potuimus causam istam adsimilare, neque ad arischild [*cf. Roth.* 19. *Liutpr.* 35. 141] neque ad consilium rusticanorum [*Roth.* 279], neque ad rusticanorum seditione [*Roth.* 280]: et plus congruum nobis paruit esse de consilium malum, id est de consilio mortis [*Roth.* 11]. Quia quando se collegunt et super aliûs vadunt pro peccatis, ad id ipsum vadunt ut malum faciant, aut si casus evenerit, hominem occidant, et plagas aut feritas faciant: ideo, ut dixemus, adsimilavimus causam istam ad consilium mortis, quod sunt, sicut supra premisemus, solidi vigenti.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habitabat tecum in uno vico et habebat intentionem tecum de uno prato, et adunasti te cum virtute et expulisti eum per virtutem foras de ipso prato.

135. VI. Adnuntiatum est quidem nobis, quod aliquis perversus homo, dum se quedam femina in fluvio lavarit, pannûs eius, quos ibi

---

134. Si adunatio de qua lex ista loquitur dextra aut sacramento aut obligatione fuerit, non iuxta hanc legem sed iuxta capitulare (Loth. 4, 67) aliquod inde fiet. — § 2. Lex ista dicens: « secundum anterius edictum » Rotharis leges de plagarum compositione loquentes (Roth. 43 sqq. Roth. 388) et superiorem legem Liuprandi (Liutpr. 20, 61) atque leges Rotharis de compositione homicidii loquentes reducit memorie. — § 3. Lex ista dicens: « et non potuimus causam istam assimilare ad arscild » Rotharis leges que sunt « Si servi per consilium manu armata » « Si pro quacumque causa homines » (Roth. 279, 280) respexisse dicitur. Arascild assoduis (l. assaltus) villanorum esse dicitur. — § 4. Lex hec dicens: « id eo assimilavimus causam istam ad consilium mortis » Rotharis legem que est « Si quis liber homo in morte alterius » (Roth. 10) memorasse dicitur.

135. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Marie, que sub eius mundio, in Ticino fluvio lavanti vestes omnes quas ibi habebat surripuisti. — § 2. Lex ista, in eo quod dicit: « componat eidem femine, cui talem turpitudinem fecit, ipse vir widrigild suum », Rotharis legem quae est « Si quis mulieri libere aut puelle » (Roth. 26) rumpit.

habuit, totus tolissit, et ipsa remansissit nuda, et qui ibant et transiebant per locum illum, pro peccatis vedebant turpitudinem eius; ipsa autem in ipso fluvio semper stare non potuebat, revertere autem ad casam suam nuda erubiscibat. Proinde statuimus, qui talem inlecita presumptionem fecerit, conponat eidem femiue, cui talem inlecida presumptionem fecerit, conponat eidem femine, cui talem turpitudinem fecit, ipse wirigild suum. Ideo hoc dicemus, quia si invenissit eum aut frater aut vir aut propinquus parentis eiusdem feminae, scandalum cum eum comittere habuit, et qui superare potuissit, unus alterum interficere habuit. Propterea melius est, ut se vivo conponat wirigild suum, quam de mortuo crescat faida inter parentis, et conpositio maior.

Petre, te appellat Martinus, quod Maria sua mundoalda se lavabat in fluvio, et tu tulisti sibi totos pannos suos quos ibi habebat.

136. VII. Item adnuntiatum est nobis, quod quidam homo habebat poteum in curtem suam, et secundum consuitudinem furca et tolenum ad auriendum aquam. Veniens autem alter homo stetit sub ipsum tolenum ; et cum autem venissit quidam ad auriendam aquam de ipsum poteum, et incaute ipsum tolenum dimisissit, venit super eum, qui sub ipso stabat, et mortuos est. Cum autem requisitio eiusdem mortui fuerit, quis eum deberit conponere, et nobis rellatum fuissit: ita nobis et nostris iudicibus rectum paruit esse, ut ipse homo qui ibi mortuos est, quia non fuit animal sed sensum rationalem habuit, sicut homo debit habere, prospicere debuit in qualem locum se ponere ad standum, aut qualem pondus super se habebat. Ideo repotit sibi duas partis pretii de conpositionem suam, et tertiam partem, quantum ipse secundum edicti tinorem adpretiatus fuerit, componat ille qui ipsam aquam incaute auriebat, et dit eam filiis aut ad propinqui parentis, qui ei heredis exhistunt, et sit causam finita absque omnem faida vel dolus, quia nolendum factum est. Ille autem, cuius ipse poteum fuit, nullam habeat calomnia, quia ei si calomniam ingerimus, postea nullus permittit de poteo suo aqua levare, et quia omnes homenis poteûs habere non possunt, reliquis, qui sunt pauperis, moriuntur, et etiam iterantes necessitatem patiuntur.

Petre, te appellat Martinus, quod pater suus stabat sub toleno de puteo Dominici, et tu venisti trahere aquam de ipso puteo, et in-

---

136. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu de Petri puteo aquam auriens stillionem incaute dimisisti, sub quo lapso Andreas pater eius oppressus mortuus est. — Hoc stillione oppressus, si coecus aut puer fuerit, stilliones (?) widrigild compositurus est.

caute dimisisti tolenum, et venit super patrem suum, et mortuus fuit per ipsum tolenum.

137. VIII. Item perlatum est nobis, quod quidam homo praestetissit iumentum suum alteri homeni ad victuram, et pollenus indomitus secutus fuissit ipsam matrem suam. Dum autem per viam ambolarit ille, qui eam ad sovecto acceperat, contegit ut infantis in quodam vico stantis ipse pollenus de calcem percussit unum ex ipsis, et mortuos est. Dum autem parentis eius requirirent mortem ipsius infantuli, et nobis retulissit: ita prospeximus cum nostris iudicibus, ut duas partis precii, qualiter ipse infans valuerit, conponat ille cuius pollenus fuit, tertia conponat ille, cui ipsum iumentum prestitum fuerat. Nam nos scimus, quia in anteriore edicto [*Roth.* 326] legitur: « si cavallus cum calcem damnum fecerit, dominus eius conponat ipsum damnum »: sed quia iste caballus prestitum fuit, et ipse qui eum suscepit in prestitum, rationalem homo fuit, et potuit dicere, si neclictum non habuissit ad ipsum infantem ut se custodiret, ut hoc malum non preveniret. Ideoque pro ipsa neclegentiam eius diximus, ut tertiam partem pretii conponat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu habebas ad conducturam iumentum Dominici, et pullulus indomitus fuit secutus matrem suam, et ipse pullulus occidit cum calce unum suum filium, qui stabat in vico tali.

Petre, te appellat Martinus, quod unus tuus caballus occidit cum calce unum suum filium.

138. VIIII. Hoc autem rei veritas pervenit ad nos, quod quidam homo diabolum instigantem dixissit ad servum alienum: « Veni et occide dominum tuum, et ego tibi facere habeo bonitatem quam volueris ». Ille autem puer, suasus ab ipso, intravit in causam ipsam malam, et hisdem qui eum suaserat, in tantam malitiam perductus est, ut aetiam presentaliter dicerit eidem puero: « Feri ipsum dominum tuum », et ipse ei pro peccatis feritam fecit, et iterum dixit ei: « Feri eum adhuc, nam si non eum feriveris, ego te ferire habeo ». Ipse autem puer conversus fecit eidem domino suo alteram

---

137. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod indomitus pullus, sequens matrem tibi prestitam, filium eius, te neglegente dicere, ut caveret sibi, calcibus percussit, et mortuus est.

138. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Andree patris tui servo, ut eundem patrem eius occideret, dixisti, et in tua presentia eum fecisti occidere. — § 2. Lex ista de servo, ut dominum suum interficiat, dicens habet initium, in hoc finem statuit, si liber liberum aliquem alium in sui presentia ferire fecerit. — § 3. Lex hec dicens: « quantum anterius edictum continet de consilio mortis » Rotharis legem que est « Si liber homo in morte alterius consiliatus fuerit » (Roth. 10) commemorat.

feritam, et mortuos est. Dum autem requisitio de mortem eius et de conpositionem fierit, volebat aliquis dicere, quod tantum deverit conponere his, qui ipsum puerum suasit et in sui presentiam ipsum hominem ferire dixit, quantum edictus anterior contenit de consilio mortis [*Roth.* 11]. Sed nobis et nostris iudicibus hoc nullo modo placuit, quoniam consilium mortis in occulte fiet concinatum, et aliquotiens perficitur, et aliquotiens non perficitur: nam hoc humicidium presentaliter factum est, et nos non dicemus esse consilium, quando homo alteri homini verbotinus et presentaliter ostenderit et dicat: « Feri hominem istum ». Ideoque, qui talem malum comiserit, et si provatum fuerit, non conponat consilium mortis, sed conponat, sicut nûs nostro tempore in edictum adfiximus [*cap.* 20. 21], et perdat omnem substantiam suam, et medietatem exinde accipiant heredis defuncti, et mediaetatem curtis regia; excepto illa antiqua conpositionem heredis ipsius, qui occisus est, inantea tollat, sicut in edicto nostro tempore, ut dixemus, est adfixum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dixisti ad Albertum qui fuit servus de suo patre, quod eum occideret, et in tua praesentia fecisti occidere.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti in tua presentia occidere Dominicum suum patrem.

Explicit de anno XXI.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO SECUNDO (*p. Chr.* 734).

Pauca quidem capitula, que nuper exorta sunt et antea minime in edicto adfixa esse reperiebantur, et erat iudicibus nostris dubium ad iudicandum, prospeximus nunc in ipso edicti corpore adnotare et iungere hoc est diae kalendarum martiarum, ego in dei nomine liutprand rex gentis langobardorum anno deo propitio regni nostri vicesimo secundo indictione secunda.

139. I. Si haldius cuiuscumque haldiam alienam tulerit, aut servus

---

139. Lex ista, dicens: « antequam de ipso coniugio aliquam convenientiam domini eorum inter se faciant », et « dominus eiusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat » et adulterum ei cuius uxorem violaverit subiciens, absque dominorum voluntate fieri potuisse coniugium, evidenter insinuat. Unde a Caroli capitulo rumpitur quod est « Ut coniugia servorum non dirimantur » (Karol. M. 128), in quo servorum coniugium non absque dominorum voluntate posse fieri indicatur. Et si coniugium absque dominorum voluntate non potest esse legitimum, tunc hodie ipse adulter non inde morietur, et dominus ancille non exinde pretium aut vicariam habuerit; quia lex nón alia de causa hoc fieri iussit, nisi quia coniugium absque voluntate dominorum factum voluit esse legitimum. — § 2. Lex ista dicens: « si aldia fuerit, sicut lex est », superiorem Liuprandi legem, que est « Si quis servum suum aut ancillam suam liberum vel liberam » (Liutpr. 10) commemorasse dicitur.

ancilla, et antequam de ipso coniugio aliquam convenientia domini eorum inter se faciant, contegerit, ut quispiam miser homo ipsam haldiam aut ancilla, qui est uxor alterius, fornicatus fuerit, ita previdimus ut ei de ipsa culpa debeat subiacere ille qui hoc malum perpetraverit, cuius uxorem adulteravit; nam dominus eiusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est; et si fuerit ancilla, accipiat exinde pretium aut vegariam, sicut convenerit. Hoc autem ideo prospeximus de uxore de servo vel aldione, quia si de libero hominem quispiam miser homo mulierem adulterat, ad maritum eius conponit [*Liutpr.* 122], ut etiam non habeat eam mundiatam, nam non ad parentes.

140. II. Si quis homo liber habuerit servum vel ancillam, haldium aut haldiam coniucatûs, et insticantem inimicum humani generis cum ipsa ancilla, que servus eius maritum habit, aut cum haldia qui cum haldione eius copulata est, adulterium perpetraverit: ita statuimus, ut perdat ipsum servum aut haldionem, cuius uxorem adulteravit, et ipsa mulier insimul, ut vadant liberi et absoluti fulfrealis, tamquam si thingati fuissint, ubi voluerint; quia non est placitum deo, ut quilevit homo cum uxore aliena debeat fornicari. Tamen de ipsa libertatem dicimus, quia non possunt sic sine vera absolutione veri liberi esse, nisi sicut edictus contenit [*Roth.* 224], aut per thinx, aut circa altare, sicut nos instituimus [*cap.* 9]: ideoque veniant ad palatio ad nos aut qui pro tempore princeps fuerit terrae istius, eos absolvat et faciat eorum preceptum, et sint postea certissimi liberi et absoluti.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum per praeceptum imperatoris. — Quid pertinuisti ad imperatorem? — Ego habebam unam tuam ancillam ad coniugium et eram tuus servus, et tu adulterasti eam.

141. III. Relatum est nobis, quod aliqui hominis perfidi et in malitia astuti, dum per se non presumpsessent mano forti aut violento ordinem intrare in vicum aut in casam alienam, timentes illam com-

---

140. Lex hec, dicens: « tamquam si thingati fuissent », Rotharis legem que est « Si quis servum suum proprium aut ancillam » (Roth. 224) respexisse dicitur. — § 2. Hec lex retro positam Liuprandi legem que est « De homine libero qui uxorem de servo » (Liutpr. 65) dicitur rumpere; sed qualiter illa ab hac salvetur, retro dictum est.

141. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu ancillas tuas et liberas congregasti et super eum in tali loco misisti, que ei plagam unam in capite fecerunt. — § 2. Lex ista dicens: « timentes illam compositionem que in antiquo edicto posita est » memorie reducit Rotharis leges (Roth. 19,

positionem que in antiquo [*Roth.* 279. 280] edicto posita est, fecerunt collegere mulieres suas, quascumque habuerunt, liberas et ancillas, et miserunt eas super homines, qui minore habebant virtute, et adprehendentes hominis de ipso loco, et plagas fecerunt, et reliqua mala violento ordine plus crudeliter quam viri exercuerunt. Dum autem hoc ad nos pervenissit, et ipsi homines pro sua violentia, qui minus potebant, interpellabant: ita prospeximus in hoc edicto adfigere, ut si amodo mulieres hoc facere in qualecumque locum presumpserit, primum omnium decernimus, ut si aliqua iniuria aut obprobrium, aut plagas aut feritas, aut mortem ibi acceperint, nihil ad ipsas mulieres aut ad viros aut ad mundoald earum conponant illi, qui se defendendum eis aliqua fecerint lesionem aut internicionem. Insuper et publicus, in quo loco factum fuerit, conprehendat ipsas mulieres, et faciat eas decalvare et frustare per vicos vicinantes ipsius loci, ut de cetero mulieres tale malitia facere non presumant. Et si in ipsa causa feritas aut plagas fecerint ipsae mulieres cuicumque homini mariti earum conponant ipsas plagas aut feritas, quas ipsae fecerunt, secundum edicti tinore. Hoc autem ideo prospeximus tam de disciplina quam de conpositione, quia non potuimus mulierum collectionem ad arschild [*Roth.* 19. *Liutpr.* 35. 134] consimilare, neque ad seditionem rusticanorum [*Roth.* 280], quia istas causas viri faciunt, nam non mulieres: ideoque sic de ipsis mulieribus faciat, sicut supra statuimus. Si quidem simpliciter in scandalum qualiscumque mulier cucurrerit, et mortem aut plagam aut feritam ibi susceperit, sic ei faciat iustitiam, sicut decessor noster rothari rex instituit [*cap.* 378] et iudicavit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti adunare tuas feminas liberas et ancillas quas potuisti habere, et misisti eas super se in vicum talem et occiderunt sibi unum suum servum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Mariam suam mundoaldam. — Non occidi, quod per legem emendare debeam.

Petre, te appellat Martinus, quod Alberga sua mundoalda currebat simpliciter in scandalum, et tu eam occidisti.

---

277) que sunt « Si quis pro iniuria sua vindicanda » « Si quis in curte aliena ». — § 3. Quod in hac lege habetur: « mariti earum », non solum viros, verum etiam dominos et mundoaldos significare credendum est. — § 4. Lex ista dicens: « siquidem simpliciter in scandalum qualiscumque mulier cucurrerit », intellegi dedit, nichil debere componi, si ad malum faciendum incurrerit, et Rotharis legem quae est « Si mulier libera in scandalum » (Roth. 379) partim rumpit partimque affirmat. — § 5. Dicens lex ista: « secundum edicti tenorem » aperte declarat, Rotharis leges de feritis et plagis loquentes tam de masculis quam de feminis esse intelligendas.

142. IIII. Si quis homo sciens haldium aut haldiam suam, servum vel ancillam, in casam cuiuscumque essit, aut copolatûs aut aliter, et non eum requesierit aut per iudice aut per publico et non eum retulerit, et dimiserit eum aput alterum hominem diutius permanere: non requirat operas eorum, quia sciendum neglexit requirire servum vel ancilla, haldium vel haldiam suam. Nam si requisiverit dominus eorum, et ille qui eos habuerit, neglexerit redderet, aut antesteterit, reddat operas eorum sicut lex est [*Roth.* 276. *Liutpr.* 69].

Petre, te appellat Martinus, quod tu habuisti Marcoardum suum servum aut Mariam suam ancillam aut Marcoardum suum aldium aut Albergam suam aldiam 20 noctes in casa tua, et perdiderit tantas operas quae valuerunt 10 solidos. — Si dixerit appellatus: « non tibi respondeo, quia tu scivisti, quod ipse erat in casa mea et tu habuisti neglegentiam requirendi », ita probet. Sin vero, iuret actor quod non habuit neglegentiam vel taceat. Si vero appellatus negaverit, exdicat se. Si dixerit appellator: « requisivi tibi, sed habuisti neglegentiam reddere », approbet; si non, idoneet se appellatus vel emendet operas.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO TERTIO (*p. Chr.* 735).

In nomine domini nostri iesu christi ego liutprand excellentissimus christianus atque catholicus rex gentis langobardorum, adiungere praevidimus una cum iudicibus et fidelibus nostris in edicti pagina, anno regni mei deo propitio vicesimo tertio die kalendarum martiarum indictione tertia, illa capitula, que antea instituta non erat et unde cognovimus esse intentione, ut amodo nulla sit iudicibus nostris, qui iudicare debent, qualiscumque dubietas, sed firmiter possint decernere, sicut hic deo favente adnotavimus, id est in primis:

143. I. Si cuiuscumque servus aut ancilla, haldius vel haldia in

---

142. Rotharis leges (Roth. 275, 276) quae sunt « Si mancipium alienum » « Si quis mancipium alienum sciens » partim a lege ista rumpuntur, partim affirmantur, ut retro dictum est.

143. Rotharis lex « Si quis scandalum in ecclesia perpetraverit » (Roth. 35) partim ab hac lege rumpitur, quia, si quis scandalum de quo lex loquitur in ecclesia fecerit, non 40 solidos sed widrigild compositurus est. Sed ita salvatur: non intelligendum est Rotharis legem locutam esse de scandalo in servo vel ancilla seu aldio vel aldia suo commisso. — Que utraque lex a Caroli capitulo « Si quis in emunitate » (Karol. M. 101) partim rumpitur partimque affirmatur, quia, si quis in episcopii vel ecclesia abbatie scandalum fecerit, nichil iuxta has leges, sed iuxta predictum capitulum 600 solidos compositurus est. Sed ita secundum Ugonem salvatur: non est intelligendum

ecclesiam dei confugium fecerit, et dominus vel patronus eorum aut per se aut per missos suos exinde violenter traxerit, conponat wirigild suum in suprascripta basilica. Et si servus vel haldius sine voluntate domini sui hoc malum fecerit, det ipso servo aut haldionem pro ipso malo in manu de custode ipsius basilicae, et ipse dominus vel patronus satisfaciat, quod per ipsius voluntatem hoc factum non fuissit, et ipsum wirigild suum non conponat.

Petre te appellat Martinus, quod Marcoardus tuus servus fugit in aecclesia sanctae Mariae, unde ipse est advocatus, et traxisti eum per virtutem foras de ipsa aecclesia.

144. II. Si quis timorem dei inmemor pro cupiditatem terrena propter qualiscumque rem sciens se periuraverit, et postea sic inventum et probatum fuerit, quod periurassit, tunc amittat ipsam rem unde periuravit, et habeat eam ipse, cui contra rationem iuravit. Insuper, quia in se ipso, et quod plus est, in deo peccavit, et negavit fidem suam et periuravit, domino deo suo et sibimet ipsi non pepercit, conponat medietatem de wirigild suo ei, cui periuravit.

145. III. Recolimus enim, qualiter iam antea [*cap.* 4] instituimus ut si quis decidens reliquerit filiam unam aut plures, et sororis in capillo similiter unam aut plures, ut pariter atque equaliter sorores et filiae ei succedere debeant, et si soror in capillo deciderit, soror qui remanserit, similiter sorori suae succedat. Modo vero, quia intentio exorta est inter fratres et sorores de nepte, que in capillo mortua fuerat, altercationem ponentes quis ei succedat deberit, statuimus ut barbas eius, in cuius mundio fuit, ipse ei succedat in eius portione; nam amedanis ipsius de eius portione nihil percipiant, nisi tantum habeant quantum, si vivens fuissit, ipsa neptis earum.

---

hanc atque predictam Rotharis legem de scandalo in emunitate facto esse locutas; vel aliter: scilicet quod non est intelligendum, trahere servum vel ancillam vel aldiam suam de ecclesia esse dampnum. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu Andream servum tuum de proprietatis sue ecclesia, ad quam fugit, abstraxisti. — § 3. Si quis servum suum de ecclesia alterius proprietatis per alienum servum aut per liberum abstrahere fecerit, iuxta hanc legem widrigild compositurus est. Ille vero qui abstraxerit iuxta Rotharis predictam legem solidos 40 componat. Si autem de episcopii vel abbatie ecclesia abstrahere fecerit, nichil compositurο qui abstraxerit, solidos 600 solidos componat. — § 4. Quod in hac lege habetur: « sine voluntate domini sui » non alterius domini, sed ipsius cuius fugitivus erat, intelligendum est.

144. In eo quod lex ista propter periurium widrigild medietatem componere iubet, a Pipini capitulo quod est « Si quis periurium fecerit » (Pipin. 43) rupta est, in quo qui periurium fecit manum iubetur ammittere.

145. Lex ista superiores leges « Si quis Longobardus filias et sorores in capillo » (Liutpr. 4) « Si sorores in casa patris » (Liutpr. 14) reducit memorie. Legis huius sententia usque ad: « Modo vero » predictarum legum est commemoratio, ideoque ad: « et si soror » « recolimus » hoc verbum subaudiendum est. Quia, si aliter intelligeretur, sorores que fratri successerant invicem intelligerentur succedere.

146. IIII. Si quis invenerit libera mulierem aut puellam per campum suum seminatum ambolantem et viam indicantem, pignerit eam, et parentes aut mundoald eius conponant pro ipsa solidos sex sicut lex est [*Roth.* 357]; nam si ipsa conprehendere presumpserit et ad casam suam legatam aut submanicatam duxerit, conponat solidos centum, medietatem regi et medietatem cuius causa est; sic tamen ut conpositio illa de sex solidis in ipsa conpositione conputetur. Et si pulsatus fuerit ille, in cuius mundio fuerit mulier aut puella, quod asto et iniquo animo feminam ipsam ambulare per laborem alterius fecissit, ut ei componerit: tunc preveat sacramentum, quod cupiditatem habendum de conpositionem ipsam asto animo per laborem ipsius ipsa femina non ambulassit, nec damnum asto faciendum. Et si iuraverit, tunc ipse qui eam comprehendere presumpserit, conponat solidos centum ut supra; et si iurare non praesumpserit, parentes aut mundoald ipsius feminae, ut supra dictum est, conponant solidos sex pro via indicata, sicut supra diximus, et ille qui comprehensit sit solutus.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse invenit Mariam tuam mundoaldam ambulare per campum suum seminatum et facientem viam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti Mariam suam mundoaldam ambulantem per campum tuum seminatum et indicantem viam, et tu minasti eam ad casam tuam ligatam.

147. V. Si cuiuscumque servus aut haldius, ancilla vel haldia in furto conprehinsi fuerint, et dominus eorum neglexerit eos liberare,

---

146. In eo quod hec lex dicit: « pigneret eam et parentes eius aut mundoaldus componat pro ipsa solidos 6 », dicebant antiqui, solidos 6 pro ipsa non esse componendos, nisi pignorata esset. Sed male dicebant, quia hec lex ista non pro ipso pignere 6 solidos componi iussit, imo quia ipsa per campum seminatum viam indicans ire presumpsit. — § 2. Quod in hac lege habetur: « sicut lex est », non ad aliam legem sed ad istam relatum est. — § 3. Quod vero: « quod astu animi per laborem ipsius ipsa femina non ambulasset », intelligendum est, mundoaldum solum hoc debere iurare, quia Rotharis superior lex (Roth. 359), cum 12 sacramentalibus appellatum iurare precipiens, de eo loquitur qui compositionem daturus est, si non ausus fuerit iurare; in hac vero, si iuraverit, compositionem accipiet, non ausus iurare, de compositione tantum tacitus. — § 4. Rotharis lex quae est « Si quis mulieri libere » (Roth. 26) partim ab hac lege rumpitur, quia pro hac iniuria 900 solidi componendi non sunt.

147. Si quis alterius servum in furto comprehenderit, quem dominus usque ad tricesimum diem recolligere neglexerit, si hoc tertium furtum fuerit, furtum non componetur, nec transactus habebitur, quia iuxta Caroli capitulum, quod est « Si quis latro de uno furto » (Karol. M. 84) iudicabitur. Sed si fuerit secundum vel primum furtum, iuxta hanc legem componetur et Tuscus vel Femus transactus habebitur. — § 2. Secundum quosdam, ponentes « i. » pro « id est », littera huius legis quae est: « et habeat eos sibi in transacto cui furtum fecerit » est expositura « fegangi »; secundum vero alios ita exponitur, scilicet ut dicamus: sint fegangi, id est 40 solidorum culpabiles. Et secundum ultimam expositionem « fegangi », quod inferius habetur: « componat dominus sicut lex est et edictum continet », ad sibi nonum tantum referendum est ».

et usque ad dies triginta eos dimiserit: sint figanges, et habeat eos sibi in transacto, cui furtum fecit, et postea ipsum furtum ei conponat, sicut lex est et edictus contenit [*Roth.* 253—276. 281—299].

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi Marcoardum suum servum aut Marcoardum suum aldium. — Ille servus quem tu dicis, aut aldius, meus est. — Quid tibi pertinet? — Ego comprehendi eum super tantas meas res, quas michi furtive tollebat, quae valebant solidos 10. — Si negaverit, quod non furatus est, sit bellum. Si dixerit: « vere tulit, et redde michi servum meum », si appellatus dixerit: « recolligo res meas, sed non reddam tibi servum tuum aut aldium tuum, quia 30 dies transierunt, et tu habuisti neglegentiam recolligere », approbet; si non potuerit, idoneet se appellator, quod non habuit neglegentiam. Si autem non potuerit se idoniare, res emendet sicut lex est et servum perdat.

148. VI. Si quis ex sua auctoritate terra aliena sini puplico wifaverit, dicendo quod sua debeat esse, et postea non potuerit provare quod sua sit, conponat solidos sex, quomodo qui palo in terra aliena figit [*Liutpr.* 47].

Petre, te appellat Martinus, quod tu wifasti unam suam terram, dicendo quod tua esset, sine comendato publico. — De torto. — Si vero dixerit: « wifavi, sed mea est », approbet suam esse; et si non probaverit, emendet sicut lex est.

149. VII. Item de infantibus, qui intra etatem sunt et necessitate maiore habent, et a fame moriuntur, conparuit nobis, ut dum tempus famis fuerit, licentiam habeat cum misso principis aut cum iudici suo de terra aut de rebus suis vindere, qualiter vivere possit, in tantum ut se de ipsa famen liberare possit, ut non moriantur. Quidem et hoc ipso iudex de loco illo debeat previdere, si certe pro ipsa necessitate famis fecit, et sic in eius presentia fiat, ut deum habeat propitium; et si aliter fecerit, deum habeat iudicem. Et in cartola indicit, quia pro famis necessitate ista vinditio facta est; et qui ac-

---

149. Quod dictum est: « item », intelligendum est, iam sepe de infantibus dictum esse; « maiorem » vero ad hoc retulit, quia famis necessitas maior est quam patris debitum (Liutpr. 19). — § 2. Quod in hac lege habetur: « iudex de ipso loco debet providere », ad principis missum vel iudicem referendum est. — § 3. Licet quidam errantes contendunt, hanc venditionem coram principis misso sive iudice esse non posse, eo quod infra scriptum est: « et iudex de ipso loco debeat previdere », tamen male videntur contendere; quia legum mos est, de pluribus habere initium et in uno diffinire, et illud quod relinquit velut illud quod rememorat velle intellegi. — § 4. Et quod scriptum est: « qui actum commissum habet » alii ad indicem cui venditionis providentia commissa est, alii ad infantis tutorem, cui eius actus committitur, referendum autumant. Sicut enim, si infans pro famis necessitate vendiderit, sic pro patris debito (Cf. Liutpr. 19) tutor emere prohibetur.

tum commissum habuerit, non presumat de ipsis infantibus emere. Et dum tempus famis exierit, tunc ipsi infantes secundum anteriore edicto [*Liutpr.* 19. 58] distribuant res aut substantiam suam, non aliter; quia istam licentiam pro sola necessitate dedimus, nam non, quod absit, anteriore edicto conrumpendum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Ecce cartula quam michi fecisti. — Si cartula manifestat necessitatem famis et omnia sicut ista lex dicit, aut dicat falsam aut det poenam de carta. Si cartula manifestat, quod tutor comparasset de infante, fiat taliata.

150. VIII. Si quis fossatum in viam fecerit, et ipso loco suo provare non potuerit, conponat solidos sex, et ipsum fossatum restaurit, et damnum si in vitis aut in arboris ipsum fossatum cavandum fecit, conponat sicut anterior edictus contenit [*Roth.* 294, 300. *cf. Liutpr.* 46].

151. IX. Si quis porcûs in silva alienam diffensam miserit, sicut

---

150. Preter sex solidos, qui ab hac lege precipiuntur, 60 solidos pro invasione componet scilicet eo quod in via fossatum fecerit. — § 2. Rotharis leges (Roth. 294, 300) quae sunt « Si quis vitem de una fossa » et « Si quis roborem » ab ista roborantur lege dicente: « componat sicut edictum anterius continet ». — § 3. In eo quod hec lex dampnum in vitibus aut in arboribus per ipsum fossatum cavandum factum, nulla posita differentia, utrum dampnum illud volendo aut nolendo factum sit, conponi iubet, notari potest, dampnum, quocumque modo sit factum, esse componendum.

151. Quicumque porcos mittet in silvam alterius, aut miserit tantum 10 aut minus aut plus. Si vero minus de decem miserit, et inventum fuerit, hac lege nichil inde iubente, iuxta aliam porcorum legem que est: « Si porci in esca alterius paverint » (Roth. 349) credendum est exinde eundum, que dicit: « si inventi fuerint minus 10, non occidatur ex illis aliquis, sed qui eos invenit unum ex ipsis teneat et, dum componantur ei silique tres per porcos, eum salvum faciat ». Dicit quoque: « si plus de decem aut tantum 10 inventi fuerint, occidatur unus mediocris, et non requiratur »; unde ab hac lege, in initio dicente: « sic sit sicut edictum anterius continet », affirmatur. Dicit etiam: « si minus fuerit de decem, qui occiderit aliquem illorum, reddat ferquidum id est similem », nulla posita differentia, utrum ille qui occidit eum exinde portavisset vel non; unde ab hac lege partim rumpitur, in hoc quod hic legitur: « componat in octogild sicut ille qui res alienas malo ordine tollit ». Si autem tantum 10 aut plus de decem inventi fuerint, et qui invenit plus de mediocre occiderit, lege porcorum predicta nihil inde dicente, huius legis sententia, quod inde fieri debeat, optime determinat. Nam si fuerint tantum 10, et qui invenerit plus occiderit quam edictum habet, id est plus de mediocri occiderit, non dubitandum est, quin hec lex, nulla posita differentia, utrum astu fuissent positi in silva vel non, in octogild componere iubeat, ubi dicit: « si quis tantum 10 invenerit » et cetera. Si vero fuerint plus de decem et ille cuius silva est occiderit ex ipsis plus quam edictum continet, id est plus occiderit de mediocri, si astu in silva fuerint missi, iuxta hanc legem nulla est exinde compositio; si vero non astu in silva fuerint missi, omnes quos ultra mediocrem occiderit, ferquidi sunt componendi. Mediocrem tamen qui occidit, iuxta aliam porcorum legem potestatem habet retinendi. Legitur tamen in sequentibus: nam si de pastore, id est de servo suo, non presumpserit de asto iurare dominus, ut, mediocre excepto, medietas de porcis omnibus reddatur domino. — § 2. Notandum est, quod « plus » in hac lege non solum numero, sed etiam in quantitate significat: « itaque si maiores tantum occiderit, plus quam edictum habet », id est plus mediocre occidit. Et ita secundum Wilihelmum ille porcus maior totaliter sibi nonus est componendus; imo illud tantum, quod ultra mediocrem valere

edictus anterior habit, hoc est usque ad decem porcûs, et occiserit porco uno, sic sit sicut anterior edictus contenit [*Roth*. 349. 350]. Si quidem tantum decem invenerit et plus occiserit quam edictus habit, conponat eum in actogild, sicut qui malo ordine res alienas tullit. Nam si ille homo qui ipsos porcos habit, amplius miserit asto animo suos aut aliends in defensum quam edictus habit, et ille cuius silva est occiserit ex ipsos plus quam edictus contenit, non requirantur. Et si ille, qui porcûs miserit, iurare presumpserit, quod asto non misissit, nisi sine voluntatem ipsius domini, reddat ille, qui occisit, ipsos porcûs ferquidûs; et si de pastore suo similiter iuraverit, similiter reddantur. Nam si de pastores de asto iurare non presumpserit, medietate reddantur, et medietatem repotit sibi, quia servum habuit indisciplinatum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti 10 suos porcos in tua silva et occidisti meliorem qui valebat solidos 10.

Petre, te appellat Martinus, quod tu invenisti 50 suos porcos in tua silva et occidisti 10 qui valebant solidos 100.

152. X. Si quiscumque homo qui est prodicus aut naufracus, qui

---

appretiabitur. — § 3. Lex ista dicens: « componat in octogild sicut ille qui malo ordine res alienas tollit » ad superpositam Liuprandi legem « Si quis sine voluntate regis in qualicumque civitate » (Liutpr. 34) respexit. Unde secundum Wilihelmum et antiquorum auctoritatem dicentes, quod superposuimus generalem esse regulam, leges omnes superiores de rebus malo ordine aut furtim sublatis aliam quam sibi nonam compositionem dari precipientes rumpit. Sed Ugoni asserit calliditas in hoc antiquorum vero valuit auctoritas (?). Lex enim presens: « sicut qui malo ordine res alienas tollit », generalem esse regulam non constituens, leges superiores de rebus malo ordine aut furtim sublatis aliam quam sibi nonam compositionem dari precipientes non rumpit, non ad alias, nisi ad leges de rebus malo ordine aut furtim sublatis sibi nonam compositionem dari precipientes, respiciens. — § 4. Lex presens tantum servum pastorem nominatim assignavit: sed si liber pastor porcellos alienos in alterius silvam miserit, iuxta hanc legem dicentem: « suos aut alienos » ipse appellare et compositionem accipere potest, a domino porcorum, quod suo facto tantum dampnum habeat, iuxta Romanam legem appellandus (Cf. Inst. IV, 3, 13). — § 5. Sacramentum quod ille, qui porcos in silvam sine voluntate domini ipsius silve miserit, facere precipitur, ab eo solo fieri intelligendum est; quia sacramentum quod superius (Roth. 359) cum sacramentalibus fieri iubetur si appellatus facere non presumpserit, compositionem daturus est; hoc vero si iurare nequiverit, compositionem non exiget. — § 6. Quod in hac lege habetur: « in defenso quam edictum habeat », ita est exponendum, ut dicamus: quam preceptum huius legis habeat, quod est dicere, si amplius quam super nominavi miserit, id est plus quam decem et cetera. — § 7. Notandum est, quod secundum Ugonem dicitur hec lex loqui tam de porcis qui sunt minus 10, quam de tantum 10, et plus de decem; quia iuxta hec, quod hec lex initio dicit: « usque ad decem porcos, et occiderit porcum unum, sic sit sicut edictum anterius continet » asserit, hanc legem precepisse, quicquid anterius edictum de tantum 10 et de minus 10 videtur dixisse, cum « usque ad 10 » sepernumero ponitur pro 10 et pro minus 10.

152. Lex ista superiores leges (Liutpr. 62, 120) quae sunt « Si quis falsum testimonium » « Si quis amodo inventus fuerit » partim rumpit, precipientes hominem in servitium transactari (esse tradendum), nulla posita differentia, utrum 20 solidorum aut minus esset compositio; sed ita salvari possunt ut retro dictum est. — § 2. Lex ista noluit aliquem pro debito, tradendum esse servitio: moderno tamen tempore sicut pro crimine ita pro debito, iuxta Lotharii capitulum quod est « Si quis liber homo uxorem habens liberam propter aliquod crimen aut debitum » (Loth. 90) et iuxta alia quam plura capitula.

vendederit aut dissipaverit substantiam suam et non habit unde conpositionem faceat, et fecerit furtum aut adulterium aut scandalum, et placas alio homine intulerit, et fuerit ipsa conpositio valente viginti solidi aut supra: dare eum debeat publicus in manu eius, cui istas causas inlecitas fecit, et ipse eum habeat pro servo. Si autem minus de vigenti solidis fuerit ipsa conpositio, sicut solit fieri usque ad sex aut duodecim solidos, tunc debeat eum publicus dare in manum eius, cui tale culpa fecerit, pro servo in eo ordine, ut serviat ei tantos annos, ut ipsa culpa redimere possit, et vadat postea ubi voluerit absolutus.

153. XI. Si quis langobardus oxorem habens filiûs aut filias procreaverit, et postea inspirationem dei conpulsus clericus effectus fuerit, tunc filii aut filiae qui ante eius conversionem nati fuerint, ipsam legem vivant, quam ille vivebat, quando eos genuit, et causam suam per ipsam legem finire debeant.

Explicit edictum domno Liutprand.

(CAPITULA EXTRA EDICTUM VAGANTIA).

[I. GRIMUALDI SIVE LIUTPRANDI MEMORATORIUM DE MERCEDIBUS MAGISTRI COMMACINORUM (1)].

I. De sala.
II. De muro.
III. De muro albato.
IV. De maceria.
V. De anona commacinorum.
VI. De caminata.
VII. De marmorariis.
VIII. De puteo.

---

153. Si Longobardus post clericatum ex eadem uxore filios procreaverit, quandoquidem illicite clericatum suscepit, Longobardorum legem debent vivere filii.

(1) Vid. adnotationes Caroli Promis in appendice XI editionis Vesmianae, pag. 242 seqq.

ITEM MEMORATORIO DE MERCEDES COMACINORUM.

I. Si sala fecerit, reputet tegulas in solido uno numero sexcentos; si in solario, tegulas trecentas per solidum unum vestitum: quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.

II. Si vero murum fecerit qui usque ad pedem unum sit grossus, duplicentur mercedes, et usque ad quinque pedes subquinetur; et de ipso muro vadant per solidum unum pedes ducenti viginti quinque. Si vero macinam mutaverit, det pedes centum octaginta in solidum unum, usque ad pedes quinque sursum, in longitudinem vero ter quinos per tremisse.

III. Similiter si murum dealbaverit, sexcenti pedes vadat per solidum unum. Et si cum axibus clauserit et opera gallica fecerit, mille quingenti pedes in solido vestito vadant. Et si arcum volserit, pedes duodecim vadant in solidum unum.

IV. Si vero materias cappelaverit maiores minores, capita viginti per tremisse vadant; cum armaturas vero et brachiolas quinque ponantur prò uno materio.

V. De annona commacinorum. Tollant magistri annonam per tremisse uno, segale modia tria, lardo libras decem, vinum urna una, legumen sextaria quattuor, sale sextario uno, et in mercedes suas repotent.

De opera. Similiter romanense si fecerit, sic repotet sicut gallica opera, mille quingentos pedes in solido uno. Et scias quia ubi una tegula ponitur, quindecim scindolas lebant; quia centum quinquaginta tegulas duo milia quingentas scindolas levant. Et si massa fundederit, sexcenti pedes per solido uno.

VI. De caminata. Si quis magistri caminatam fecerit, tollant per unam tremissem unum. Et si abietarii cancellas fecerit, per solidos uno vadant pedes duodecim. Si vero peuma fecerint, quantos pedes habent tantas siliquas lebaut. Et si carolas fecerit cum gipso, det per tremisse carolas quattuor: annonas ei non repotetur.

VII. De marmorarios. Si quis axes marmoreas fecerit, det per solido uno pedes XV. Et si columnas fecerit de pedes quaternos aut quinos, det per tremisse columnas tres: annonas ei non reputetur.

De furnum. Si vero furno in pensile cum caccabos fecerit et postes tres aut quattuor habuerit, et cum pineam suam levaverit caccabos ducenti quinquaginta, ita ut pinea ipsa habeat caccabos viginti quinque, exinde tollat tremisse uno; et si quingentos caccabos habuerit,

habeat duos tremisses; et si mille fuerint caccabi, tollat exinde mercedes tremisses quattuor.

VIII. De puteum. Si quis puteum fecerit ad pedes centum, tollat exinde solidos XX; annonas ei non reputetur. Puteus autem de pedes XXXV, solidos quattuor; puteus vero de pedes viginti sex, solidos tres; puteus autem de pedes duodecim, solidum unum: annonas ei non reputetur.

[II. NOTITIA DE ACTORIBUS REGIS, *p. Chr.* 733].

1. In nomine domini noditia, qualiter iubit domnus rex ad omnis actores suos, qui curtis eius comissas habent: id est in primis de illo, quod iam nostrum tempore inpuplicatum est, ut iurent unusquisque actor et dicat per evangelium, « quia quodcumque cognovero quod contra rationem alequid tultum est, facio exinde noditiam domno regi, ut relaxetur »; sic tamen, ut dicat in ipso sacramentum, quod non consentiendum ad amicum, non ad parentem, non ad premium corruptus, nisi quod certo sciat, quod contra rationem tultum erit: et cum nobis paruerit, recensitum per nostram iussionem relaxetur.

2. Item unde antea iussemus [*cap.* 78] per sexagenta annûs inquirire possessio de pigunia puplicam, pro eo quod peccatis inminentibus de sexagenta annis aliquis non memorat, et pauci inveniuntur, qui tantûs annûs habeat: ita statuimus, ut excepto quod iam per notitiam inpubligatum est, ut actor qui bene certus est, quod intra 30 annos aliqua invasatio aut fraus in pecuniam puplica peractum est, ipsum requirat et adducat ad nostram noditiam; sic tamen ut antea non presumat wifare aut pignerare, quia nos volumus ista causa per nosmed ipsûs audire et secundum deum ordinare; quia apparuit nobis, quod si nos ipsa causa audierimus, deo fabentem sine peccatum eam inquirere habemus, et sic ordinare ut mercedem habeamus; quia iudices nostri neque arimannos nec actoris nostri possunt sic disciplina distringere, sicut nos. Quod autem provatum est, qui per triginta annos aut super, cuiuscumque possessionem fuit, et amodo habeat, ut nullus actor eo presumat nec wifare nec molestare; et qui presumpserit, conponat ipse actor widrigild suum; excepto unde preceptum falsum inveniatur, quod aperta causa est ad requirendum.

. . . .

3. Si quis servus noster occisus fuerit, duas partis de ipsa conpositionem tollat curtis nostra, et tertiam pars parentis ipsius servi nostri defuncti, sicut superius diximus. Hoc autem in diebus nostris et

in tempore regni nostri statuimus, quamvis lex nostra non sit: post autem nostrum decessum, qui pro tempore princeps fuerit, faciat, sicut ei deus inspiraverit aut rectum sicut secundum animam suam previderit. Quia non semel, sed multotiens cognovimus ubi talis causam emerserit, quoniam nec in rebus publicis, nec nulla rationem palatii profuerit, quod exinde actoris nostri tollerunt; et insuper invenimus et cognovimus multos actores nostros, qui tollebant de singulis unde decem solidos, unde sex, unde amplius, et dabant talem spatium atque tranquillum, donec ipse qui homicidium faciebat obsegrare potuisset, ut exinde nihil daret. Proindeque previdimus statuere: curtis nostra medietatem de aldiones et duas partes de servos, sicut super diximus, habeat, et relinqua parte ipsi parentis propinqui, ut unde habent dolore, habeant in aliquo propter mercedem consolationem.

4. Propter deum et eius misericordià precipimus atque statuimus sola pietatis causa, ut si aldius noster occisus fuerit, medietatem de ipsa conpositionem tollat curte nostra, et medietatem parentes ipsius defuncti, si vivo patrem habuerit aldione nostro, sibe matrem, sibe fratres, sibe filii.

. . . .

5. Oc precipimus, ut nullus presumat nec da servo nec da aldione nostro aliquid emere; quia pro cautella et futuris temporibus per omnes curtes nostras brebi facimus de omni territuria de ipsas curtes pertinentes. Unde precipimus, ut qui amodo inventus fuerit de servo aut de aldionem vel a pertinente de curte nostra aliquid emere, ipsum perdere habet, sicut qui res alienas malo ordinem invadit. Et si actor consenserit aut conscius fuerit, res eius tollere et inpublicare faciat. Quia debet omnis homo considerare propter deum et animam suam, quoniam nos illum relaxavimus a livero eremmanos (1), quod nobis in curtes nostras secundum antiquo edicto (2) legibus pertinebat; quoniam qui unam filiam relinquebat, tantum in tertiam pars substantiae patri suo succedebat, et duas in publico revertebant, si propinquos parentes non habebat; et si duas filias habebat aliquis aut amplius, in medietatem tanto succedebant patri suo, et publicus in medietatem: et ecce nos modo omnia de talibus causis propter deum et mercedem anime mee relaxavimus. Proinde unicuique debet sufficere sua substantiam, et non debet cupiditatem habere contra rationem conparandum da

(1) h. e. illam partem hereditatis quae filiabus arimannorum auferebatur.
(2) Roth. 158-160. 171.225.

servo aut de aldionem vel a pertinente nostro. Unde qui hoc facere presumpserit, conponere habet sicut scriptum est; insuper in periurii reatum nobis conparuit pertinere, eo quod nobis iuratum habet quod nobis fidelis sit; et qualis fidelitas est, dum ille cum iudicis aut actorem aut aldionem vel servo conludium facit, et res nostra contra nostram voluntatem invadit? Quia hoc statutum est in edictum (1), ut qui de serbo aut aldionem conparaverit, perdat pretium; et quale legem unus quis langubardus sibi habere vult, talem debet curtem nostram conservare. Et quis modo conparavit aut infiduciabit, perdat pretium suum secundum edicti tinore; qui vero hoc modo facere presumpserit, et pretium perdat, et sicut qui res aliena malo ordine invadit nesciente domino, conponat. Actor vero admittat substantiam suam, qui hoc consenserit, sicut superius legitur. Nam si nos relaxavimus, unusquisque habere debeat, cui preceptum fecimus aut fecerimus.

---

6. Et hoc enim statuemus, ut nullus iudex neque actor aut qui super furonis erit nuscuntur, non presumat servum aut aldionem alterius comprehindere pro furto aut alia culpa. . . . . .

INCIPIT LEGES QUAS DOMNUS RATCHIS REX INSTITUIT.

[I] IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, QUALITER IUXTA DEUM ET ANIMAE NOSTRAE SALUTEM ET OMNIUM NOSTRORUM RECTUM NOBIS PARUIT ESSE UNA CUM NOSTRIS IUDICIBUS, UT HOMINES POTENTES ET PAUPERES QUI SUAM QUAERUNT IUSTITIAM MINIME FATIGENTUR (*p. Chr.* 745 vel 746).

1. Ut unusquisque iudex in suam civitatem debeat cottidie in iudicium residere, et non adtendat ad exemulationem suam aut aliam saeculi vanitatem, sed per semetipsum resedeat et omnibus iustitiam conservet, ita ut de nullo homine premium accipiat, sicut iam per manum scriptam nobis promiserunt; qui aliter iudicaverit iudicatum

---

(1) Roth. 233-235.

suum amittat. Sed si quis iudex amodo neglexerit arimanno suo, diviti aut pauperi, vel cuicumque homini iustitiam iudicare, amittere debeat honorem suum, et conponat in palatio regis widrigild suum, et illi conponere debeat, qualiter edicti continet pagina, cui iustitiam iudicare neglexerit. Quoniam iam teste deo dicimus, quia nec alicubi vel ad orationem possumus exire aut ubicumque caballicare, propter reclamationes multorum hominum. Ideo hoc statuimus et volumus, ut omnis iudex hoc faciat, ut in dei non perveniamus offensa. Et ipsi iudices volumus ut in eo tinore precipiant ad sculdahis suos, aut ad centinos, aut ad locopositos, vel quos sub se habent ordinatos, ut et ipsi similiter faciant, et promittant ad iudice suo, sicut et ipsi iudices nobis promiserunt, ut sit nobis et illis tranquillitas et mercedes in anima. Nam qui a presente die Kalendarum Martiarum ea quae superius legitur non conservaverit aut non conpleverit, et tantas reclamationes ad nos venerint, primo omnium, de cuius iudicalia ipse homo iustitiam non habuerit et ad nos venerit, sciat se, quia de ipso honore eum expellimus, et per nullos patronos poterit obtinere ut honorem suum non amittat, et nobis et illis non conponat, cui iustitiam facere neglexit, sicut supra statuimus. Quia cognoscimus eum nec dei nec nostrum esse fidelem, nec pro salvationem terrae istius decertare, sed, ut diximus, contra deum quaerit agere et contra nos.

2. Si quis vero arimannus aut quislibet homo ad iudicem suum prius non ambulaverit, et iudicium de iudice suo non susceperit, et post iustitiam suam receptam sic venerit ad nos proclamare: conponat ad ipsum iudicem suum solidos quinquaginta. Propterea precepimus omnibus, ut debeat revertere unusquisque causam habentem ad civitatem suam ad iudicem suum, et nuntiare debeat causam suam iudici suo; et si iustitiam non receperit, tunc veniat ad nostram presentiam. Nam si quis venire antea presumpserit, priusquam ad iudicem suum vadat, qui habuerit unde conponere, solidos quinquaginta; et qui non habuerit unde conpositionem faciat, iuvemus ut eum fustetur. Ideo volumus ut vadat unusquisque ad iudicem suum, et percipiat iudicium qualiter lex fuerit.

3. Et hoc volumus, ut nullus homo presumat causa alterius ad dicendum supprehendere aut causare, nisi cum notitia de iudice suo, causam de vidua aut de orphano dicendum. Nam qui, ut diximus, de conliberto suo causa supprehendere aut causare presumpserit, conponat widrigild suum, medietatem regi et medietatem iudici suo. Et si iudex, qui fuerit ante quem causa altercatur, hoc fieri permiserit aut consenserit, conponat regi widrigild suum.

4. Haec itaque volumus et statuimus, ut unusquisque arimannus, quando cum iudicem suum caballicaverit, unusquisque per semetipsum debeat portare scutum et lanceam, et sic post ipsum caballicet. Et si ad palatium cum iudicem suum venerit, similiter faciat. Hoc autem ideo volumus ut fieri debeat, quia incertus est homo quid ei superveniat, aut quale mandatum suscipiat de nos aut de terra istius, ubi oportet fieri caballicatio. Si quis vero aliter facere presumpserit, conponat iudici suo solidos viginti; et [*si*] iudex ille, cuius arimannus hoc distulerit inplere, non distrinxerit, sicut supra diximus, conponat widrigild suum in palatio regis. De ferratura quidem et aliis armis vel caballis ita fieri debeat, sicut iam antea per nostram iussionem precepimus.

[II]. INCIPIT PROLOGUS DOMNI RATCHISI REGIS (*p. Chr. a.* 746).

Christi iesu et salvatoris nostri adsidue nos convenit precepta conplere, cuius providentia ad regiminis culmen pervenimus: ipsius auxiliante misericordia ea que genti nobis commissae conveniunt, id est catholice et deo dilecte langobardorum, statuenda previdimus. Quoniam gloriosissimus ac precelsus rothari rex, huius gentis langobardorum princeps, sibi deo inspirante leges inseruit atque innovavit, et omnes intentiones et dissensiones malorum regali studio resecavit; quidem et statuit, ut cuncti successores eius, que sibi deo inspirante aspera et dura cognoscerent, illi ad mollitiem et pietatis perducerent gratiam. Deinde successor eius grimovald precellentissimus rex, dum studiose atque vigilanter singulorum consideraret necessitates, que illi melius conplacuerunt, ad cultum salutis augendum minuendumque adiunxit. Post hunc vero gloriosissimus et orthodoxus fidei cultor atque huius gentis gubernator et noster per dei omnipotentis misericordiam nutritor, liutprand eximius et precelsus hac sapientissimus princeps, persistens in dei operibus et cotidianis vigiliis, omni pudicitia et sobrietate ornatus, sicut a deo promeruit per ipsius inspirationem omnia decenter elicuit et in edicti pagina cum suis langobardis ac iudicibus confirmavit. Idcirco per redemptoris nostri providentiam ego divino auxilio ratchis, precellentissimus et eximius princeps, anno regni mei secundo, die kalendarum martiarum indictione quarta decima, dum cum gentis nostrae, id est langobardorum, iudicibus, tam de austriae, quam et de neustriae vel tusciae finibus universa, quae a decessoribus nostris statuta sunt, sollicite considerassem, quaedam ibi iusta et quaedam purganda esse invenimus. Quia

dum pravi homines ea quae ad dominum pertenent, non considerant, magis huius saeculi lucrum, quam animarum suarum remedium intendunt, et per humanam astutiam debiles et egenos opprimere non desistunt; quoniam peccatis facientibus multos homines neglegenter et humana cupiditate conpulsos in periurio cadere cognovimus, eo quod gloriosus rothari rex in edicti pagina [*cap*. 366] statuerat, inter creditorem et debitorem seu fideiussorem intentione orta, quo tinore wadia dedisset, et debitor statutae causae tinore negaverit, licentiam ei esset aut per sagramento aut per arma ipso tinore negare. Sed nobis et nostris iudicibus atque langobardis adstantibus iustum conparuit, ut hoc periurium fieret resecatum.

Explicit prologus.

5. I. Si quis amodo in presentia regis vel iudicis seu liberorum hominum qualecumque modo wadia dederit, et postea negare voluerit ille, qui wadia dedit, quod in tali tinore wadia non dedissit, sicut ille qui wadia suscepit queritur: si fuerit inter hominis liberi, quorum fides amittitur, non habeat licentia iurare, quod in tali tinore wadia non dedissit; nisi qualiter iudex qui iudicavit se rememoraverit, vel homines qui interfuerunt quando ipsa wadia dedit, testificaverint, in tali conpleat, et in eorum testimonium credant. Quia si stantia, quam ante liberos hominis aliquis facit, stare debit: quanto magis ea causa, que per wadia firmatur, et hominis liberi intersunt, negare nihilhominus convenit. Si vero tales hominis inter non fuerint, quorum amittitur fides, quando ipsa wadia data fuerit, tunc exinde procedat iudicium, sicut ad ipsum rotharene regem est institutum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu dedisti sibi vadia de dare sibi 100 solidos in Kalendis Maiis. — Non dedi ipsa vadia. — Tunc ipse qui appellat probet; si non potuerit, ipse qui appellatus est iuret, quod in tali tenore vadia non dedit.

6. II. Reminiscimus enim, quia anterior edictus [*Liutpr*. 24] con-

---

5. Lex ista dicens: « non habeat licentiam iurare quod in tali tenore wadiam non dedisset » Rotharis legem que est « Si aliqua inter creditorem » (Roth. 366) partim rumpit; dicens vero: « sicut ab ipso Rothari rege est constitutum » eandem affirmat. In eo vero quod dicit, ut a partibus his qui interfuerint credatur, a Lodoyci capitulo « Si quis cum altero » (Lud. P. 15) rumpitur, in quo, si ille contra quem testes ducuntur falsos esse suspicabitur, alios adversus eos inducere permittitur. Dicens vero, stantiam coram tribus liberis testibus factam stabilem fieri, superiori lege que est « Si qualiscumque causa » (Liutpr. 8) concordat.

6. Libera servo coniuncta transacto anno iuxta superiorem legem que est « Si qua mulier libera aut puella servum tulerit » (Liutpr. 24) ancilla efficiebatur palatii. Unde lex ista... transacto anno servi domino ancilla efficitur, inde lex ista tamen manet in robore, si parentes de sibi ad vindictam tradita vindictam intra anni spatium dare neglexerint, ipsaque postea per 60 annos in libertate permanserit; deinceps vivat perpetuo libera.

tenere dignoscitur de liberis feminis, qui servis copulantur, ut quandoque inventi essent, in servitio reducerentur. Sed quia grimowald rex instituit de his qui per triginta annos in libertatem viverent, ut in servitio non replicarentur [*Grim.* 2], tamen quia curtes regia possessio non inpedit, nisi per sexaginta annorum curricula, sicut domnus liutprand rex instituit [*Liutpr.* 78], ideo definimus : si quae feminae admodum inventae fuerint, que sibi servi copulaverunt et per sexaginta annos in libertatem permanserunt, ipsae aut filii vel filiae earum, aut qui de ipsis procreati inventi fuerint, nullus eos in servitio replicare praesumat, sed in libertatem suam permaneant, sicut per sexaginta annos permanserunt. Si autem amodo presumpserit cuiuscumque servus arimanna ducere uxorem, sic exinde detur iudicium, sicut anterior pagina edictus [*Roth.* 221] continetur.

7. III. Si quiscumque langobardus qualecumque hominem servum aut haldionem suum facere voluerit, et ipse ad palatio venerit proclamandum, et iussionem regis acceptam ei deportaverit, ut aut ipse iudicit, aut veniat in presentia regis vel de iudices cum ipso iudicium habendum, et ipse neglexerit, et furore accepto si eum battederit, aut quod absit occiderit, sicut nunc factum ex peccatis esse cognovimus: conponat wirigild suo in palatio. Et si ipse homo vivus fuerit, et iam servus aut haldius sit, perdat eum cum rebus eius, et in libertatem permaneat ipse vel filii ipsius ; et si liber fuerit, wirigild suo conponat regi, si eum battederit, et ei conponat sicut ad liberum hominem. Nam si ipsum occiderit, pro hoc capitulum, sicut supra legitur conponat mortem illius, simul et wirigild suo regi pro praesumptionem ; si vero haldius fuerit aut servus, perdat filios eius et res ipsius, et conponat in palatium wirigild suum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu volebas eum facere tuum servum vel aldium, et ipse ivit ad regem reclamando, ut tu faceres finem ei, aut venires in presentiam regis aut iudicis cum ipso

---

7. Quod in hac lege habetur: « aut ipse iudicet » ita oportet intellegi: aut sibi non iniuriam faciat aut in presentiam regis veniat. — § 2. Quibusdam a Lodoyci capitulo quod est « Si quis litteras nostras despexerit » (Lud. P. 22) videtur lex ista corrumpi, in hoc quod ibi litterarum dispector in presentia regis venire ibique congruam sue stultitie castigationem iubetur suscipere. Sed non est rupta, quia iuxta predictum capitulum in presentia regis debet ire, tamen iuxta hanc legem penam iudicabitur suscipere, cum nulla pena magis, quam que in hac lege hac de causa videtur esse congrua. Ab eodem tamen capitulo tantum huius legis vindicte addicitur, quia legationis dispector, si comitis minister, est privandus officio. — § 3. Liuprandi lex quae est « Si quis liber homo se defendendum » (Liutpr. 20) partim ab hac lege rupta, que solum widrigild componere iubet homicidam, nulla posita differentia, utrum an se defendendo aut super eum ambulando ipse sit homicida, a Lotharii capitulo quod est « De homicidio » (Loth. 92), partim predictam huius legis iussionem corrumpente, est affirmata.

placitum habendo, et tu habuisti neglegentiam eundi et baptisti eum recepta ira. — Et ita approbet; si non, idoneet se appellatus. Si vero non potuerit, componat widrigild suum in palatio regis; et si servus est vel aldius, perdat eum cum rebus suis, et vadat liber cum filiis suis quo voluerit; et si liber est, suum widrigild in palatium regis componat qui eum battiderit, et sibi sicut ad liberum hominem.

Petre, te appellat Martinus, quod tu volebas Albertum suum patrem facere tuum servum vel aldium, et ille ivit ad regem reclamando, et ille preceptum regis commendatum apportavit tibi, ut faceres ei finem vel venires in presentiam regis vel iudicis ad placitum secum habendum, et tu occidisti eum. — De torto me appellas. — Approbet appellator, si potest; si non potuerit, purificet se appellatus, vel componat sicut lex est. Et haec probationes fiunt secundum quosdam.

8. IIII. Omnibus enim pene notum est, quia usque nunc per prava cupiditatem deducebant hominis sacramentum de cartola vinditionis, quae factas erant, et conpellabantur, quod pretium conpletum non haberent, qui ipsa cartola habebant et res possidebant; et ipsi emptores deducebant sacramentum, quod pretium conpletum haberent. Quod nobis et nostris iudicibus durum esse conparuit, quia qui pro opinionem suam iurare nolebat, dabat pro sacramentum suum aliquid, et habebat damnietatem sine causa; et naufraci hominis propterea ipsam conpellationem faciebant, ut aliquid eorum pro ipsum sacramentum tollere possint. Ideo decernimus, ut si quis cartola vinditionis alicui de aliqua res fecerit, et ad scrivane publico scripta, vel ad testibus idoneis rovorata fuerit, et tam ipse vinditur, quamque et testes in ipsa cartola subscripserint aut manus posuerint, et manifestaverint in ipsa cartola, quod pretium inter eos statutum suscepisset: si pulsatus fuerit postea emptor, quod pretium ipsum non conplessit, sacramentum exinde non procedat; nisi forte ipse ei per wadia oblicavit, ipse prendat fideiussorem suum.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse vendidit tibi unam suam casam, et conventasti sibi dare 100 solidos, et non dedisti nisi quinquaginta. — Non tibi respondeo, quia ecce carta, quae mani-

---

8. Lex ista dicens, si venditionis carta a testibus et scriba roborata pretium completum esse manifestavit, venditorem de pretio agere non posse, a Codicis libri capitulo..... (Cod. IV, 30, 14?) dissidet. — § 2. « Vel » et « aut », que in hac lege habentur, procul dubio pro « et » oportet intelligi.

festat de completo precio. — Si carta non manifestat, quod venditor subscripsisset aut testes, iuret venditor qui habebat precii partem, completum non esse.

9. V. Si quis iudex aut quiscumque homo missum suum diregere presumpserit roma, ravenna, spoleti, benevento, francia, baioaria, alamannia, ritias aut in avaria sine iussione regis, animae suae incurat periculum, et res eius infiscentur.

10. VI. Cognovimus enim, quod per singulas civitatis mali hominis zavas et adunationes contra iudicem suum agendum faciebant. Sed ita statuimus, ut si amodo quiscumque homo adunationem cum quattuor vel quinque aut amplius hominis fecerit, dicendo quod voluntatem iudici suo non faciat quae ille ei recte dixerit, aut ad eius iudicium non vadat, confidens in alicuius patrocinio, et alios circa se adgregare voluerit ut ipsi similiter faciant, conponat sicut anterior edictus de seditionem contra iudice suo levatam continere videtur. Si vero

---

10. Martine, hoc te appellat Iohannes partis publice advocatus, quod tu adunationem cum quattuor aut pluribus hominibus fecisti dicens, te voluntatem tui iudicis non facturum de eo quod ille recte dixerit, aut ad eius iudicium non iturum, et huius caput fuisti. — § 2. Dicens lex ista: « sicut in anteriori edicto contineri videtur » superiorem legem que est « Si quis sine voluntate regis » (Liutpr. 34) reducit memorie. Que utraque rumpitur a Lotharii capitulis que sunt « Volumus de obligationibus » « De conspirationibus » (Loth. 5, 67), quia, si sacramento aut dextra aut obligatione hec adunatio fuerit, non hac lege finietur sed predictis capitulis; si vero neque sacramento neque dextra aut obligatione fuerit, et rei caput aliqua dignitate sublimatus est, non morietur, donec regis venerit in presentiam, Lotharii precipiente capitulo « Collecta ad malum faciendum » (Loth. 55). — § 3. Hec lex dicens: « fiat ei datur in manus cum rebus suis » Rotharis legem quae est « Si quis qualemcumque » (Roth. 9) partim rumpit, in qua dolosus accusator widrigild iubetur componere. — § 4. Quod autem in hac lege habetur: « si vero de causa regis aliquis dicere voluerit », dicebant quidam, universaliter de qualibet causa regis esse intelligendum, referendo quod inferius legitur: « sicut anterius edictum continet » non ad solam edicti legem sed ad maiorem edicti partem. Sed male dicebant: non enim de alia causa intelligendum est esse locutum, nisi de his de quibus lex Rotharis quae est « Si quis qualemcumque hominem ad regem accusaverit » loquitur, ad quam « anterius edictum continet » refertur, quia non superius de alia regia causa accusator nisi de illis dicitur esse culpabilis. Et etiamsi universaliter de qualibet causa regis loqueretur, ut ipsi dicebant, iam haec iniquitas inde procederet, quod, si quis quemlibet accusaret, quod regis servum rusticanum in facie plagasset, et veritatem non approbaret accusator, iuxta hanc legem cum omnibus rebus suis in manus accusati esset tradendus, cum, etiamsi accusator veritatem approbasset, appellatus tamen nisi solidos 2 (Cf. Roth. 104) iuxta hanc legem (Roth. 370) que causam regis duplicare facit esset compositurus. — § 5. « Qualitatem cause » ideo hec lex posuit, quia accusatus ad regem quandoquidem incurrere debet anime periculum et omnes res suas ammittere, quandoquidem aut incurrere periculum anime aut solidos 900 debet componere, ut patet in legibus Rotharis in initio positis (Roth. 1-8), quarum lex Rotharis quae est « Si quis qualemcumque hominem » (Roth. 9) diffinitio esse dicitur. — § 6. Lex hec dicens: « et si veritatem approbare non potuerit, fiat ei datus in manus » et cetera predictam legem Rotharis quae est « Si quis qualemcumque hominem » partim rumpit, in qua, si approbare non potuerit, solum widrigild iubetur componere. — § 7. Superiores leges Rotharis et Liuprandi (Roth. 150; Liutpr. 25-27) penam aliam, quam que in hac lege habetur, comitis perpetrande iustitie neglegentiae imponentes a lege ista corrupte sunt, scilicet, si comes ad amicum vel ad premium attenderit, ut widrigild et dignitatem ammittat. Pipini capitulum quod est « De universali quidem populo » (Pipin. 7), comitem, si ad gasindium vel ad parentem vel ad premium adtenderit, widrigild dare et ammittere dignitatem precipiens, legem istam corroborat.

de causa regis aliquid dicere voluerit, sit ei licentiam veniendum ad palatium; et si, super quem dixerit, veritatem adprovaverit, sit condemnatus cui adprovaverit, et suscipiat sententiam secundum qualitatem cause, sicut anterior edictus contenit; et si veritatem adprovare non potuerit, fiat ei datus in manus cum rebus suis, et faciat de eo quod voluerit. Violentia quidem, si sustinuerit aliquid aut a iudicem suum, aut ab alium hominem, et iudex neglexerit iudicare, forsitans adtenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum, vel ad premium, et legem non iudicaverit: tunc veniat ad palatio, et reclamit sua violentia; et si provatum fuerit, non computetur in adunationem ei qui proclamavit, sed ipse iudex conponat wirigild suum, medietatem regi et medietatem ei cui iustitiam denegavit, et honore suo amittat. Arimannus quidem ille, si mentierit et dolosae hoc dixerit, et si antea venerit ad palatium, quam ad iudicem suum vadat ad iudicium: si habuerit unde conponere, conponat solidos quinquaginta, medietatem regi et medietatem iudici suo. Et si talis homo fuerit, quod non habuerit unde conponere, suscipiat disciplina, ut ipse emendatus fiat, et alii hoc facere non presumant.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu fecisti adunationem cum quattuor hominibus contra tuum comitem dicendo, quod voluntatem eius non faceres, quam tibi recte dicebat, et tu fuisti in capite.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Dominicus fecit adunationem contra suum comitem dicendo, quod voluntatem eius non faceret, quae sibi recte dicebat, et tu fuisti cum ipso.

Petre comes, te appellat Martinus tuus erimannus, quod ipse reclamavit se ad te, quod tu faceres sibi iustitiam de Dominico, qui habebat occisum suum patrem, et tu adtendisti ad praemium et non fecisti sibi iustitiam.

11. VII. Si quis causam alterius agere aut causare presumpserit in presentia regi aut iudici, excepto si rex aut iudex licentiam dederit

---

11. Lex ista roboratur a Pipini capitulo quod est « Ut vidue et orphani » (Pipin. 5), in quo orphani vel vidue tutor, si pro eis agere aut respondere noluerit, ut comes alium concedat, precipitur. — § 2. Quod in hac lege habetur: « de tali homine », ad utrumque sexum referendum est, veluti de surdo et muto, mente capto et virginibus et similibus. — § 3. In eo quod lex ista dicit: « ille in cuius obsequio est, habeat licentiam causam ipsius agere » ab Octonis capitulo « Laycorum vero » (Ott. I, 8) corrumpitur. Sed non est rupta, quia ita salvari potest: predictum Octonis capitulum intelligendum est de eo tantum advocato locutum esse, qui solis in ipsis pugnis, quas Octo fieri iubet, est habendus.

de vidua aut de orfano aut de tale hominem qui causam suam agere non potit, conponat wirigild suo, medietatem regi et medietatem ei contra quem causaverit. Et si forte aliquis per simplicitatem causam suam agere nescit, veniat ad palatio, et si rex aut iudex praeviderit, quod veritas sit, tunc ei dare debeat hominem, qui causam ipsius agat. Nam si iudex hoc consenserit, excepto his capitulis, et non emendaverit, et ipse similiter conponat wirigild suum regi. Si enim quiscumque liber homo in servitio de gasindio regis, aut eius fidelis introierit, et iudex, de sub quem fuerit, dolose eum obpremere quesierit, pro eo quod ipse in alterius servitio introivit, et per ipsum dolum inlecite ei iudicaverit, et forsitans ab ipso iudice suo iustitia invenire non potuerit: tunc conponat iudex, sicut supra legitur, et ille in cuius obsequio est, habeat licentia causam eius agere, et usque ad legem perducere; sic tamen, ut antea vadat ad iudicium de iudice suo, ut ad ipsum suscipiat iustitiam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti unam plagam in capsum ad Marcoardum. — Da vadia de widrigildo, quia tu agis causam alterius. — Aut probet, quod sit sibi data actio, aut componat widrigild. Si dixerit: « iste est simplex aut est orphanus aut vidua, et comes dedit michi licentiam », aut probet, aut emendet widrigild.

Petre comes, te appellat Martinus, quod Dominicus egit alterius causam contra se in tua praesentia, et tamen consensisti pro eo agere, et non erat vidua nec orphanus ipse, de cuius causa agebat nec talis qui bene non possit agere causam suam, et non emendasti.

Petre comes, te appellat Martinus, quod propter quod ipse intravit in servitio de gasindio regis iudicasti ei illicite.

12. VIII. Relatum est nobis, quod sint aliqui pravi hominis, qui submittant in palatio nostro secretum nostrum discendum, ut aut per dilicioso, aut per hostiario aut per alios hominis captiosae aut absconsae aliquid investigare possint, quidquid nos agamus; et ipsi qui rogantur, quidquid cognoscere possunt eorum, mandant aut annuntiant nostra secreta, et adhuc in extranea provincia mandatum faciunt. Sed adparit nobis, ut qui tale causa penetrare presumit, non est in fide sua rectus, sed in mali suspectione manere videtur. Unde decrevimus, ut qui in tale causa amodo temtus fuerit, tam qui submittit quamque qui submittitur, animae suae incurrat periculum, et res eius infescentur; quia sicut dicit scripturae (*Tobias*, 12, 7): secretum regis abscondere bonum est, opera autem dei revelare honorificum est.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu fuisti summissus in palatio regis ad discendum secretum regis, et fecisti mandatum in extraneam provinciam.

[III. RATCHIS REGIS CAPITULA IN BREVE STATUTA].

Prologus. Ista, quae superius scripta tenentur, in edictum scribantur, et ista capitula dua de subtus in breve previdimus statuere.

13. Hoc autem statuere previdimus, ut marcas nostras christo custodiente sic debeat fieri ordinatas et vigilatas, ut inimici nostri et gentes nostre non possint per eas sculcas mittere aut fugacis exientes suscipere, sed nullus homo per eas introire possit sine signo aut epistola regis. Propterea unusquisque iudex per marcas sibi commissas tale studium et vigilantiam ponere debeat, et per se et per locopositos et clusarios suos, ut nullus homo sine signo aut epistola regis exire possit. Et dum ad ingrediendum venerit peregrini ad clusas nostras, qui ad romam ambulare disponunt, diligenter debeat eos interrogare unde sint; et si cognoscat, quod simpliciter veniant, faciat iudex aut clusarius syngraphûs, et mittat in cera et ponat sibi sigillum suum, ut ipsi postea ostendant ipsum signum missis nostris, quos nos ordaenaverimus. Signum post hoc missus nostri faciant eis epistola ad romam ambulandi; et con venerent da romo, accipiant signo de anolo regis. Si vero cognoverent, quid fraudelenter veniant per suos missos, eos ad nos diriga, et innotescat nobis causa ipsa. Nam qui ille iudex hoc facere distullerit et, quod absit, forte per ipsius noticia aliquis exierit, sanguinis suo incurrat periculum, et res eius infiscentur. Et si presumpserit iurare, quod sine eius premissu factum fuisset, sit solutus a culpa: pro nilectum tamen, sit se iduniaverit, conponat in palacio widricild suum. Et hoc addimus, ut unusquisque iudex p*o*na*t* sollicitudinem per iudicaria sua in partibus tusscie, ut nullus homo possit sine voluntate regis vel sigillum aliquid transire; et si inventum fuerit, quod sine iussione transisset [vel sigillum aliquid transire] n*ec* edoniaverit, conponat widricild suum.

14. De gasindiis quidem nostri ita statuere, ut nullus iudex eos opremere debeant, quoniam nos debemus gasindios nostros defendere. Et si contra lege aliquid faciunt ad arimannano homine, et ad iudice reclamaret suum, iudex aut per epistola aut proprio ore admoneat

gasindio nostro, ut iudicet *ipsese*, et ipsum si iudicare non scit, advocis alios conlibertûs, qui sciunt iudicare, et iudicit causam ipsam per legem et faciat iudicatum suum ut arimannus ipse fatigatus non fiat: nam antequam eum admoneat, sicut dictum est, non per wifa, non per pigneracionem sine iussione nostra facere quis presummat. Gasindius vero ipse, si distullerit iudicare, et legem non iudicaverit, (*iu*)dix eum distringat idem arimanno iusticia faciendo: sit tamen non doloso animo, et ipse gasindius stare debeant in iudicium ipsiuuis iudicii, et ipse iudix amittat iudicatum suum. Si enim postea ei apparuit, quod legibus non iudicasset, veniat cum ipso iudicato in presencia nostra.

Explicit de domno Ratchis.

INCIPIT LEGES QUAS AHISTULF REX ADIUNCXIT.

[I. DE ANNO PRIMO, *p. Chr.* 750].

. . . in generatione et tempora antiquorum langobardorum promiserunt, et antiquorum suorum dispositiones usque nunc servaverunt. Sed modo auxiliante domino nostro iesu christo aistolfus, in ipsius nomine rex gentis langobardorum, traditum nobis a domino populum romanorum, anno regiminis primo, indictione tertia, residente intra ticinum in palatio nostro una cum cunctis iudicibus et langobardis universarum provinciarum nostrarum: previdimus enim ut, cum edictus langobardorum antiquorum regum precessorum nostrorum fuerat institutus, paruit in eius volumine adaugeri et in capitulare affigere die kalendarum martiarum.

1. Primo omnium statuerunt de donationes illas, quae facte sunt a rachis rege et tassia coniuge ipsius, ut omnia illa praecepta quae postea facta sunt, postquam aistolf factus est rex, stare nullatenus debeant, nisi per ahistolfus regem ei denuo, cui donatum est, fuerit concessum.

2. De illos homines qui possunt loricam habere et minime habent,

vel minores homines, qui possunt habere cavallum et scutum et lanceam et minime habent, vel illi homines qui non possunt habere nec habent unde congregare, debeant habere scutum et coccura. Et stetit ut ille homo, qui habet septem casas massarias, habeat loricam suam cum reliqua conciatura sua, debeat habere et cavallos; et si super habuerit per isto numero debeat habere caballos et reliqua armatura. Item placuit, ut illi homines, qui non habent casas massarias et habent quadraginta iugis terrae, habeant cavallum et scutum et lanceam; item de minoribus hominibus principi placuit, ut si possunt habere scutum, habeant coccora cum sagittas et arcum.

3. Item de illis hominibus, qui negotiantes sunt et pecunias (1) non habent: qui sunt maiores et potentes, habeant loricam et cavallos, scutum et lanceam; qui sunt sequentes, habeant caballos, scutum et lanceam; et qui sunt minores, habeant coccoras cum sagittas et arcum.

4. Et hoc item de illis hominibus, qui negotium fecerint sine voluntate regis cum romano homine: si fuerit iudex, qui hoc facere presumpserit, conponat widrigild suum et honorem suum amittat; si fuerit arimannus homo, amittat res suas et vadat decalvatus clamandum: « sic patiatur qui contra voluntatem regis cum romano homine negotium fecerint, quando lites habemus ». Similiter conponat iudex, qui neglectum fecerit ad inquirendum, si ante ad eius notitiam pervenit, quod arimannus eius hoc fecisset, aut alius homo in eius iudicaria, conponat widrigild suum, honorem suum non perdat. Et si dixerit ipse iudex, quod ad eius notitiam non venisset, purificet se ad sancta dei evangelia, quod ad eum non pervenisset.

5. De clusas, qui disruptae sunt, restaurentur et ponant ibi custodiam, ut nec nostri homines possint transire sine voluntate regis, nec extranei possint introire in provincia nostra similiter sine voluntate regis vel iussione. Et in quale clusa inventus fuerit, tali pena subiaceat clusarius qui custodire neglexit a iudice suo, qualis ipse iudex a rege anteposito, nisi iudex pro utilitate regis miserit missum suum, aut reciperit tantummodo pro causa regis.

6. De navigio et terreno negotio: ut nullus debeat negotium peragendum ambulare, aut pro qualecumque causa, sine epistola regis aut sine voluntate iudicis sui; et si hoc fecerit, conponat widrigildum suum.

7. De iudicis et sculdahis vel auctores, qui homines potentes dimit-

(1) i. e. peculium.

tunt ad casa seu de exercitu: qui hoc faciunt, conponat sicut edictus continet pagina.

8. De inlicita coniunctione, qui nec unde canones aut edictus habet, esse non possunt copulatûs, placuit idem principi, ut a presente separentur; et quis intra presentem indictionem causam istam de nostris iudices neglexerit ad iudicandum aut distringendum, conponat widrigild suum; quia de causa ista apparet nobis et omnibus: qui talia consentiunt, contra deum et animam suam faciunt, et malitia amplius crescit.

9. De furonibus, qui neglexerit inquirere aut sollicitare, vel qui eos transire permittunt foris clusas, ita subiaceat sicut edicti continet pagina, et intra presentem indictionem fiat inquisitio. Et hoc statuimus, ut si conprehensus a qualecumque iudice fuerit, et de sub alio iudice collegam suum criminaverit, et ipse iudex qui ipsum furonem conprehensum habet ad alium iudicem mandatum fecerit, et ipse neglexerit eum conprehendere: conponat ipsum furtum cui factum est iudex ipse, eo quod conprehendere neglexit furonem ipsum. Et si servus cuiuscumque fuerit, faciat scire dominum eius, et ipse dominus eius inquirat servum suum, et faciat ei iustitiam qui conpellaverit; et si ipse dominus eius neglexerit conprehendere aut inquirere, conponat ipsum furtum cui factum est, eo quod conprehendere neglexit.

[DE ANNO QUINTO, *p. Chr.* 755].

INCIPIT PROLOGUS.

Quoniam prophetica nos vaticinatio admonet dicens: « Iusta iudicate filii hominum », et alibi: « Iustitiam discite, qui habitatis terram, quia iustus dominus iustitiam dilexit », illa nos sedule convenit sancire, ut et gens nobis commissa in iudicio non gravetur, et omnipotenti deo, cuius opitulatione regnamus, in omnibus placere valeamus, decessorum nostrorum sequentes exemplum, qui, redemptori omnium saeculorum pleno pectore placere desiderando pro sibi commissae gentis tuitione, ut recto moderamine regeretur, leges inposuerunt. Idcirco ego, in dei omnipotentis auxilio ahistulf, praecellentissimus rex catholicae gentis langobardorum, praecessorum nostrorum omnia instituta perpendens, quedam ibi repperimus non adnexa, de quibus maximus error nostros iudices ad danda iudicia involvebat,

anno felicissimi regni nostri in dei nomine quinto, die kalendarum martiarum, indictione septima, convocatis ex diversis partibus regni nostri pertinentibus iudicibus, communi consilio in edicti pagina adfigi statuimus, quae praecellentiae nostrae iuxta deum iusta comparuerunt, quatinus iustitia maneat et nostrorum iudicum iudicio omnis obscuritas inluminetur.

10. I. Recolimus enim in anteriore edicti paginam esse insertum, ut si frater decederit absque filiis filiabus, et sorores relinquerit, ipsae ei heredes succederint; nam amedanis eorum nepotum possessionem capere nullumodo potebant, quia nichil de eisdem amedanibus ipse continetur edictus, nisi aut sorores aut parentes propinqui succedebant; et dum remanebant in capillo in casa inordinate, patientes necessitatem, servis se copulabant. Ideo deo nobis inspirantem statuere previdimus, ut si quis langobardus moriens sororem, una aut plures, in capillo in casa reliquerit, et filium unum aut plures, filii ipsius debeant perpensare, qualiter amedanis eorum absque necessitatem vivere possent secundum qualitatem substantiae suae, ut amedanis illorum indigentiam non patiatur, neque de victum, neque de vestimentum, sed nec de obsequio suo. Et si in sacro monasterio sub statuta regula vivere voluerit, ab ipsis suis nepotibus ordinentur, ut illis praevisum fuerit aut convenerit. Si autem predictus nepotis decesserit absque filiis filiabus aut intestatim, et sorores reliquerit, amedanis eorum, qui in casa in capillos remanserint, cum ipsas nepotes suas in rebus nepotum et fratrum succedant equaliter, quantaecumque fuerint.

11. II. Anterioris edicti (*Roth.* 224. *Liutpr.* 23) leguntur capitula, ut si quis langobardus pertinentem suum in quarta manum tradiderit et ad se hamund fecerit, aut circa altario deducendum sacerdoti tradiderit, soluti ab omnem conditionem servitutis permanerint. Sed quoniam perversi hominis benefactores suos accepta libertatem postponebant, et ipsi eum postmodum retinere nequaquam valebant, multi hominis timentis ne sui liberti eos postponerent, libertatem eis facere obmittebant. Propterea statuimus, ut si quis langobardus pertinentem suum thingare voluerit in quarta manum et cartola illi fecerit, et

10. Lex ista dicens: « in anterioris edicti pagina » superiorem legem que est « Si quis Longobardus sorores reliquerit » (Liutpr. 3) memorie reducit.

11. Rotharis legem quae est « Si quis servum suum proprium » (Roth. 224) et Liuprandi legem quae est « Si quis servum aut ancillam » (Liutpr. 9) lex ista dicens: « anterioris edicti legitur capitulis » commemorat.

sibi reservaverit servitium ipsius dum advixerit, et decreverit, ut post obidum eius liber sit: stabilem debeat permanere secundum textu cartule quam ei fecerit, quia iustum nobis apparuit, ut homo benefactorem suum, vivente eum, dimittere non debeat. Nam qui in ecclesia liberum dimiserit per manus sacerdotis, sic maneat ei libertas, sicut anterior edictus (*Liutpr.* 9) contenit.

12. III. Cognovimus multotiens perfidos homines contra voluntatem defunctorum suorum parentum agere, dum ipsi pro animabus suis per loca venerabilia res suas distribuebant, et pertinentibus suis simplicem libertatem cum rebus quibuslibet donabant, et cum ipsis hominibus per astutia agebant, et eos ad suis cespitibus removentis in suum servitium replicabant, postmodum libertatem simul et res amittebant. Ideo previdimus, hanc resecare malitiam, ut voluntas et ordinatio inpleatur defuncti. Et ita sancimus, ut si quis langobardus per cartola, in sanitatem aut egritudinem suam, res suas ordinaverit, et dixerit eas habere loca venerabilia, et familias, per que res ipsas excoluntur, liberas esse dixerit, ut in ipsis religiosis locis redditum faciant: secundum ipsius statuta reddant omni in tempore iuxta domini sui preceptionem ipsi et filii filiorum illorum; et sint liberi de suis personis sicut domini eorum instituerint, et ab eius heredibus non replicentur, nec ad suis cespidibus removeantur, sed ab ipsis locis venerabilibus defensentur; excepto si sua voluntate voluerit exire, licentiam habeat in sua libertate exire, et vivere ubi voluerit. Nam si ad finis mortis properaverit, ita ut nec thingare hominem suum possent, neque in manu sacerdotis traderint circa altario liberum dimittendum, propter subitanea morte, et instituerit, ut post eius obitum per manum sacerdotes, qualem designaverit, circa sacro altario deduci debeatur; causa miserationis decrevimus, ut sicut dominus eorum preceperit, ita inpleatur, et sacerdotes, quem designaverit, eum absque cuiuscumque contradictionem absolvat, et liber permaneat; quia maxima merces nobis esse videtur, ut de servitio servi ad libertatem ducantur, eo quod redemptor noster servus fieri dignatus est, ut nos libertatem donarit. Si vero aliquid ei in ipso exito suo donaverit aut donare preceperit, stabilis ei ipsa donatio permaneat, quia apostolus paulus auctoritas maxime ad domesticos fidei beneficium praestare iubit. Et pro launegild imputetur ei ser-

---

12. Si presbiter, cui defunctus commisit, servum libertare noluerit, usu et iustitia debet ab episcopo coerceri. « Redemptor enim noster servus fieri dignatus est id est obediens usque ad mortem » (Epist. ad Philipp. 2, 7. 8).

vitium suum, eo quod servus non habit, unde aliut launegild ei faciat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es servus suus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum: *ecce carta libertatis, quam pater tuus michi dedit. — Aut dicat falsam aut taceat.*

Petre, te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Petri, unde tu es advocatus, tenet sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra propria est de monasterio per cartam quam pater tuus fecit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es servus suus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum per cartam, quam michi fecit Paulus presbiter. — Quid pertinuisti ad presbiterum? — Pater tuus liberum non potuit me dimittere propter subitaneam mortem et commendavit, quod presbiter Paulus dimitteret me liberum.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. — Dominus meus, quando venit ad mortem, donavit michi ipsam terram.

13. IIII. A nostris decessoribus (*Liutpr.* 112) iam antea est institutum, ut langobardus potestatem habeat filium suum sibi bene servientem de rebus suis meliorare; de filiabus non contenebatur. Ideo statuimus, ut si duas filias habuerit, et filium non reliquerit, potestas ei sit unam filiam suam, qualem voluerit, meliorare tertia parte rerum suarum; si tres fuerint, quarta, et si amplius fuerint, per hanc rationem conputetur.

Maria cum Dominico tuo tutore; Alberga cum Stephano suo tutore te appellat, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.

14. V. Si quis langobardus decidens uxori suae usumfructum de

---

13. Liuprandi legem quae est « Si quis Longobardus filiis suis » (Liutpr. 112) lex ista reducit memorie. — § 2. Lex ista ideo in principio est locuta pluraliter, quia, licet tantum unus decessor hoc in lege instituit, plures tamen voluntate et vulgari locutione sine scriptis id antea instituerint. — § 3. Rotharis legem que est « Si pater filiam suam » (Roth. 199) partim lex ista corrumpit, quia ibi filia, quicquid ei ad virum eunti pater dederit, in commune precipitur mittere; hic vero, si due sunt, unam quamlibet voluerit meliorare patri conceditur. Sed ita salvatur, quia illud, unde predicta lex Rotharis loquitur, non erat ei datum a patre specialiter pro melioratione; sed unde hec lex loquitur, specialiter pro melioratione dabatur, ideoque non est ponendum in confusum id est in commune.

14. Si quis, secundam habens uxorem et ex utrisque filios, ei usumfructum concedere voluerit, non iuxta secunde sed secundum prioris filiorum numerum usumfructum oportet concedere. — § 2. Quod in hac lege habetur: « de meta et morgincaph fiat secundum anterius edictum » ita oportet intelligi, ut non ad prioris viri heredes sicut usufructus redeat, sed ille, qui eam mundio suam fecerat, succedat, ut in posteriori Liutprandi lege habetur: « Si sorores in casa patris re-

rebus suis iudicare voluerit, et filiûs vel filias ex ea reliquerit, non amplius ei pro usumfructum iudicare possit, quam medietatem ex sua substantia super illut, quod ei in morgincap et metam secundum legem datum fuerit. Et si filiûs aut filias ex alia uxore reliquerit unum aut duos, possit uxore suae tertiam portionem ad usumfructum relinquere; si fuerint tres, quartam partem; si amplius, per eo numero conputetur; morgincap et meta, quod ei legibus data est, habeat inantea. Si quidem nupserit postea, aut mortua fuerit, usumfructum in integrum ad heredes revertatur, de meta vero et morgincap fiat secundum anteriore edictum.

Maria cum Dominico tuo tutore, te appellat Petrus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea est per usumfructum, et ecce cartula quam michi maritus meus fecit. — Si cartula manifestat sicut ista lex dicit, aut dicat falsam aut taceat.

Martine, te appellat Petrus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. — Mea propria est per successionem Albergae meae mulieris. — Non debes tu eam succedere in ipsam terram, quia fuit suus ususfructus, et lex commendat, quod revertatur ad me.

15. VI. Pervenit ad nos, quod dum quidam hominis ad suscipiendum sponsam cuiusdem sponsi cum paranimpha et troctingis ambularent, perversi hominis aquam sorditam et stercora super ipsa iactassent. Sed quia cognovimus malum hoc per singula loca fieri, previdimus, ne pro hanc causam scandala vel humicidias surgant, ut si quiscumque liber homo talem rem facere temptaverit, conponat solidos nonientûs, medietatem regi et medietatem ad mundoald eius. Nam si pertinentes hominis hoc fecerint sine voluntatem domini sui, et se

---

manserint » (Liutpr. 14), ad quam hec lex dicens: « fiat secundum anterius edictum » respexit; ibi enim legitur: « ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit ». Respexit quoque legem Rotharis que est « Si pater filiam suam aut quamlibet parentem » (Roth. 182), quia ibi legitur: « et si noluerit accipere, habeat ipsa mulier morgincaph et quae a parentibus adduxit id est faderphium », atque primam Liutprandi legem, iuxta quam tam primi viri, quam secundi, quam tertii filii non solum in metam atque quartam, sed in omnem eius substantiam matri, si vidua moritur, equaliter omnes sunt successuri. Sed si moritur vivente tertio marito iuxta Henrici capitulum quod est « Quicumque ex quacumque natione » (Heinr. I, 1) soli tertii viri filii ex utrisque nati non solum in metam et quartam, sed in eius omnem substantiam hodie sunt successuri. — § 3. Legem istam memorie reducit Widonis capitulum quod est « Volumus preterea » (Wid. 7).

15. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu aquam sordidam et stercora in Albergam, que sub eius mundio, paranimpham ad Petri uxorem suscipiendam euntem iactasti. — § 2. Grimoaldi legem que est « Si servus talem culpam « (Grim. 3) partim lex ista corrumpit, quia, si domini voluntate servus iniuriam istam fecerit, non eum dominus ad occidendum tradet, sed dabit 900 solidos, unde Rotharis legem que est « Si quis mulieri libere » (Roth. 26) affirmat.

dominus eorum per sacramentum purificare ausus fuerit, quod cum eius voluntatem nec consilio nec consensum factum non fuissit: servi ipsi tradantur in manus mundoald eius, et ipse faciat de eis quod ei placuerit; amplius patronus calomnia non habeat. Et si iurare non presumpserit, conponat, sicut supra legitur, solidos nongentos.

Petre, hoc te appellat Martinus, quod Maria sua mundoalda ibat, ut esset paranimpha cum ioculatoribus de sponsa Pauli, et tu vel servi tui proiecisti aquam sordidam et stercora super ipsam. — De torto. — Approbet appellator, si potuerit; si non, excdicat se appellatus, vel emendet sicut lex est.

16. VII. Si quis langobardus cum pontificibus, abbatibus, vel custodibus ecclesiarum seo exenodochiorum prepositis de quibuscumque rebus convenientiam fecerit, et poena inter se partes obligaverint, et heredes vel successoribus suis conligaverint, et idonei hominis interfuerint, non possint postea ab eorum successoribus removeri, sicut nec removitur ab eodem langobardo, excepto si pena obligatam conponere voluerit. Si vero commutationem fecerint de casis terris vel familiis, et fuerint inter missus regis vel pontificis seo iudices aut tales hominis tres, quorum fides amittitur, et res meliorata ei paruerit tunc, quando ipsa commutatio facta fuerit, quod pars loci religiosi suscipiat, nullo in tempore postea ab eorum successoribus re-

---

16. Martine, hoc te appellat Iohannes Papiensis episcopus et Andreas eiusdem episcopi advocatus, quod tu adversus episcopi ipsius partem terram tali in loco malo ordine detines. — § 2. Quamquam in libello scriptum sit: « et post penam solutam hoc libellum in suo maneat robore », lege autem ista datur intelligi: si episcopi vel abbatis successor libelli penam solvere voluerit, res a precessore libello concessas recuperare potest. Sed hodie absque solutione pene iuxta Lotharii capitulum « De precariis quoque » (Loth. 21) res a precessore concessas libello vel alio modo recuperare potest ita, si inrationabiliter veluti absque proficuo ecclesie concesse fuerint. — § 3. Lex ista, commutationes coram misso regis vel pontificis seu iudicis aut coram hominibus, quorum ammittatur fides, a Longobardis cum pontificibus abbatibus vel custodibus ecclesiarum seu senodochiorum prepositis factas valere precipiens, Novellarum leges (Iulian., Nov. 48, 2. 7, 1, 2) corrumpit, quae ecclesiam, nisi cum aliis ecclesiis aut cum rege, commutationes facere prohibent, nulla differentia posita, utrum sit cum proficuo ecclesiae vel non. Moderno tempore lex ista inde corrumpitur et predicte Novellarum leges inde affirmantur. Quia ab omni ecclesiarum ordine hodie iuxta capitulare (Lud. P. 53) lege Romana vivitur et in Caroli capitulo quod est « Sicut consuetudo nostrorum est, Romanus vel Longobardus » (Karol. M. 143) et cetera unusquisque tam Romanus quam Longobardus iuxta suam legem scriptionem facere precipitur, tunc omnis ordo ecclesiarum, cum ad legem Romanam vivat, iuxta predictas Novellarum leges scriptum commutationis facere compellitur: et si iuxta Novellarum leges predictas commutationis scriptum facere compellitur, tunc cum Longobardis commutationem facere non permittitur. Quamvis commutationes a Longobardis cum ordine ecclesiarum factas non valere superius ostendissem, contendi tamen potes iuxta intellectum Lotharii capituli quod est « Ubicumque commutationes tam tempore nostro quam genitoris nostri » (Loth. 52), commutationes a Longobardis cum ordine ecclesiarum predicto ordine factas stabiles debere permanere, quia predictum Lotharii capitulum, dicens: « Ubicumque commutationes, tam in tempore nostro quamque genitoris nostri non legitimae et inrationabiles atque inutiles ecclesie Dei factae sunt, dissolvantur, et recipiat unusquisque quod dedit », dat intelligi, commutationes a Longobardis cum ordine ecclesiarum factas stabiles permanere debere, si rationabiliter atque legi-

moveatur, sed semper commutatio ipsa firmis permaneat; et si removere voluerit, poena inter se conligata conponat pars ipsa, qui removere voluerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem episcopii sancti Syri, unde ipse est advocatus. — Ipsa terra michi concessa est per libellum. — Falsus est ipse libellus. — Si dixerit advocatus: « tu subtraxisti te de adimplere sicut legitur in libello », aut probet aut det penam. Si dixerit: « mea propria est per commutationem », tunc advocatus probet, quod ecclesia accepit peioratam rem, aut dicat cartam falsam.

17. VIII. Relatum est nobis, quod nunc usque talis fuissit consuitudo, ut monasteria vel reliqua loca venerabilia, que in defensione sacri palatii esse noscuntur, conpositione dubla exegessent ab hominibus, qui in ipsa venerabilia loca conponere devebant, sicut curtis regia exegere videtur. Nunc autem statuimus, ut monasteria, baselica vel exenodochia que ad palatii defensione esse videntur, si conpositionem exegere debuerint, non exegant sicut de causa regia dublum, nisi sicut alia venerabilia loca exegunt, que ad palatio non perteneunt.

18. VIIII. Si quis langobardus qualecumque rem possederit, et custodes locorum venerabilium de ipsis rebus eum molestaverit, et ipse

---

time, id est cum proficuo ecclesiae, sint facte. Sed si quis dixerit, iuxta predictum Lotharii capitulum predictas commutationes, id est a Longobardis cum ordine ecclesiarum factas, stabiles non debere permanere, eo quod irrationabiliter et non legitime id est contra legem facte erant: potest etiam iuxta Widonis capitulum quod est « Concedimus etiam ut sicut mulieres » (Wid. 8) quislibet dictas eas confirmare, in eo quod ibi legitur: « ut, sicut mulieres cum viris suis venundare et donare res suas possunt, ita et commutare valeant », nulla posita differentia, utrum ipse commutationes cum ordine ecclesiarum a Longobardis sint vel non. Item, si quis dixerit, predictum Widonis capitulum non aliam commutationem fieri posse precipere, nisi quae superioribus legibus, scilicet inter laycos, fieri permissa est, non intelligit: cum Theodoricus rex, cartarum compositor, in commutationis carta cum ecclesia (Cf. Cartular. 15), a Longobardo facta Longobardorum cum ecclesia, testatur, iuxta predictum Widonis capitulum, quod est « Concedimus etiam », commutationem facere posse, quod non faceret, nisi predictum Widonis capitulum ipsam commutationem fieri posse precepisset. — § 4. Quod in hac lege habetur: « si interfuerit missus regis vel pontificis seu iudicis », tali ratione distinguitur, ut regis missus intersit, si monasterium regis investiture sit subiectum; pontificis vero, si idem aut . . . sibi subiectum monasterium commutaverit; iudicis id est comitis, si eius investiture subicitur monasterium.

17. Quod in hac lege scriptum est « usque nunc », contendunt quidam, omnes regias causas, quae superius in edicto componi iubebantur, hac lege duplicandas esse. Sed usque ad tempus quo lex ista reperta est, referri oportet. Et quia lex ista testatur, monasteria sicut regiam curiam compositionem exigere et monasteria integram compositionem exigunt, conantur quidam asserere, superiorem legem que est « Omnes vero regales causae » (Roth. 360) de compositionum integritate non de medietate esse locutam.

18. Martine, Ticinensis episcope, hoc te et Lanfrancum, Ticinensis episcopi advocatum, appellat Petrus, Terdonensis episcopus, et Dominicus, eiusdem episcopi advocatus, quod pars Ticinensis episcopi absam curtem omnesque eius pertinentias contra Terdonensis episcopi partem malo ordine detinet. — Hec actio tamen non hinc, sed Romanorum lege diffinienda est. — § 2. Lex ista pos-

possessionem suam de triginta annis consignaverit, et eius claruerit possessio, possedeat et inantea. Similiter et venerabilia loca faciant de rebus, que ipsa possedeunt, si a langobardis fuerint pulsati. Quia anterior edictus (*Roth.* 228) contenit de quinque annorum possessionem, ut qui possederit per quinque annos in faciae eius qui pulsaverit, ipse se secundum legem defendat, et loca venerabilia inter se de rebus quibuslebit quadraginta annorum possessio excluditur: ideo iustum diximus, ut qui per triginta annos possederit possedeat et inantea.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem monasterii sancti Petri, unde ipse est advocatus. — Possessam habeo per 30 annos.

Petre, te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Petri, unde tu es advocatus, tenet sibi malo ordine terram in tali loco.

Petre, te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Petri, unde tu es advocatus, tenet terram malo ordine ad partem monasterii sancti Pauli, unde ipse est advocatus.

19. X. Si quis langobardus causam habuerit cum locis venerabilibus que ad defensione palatii esse noscuntur, si fuerit causa unde sacramentum debeat procedere: si iudex abbatem, custodem vel pre-

---

sessionem 30 annorum adversus loca venerabilia Longobardum dicere iubens et excluso, Romanam legem corrumpit, quae ut in Novellis legitur (Iulian., Nov. 119, 6) nullum nisi 40 annorum possessionem adversus loca venerabilia dicere permittens, loca venerabilia inter presentes personas 10 annorum, inter absentes vero 20 annorum possessionem adversus Longobardum atque Romanum nominare precepit. Unde non solum lex ista, sed etiam Romana a Pipini capitulo « De diversis generationibus hominum » (Pipin. 27) partim corrumpitur partimque affirmatur. Predictum enim Pipini capitulum, dicens: « unusquisque homo secundum suam legem se ipsum defendat », Longobardum 30 annorum possessionem adversus loca venerabilia dicere, ut hec lex precipit, confirmat, unde legem Romanam, que nullum nisi 40 annorum possessionem adversus loca venerabilia dicere permittit, partim ruptam esse insinuat. Dicens quoque: « unusquisque homo secundum suam legem se ipsum defendat» legem hanc, que 30 annorum possessionem adversus Longobardum venerabilia loca dicere iubet, partim ruptam esse notificat, legique Romane concordat, cum hodie venerabilia loca omnia iuxta capitulare (Lud. P. 53) legem Romanam vivant, et cum possessionem, quam supra diximus, adversus Longobardum atque Romanum dicere debeant. — § 3. Arbitrantur quidam, quinque annorum possessionem valere, eo quod eius in hac lege fit mentio. Sed non intelligere videntur, quia, dum lex ista 30 annorum possessionem valere confirmat, quinque annorum possessionem nichil valere notificat, veluti Octonis capitulum « De furto aut scacho » (Ott. I, 6), si ultra 7 solidos furtum fuerit, pugnam inde precipiens fieri, si minus fuerit, pugnam inde non futuram insinuat. — § 4. Lex ista, in eo quod inferius loca venerabilia possessionem 30 annorum inter se dicere videtur precepisse, a Pipini capitulo, « De diversis generationibus hominum » (Pipin. 27) rumpitur, in quo, « ut unusquisque defendatur lege sua », precipitur. Ideoque, cum iuxta Lodoyci capitulum quod est « Ut omnis ordo ecclesiarum » omnia loca venerabilia lege Romana vivant, non iuxta hanc legem possessionem 30 annorum, sed iuxta Novellarum legem que hoc precepit 40 annorum possessionem inter se dixerint.

19. Hec lex vacuatur a capitulo secundi Henrici « In legibus cautum est » (Heinr. II, 1) — ibi enim iubetur, ut nullus ordo clericalis iuret — concordatque legi Romane (Iulian., Nov. 119, 1) dicenti, canones patrum vim legum habere oportet. Canones autem sacramenta clericis interdicunt.

positum pulsaverit, ipse ei satisfaciat; si autem abbas, custus aut prepositus iudicem pulsaverit et sacramentum datum fieri debeat, ipse iudex iterum ei sacramentum deducat. Si vero alter langobardus habuerit causam cum abbatibus unde sacramentum deductum fieri debeat, anteponatur abbas ipse solus: nam aliûs quales elegerit, quanti secundum legem iurare debuerint, sacramentum deducant; ita tamen ut ipse abbas talis sit, qui per regula secundum deum vivat, et subiectos monachos usque quinquaginta et amplius, qui cum eo regulariter vivant. Si quidem cum alio custodem vel prepositum de locis venerabilibus causam habuerit, ipse custodis vel prepositi sacramentum deducant.

20. XI. Si quis cum curte regis causam habuerit, et evenerit ut pars curtis regis sacramentum deducere debeat: si maior causa fuerit, per sacramentum ovescarioni cum actoribus finiatur; si vero minor fuerit causam, actor de loco cum actoribus secundum qualitatem causae sacramentum persolvant.

21. XII. Et hoc definimus, ut postquam iussio regis fuerit in exercitum ambulandum, et constitutum positum ad movitionem faciendam, nullus presumat fideiussorem aut debitorem pro quacumque causa pignerare, si de una iudicaria fuerit, ad dies duodecim antequam exeat ad exercitandum, sed sit quietus ad duodecim dies antea et duodecim dies postea, postquam de exercitum fuerit reversus. Si autem de aliis iudicariis fuerit, similiter sit spatium ad dies viginti. Nam si quis intra ista spatia pigneraverit, conponat pignera ipsa, sicut qui contra rationem pignus abstulerit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu pignerasti eum in tanta sua mobilia, quae valebant solidos 100, infra 12 dies, postquam fuit reversus de exercitu.

22. XIII. Si quiscumque homo pro bonitatem suam introierit in

---

20. Hec lex facta est ideo, ne aliquis existimet, regis defensiones non debere fieri per capitulum Rotharis « Si qualiscumque causa inter homines liberos » (Roth. 359), vel ob aliud, id est ad excipiendam regis personam a sacramento.

21. Quod in hac lege scriptum est: « componat sicut qui contra rationem pignus abstulit » intelligendum est secundum Wilihelmum sibi nonum, sicut qui res alienas malo ordine abstulit (Liutpr. 150: cf. 39, 40); vel, ut alii dicunt, intelligendum est sibi duplum, sicut in Liuprandi lege que est « Quicumque homo sub regni nostri dicione » (Liutpr. 15), ubi dicit: « nam qui sine hac manifestatione pignorare presumpserit, iubemus, ut in duplum pignus restituat ».

22. In eo quod lex ista eum qui de servitute tendere voluerit, libertatem suam idoniare precipit, in servitute mansisse insinuat. Unde evidenter patet, quicumque in servitute manens ad libertatem venire desiderat, ut libertatem suam approbet absque appellationis necessitate, aut in servitute permaneat Unde ab eo differt, qui in [libertate remanserit; qui, si poterit et vult], libertatem sua probare oportet. Si vero nec potest nec vult, servitutem approbet appellator; qui si nequeunt approbare servitutem, libertatem suam appellatus sacramento idoneet. Notandum est: « si poterit et

servitio de iudicem aut de alio hominem, et deservierit ei vel ad filiûs aut ad nepotes ipsius, et claruerit veritas, quod parentes eius omnis liberi fuissint, et postea eum in servitio detenere voluerit, dicendo quod per triginta annos ei vel parentes eius deservisset, non possit eum per ista possessionem tenere; quia inpossibile est, et contra dei preceptum, dum omnis eius parentes liberi essent, ut ipse solus, qui voluntariae deservivit, in servitio deteneatur pro sola possessione. Nam si pro furto aut pro alia malitia, sicut edictus contenit, ad deserviendum in manus datus fuerit, et provatum fuerit, deserviat. Si vero eius parentes pertinentes fuerint, et ipse solus ad libertatem tendere voluerit, si ipse libertatem suam edoniare per cartola aut per hominis liberos vel possessionem iuxta legem non potuerit deserviat et inantea.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum nascendo, et quid tibi pertinet ad requirendum? — Ipse servivit michi per 30 annos. — Hoc non potes dicere. — Sed si dixerit: « per malitiam fuit traditus michi ad serviendum », aut probet aut taceat.

[PRINCIPUM BENEVENTI LEGES ET PACTA].

INCIPIT CAPITULA DOMNI AREGIS PRINCIPIS.

1. Si quis homo pauper absque parentibus, nichil etiam habens, ex quocumque negotium secundum legem potenti homini iuratus fuerit, ita decernimus, ut solus praevetu sacramentum; quin etiam modo

---

vult, libertatem suam probare oportet », ideo dictum est, quia in Codice legitur: « Liber se contendendo nec probando, non ammittat libertatem » (Cod. VII, 14, 13). — § 2. Si quis in libertate manens servitutis appellatus fuerit, undecumque sit appellator, ubi appellatus habitat, ibi finienda est accio. Si vero in servitute manens aut in servitutem fugiens se liberum dixerit, ibi finienda est accio, ubi qui se dominum dixerit habitat, testantibus Codicis tertii libri capitulis (Cod. III, 22, 3, 4), quorum hoc est unum quod est « Si in possessione libertatis constituta est — cum in status questione etiam actor rei forum sequi debeat — ibi causam liberalem agi oportet, ubi consistit que ancilla dicitur, licet senatoria dignitate actor decoretur ». Aliud: « Si ex positione servitutis libertatem quis proclamat, ibi agi oportet status causam, ubi domicilium constitutum habet qui se dominum dicit, non est ambigui iuris ». — § 3. Lex hec libertatem per possessionem idoniari precipiens a Lodoyci capitulo partim rumpitur, quod est « Placuit nobis de illis hominibus qui se liberos » (Lud. P. 55), in hoc quod ibi legitur: « ut per hanc possessionem liberi non sint ». Rumpitur quoque supradicto modo a Lotharii capitulo quod est « Ut per 30 annos servus liber fieri non possit » (Loth. 100), ut quidam dicunt.

simili potens iuramentum, quando ei contigerit, pauperi singulari exibeat. Si vero pauper aliquantula substantiola habuerit, cum quinque secum iuret, similiter et hoc quinario numero potens pauperi satisfaciat.

2. Si germanus alterum germanum aborta lite primum percusserit, posteaque cussus dolore stimulatus se defendendo percussorem occiderit, hoc itaque censimus, ut iusta personae interfecti qualitate (1) talem fratricidium componatur.

3. Si quis filium post mortem patris eius pulsaverit, ut asolet, dicendo quod ei aliquid praemii nomine pro qualibet causam dedisset, aut forsitan dum pater eius adviveret per vim aliquid attulisset, de his praepositis causis ostensio dumtaxat fieri non potest, necnon et ipse filius responderit, nequaquam talia scisset; idcirco iuratus dicat (2), quod nec non neglexisset perquirere, nec de ipsis rebus, unde pulsatus est, aliquid signum apud se repperisset.

4. Nonnulla flagitiorum veteres iurisperiti, dum fieri posse non crederent, decernere praecaventes, posteritati erronea relinquere vestigia. Ad nunc crevescentibus malis, et fieri posse creduntur, et quod dictum nephas est, facta videntur. Actenus religiosorum homicidia, eo quodpote aut inerme genus aut in omnibus venerandum haberetur, nullius conpositionis experta lex iudicali calculo claruit. Et si quondam forsitan contigisset, aut sub ostentu legalis neglegentiae vel oblitae rationis obmittebatur, aut certe censorum opinatione, aut illud, ut quique libitum erant, decernebatur. Ideo sicut omnibus simul aequissime placuit, sancimus, id est precepimus, ut si quis deinceps occiderit monachum vel presbyterum aut diaconem primatum tenentem, componat solidi 200 vel supra, ut principi patriae placuerit, usque trecentos. De caeteris vero personis inferioris gradus quae in palatio deserviunt, ducentorum solidorum compositio praeveniat. De reliquis autem ecclesiasticis, qui extra palatium deagunt, 150 sicut de laicis, qui exercitalibus militant armis.

5. Si pater filiae non habentis germanum aut germanus sorori occisi fuerint, ita nobis rationis iudicio complacuit, ut sicut in rebus patris vel germani secundum lege haereditates possessurae sunt, ita et occisorum compositiones haereditarie sibimedipsae exigant.

6. Si liber homo habet uxorem liberam, nichilque proprium possidens, talem culpam perpetraverit, pro qua damnatus questori secun-

---

(1) Cf. Roth. 74. 387. Liutp. 20.

(2) Cf. Roth. 365.

dum legem in manu pro servo tradendus fuerit, ipsa uxor [*libera maneat, et*] maritum tantum custodiant; ille vero qui eum in servitio acceperit, det marito eiusdem infra septimanam duos dies, sicut propriis servis, quatenus eam possit nutrire. Sin autem minorem culpam penetraverit, unde mox legis tradendi deest, sub estimatione iustissima vir et coniux deserviat ei, cui culpatum est, usque ad praefinitum tempus; post constitutionis autem dies libertantur in pristinam libertatem. Et si ipsa uxor tantum culpata fuerit, eisdemque modis, ut de viro superius censuimus, simul de utroque equalitate sententia detur; ita tamen, ut eius, qui eos acceperit, disciplinis et imperio sicut servi subiaceat. Si vero infra constitutum supradicti servitii tempus alteram alteri homini ingesserunt culpa, vir aut coniux, imperpetuum servi tradantur, et reus per dies, ut supra sibi concessum, uxorem nutriat, ipse vero dominus traditi unde prior [*pro*] servo, si contigerit, pro iniuria hab eo illata iustitiam querenti persolvat.

7. Et hoc constituimus, adolescentem ante 10 et octo anno etatis non posse solius ori sui manifestationem condempnari.

8. Nullus homo habens uxor legitimam, filiis vel filiabus, qui ex altera inlicita coniuge procreantur, legitima vivente per quolibet ingenium aliquid donatione facere posse: maxime dumtaxat, qui de incesto coitu nascuntur ex nuverca id est matrinia, aut prewigna id est filiastra, vel cognata quae est uxor fratris, aut ex germana uxoris, vel etiam ex consobrina generantur, omnimodo prohibeamus nullo quolibet argumento, quod cogitaverit vel dici humana versutia potest, his donationem facere posse, qui hoc facinus contraxit.

9. Si quis liberorum seu libertinorum ostenderit praeceptum libertatis quondam scriptum ante reversionem domini gisolfi de tras pado (1), et falsum procul dubio apparuerit, propterea si manifestare potuerit illis diebus scriptum fuisse, quos praediximus, in libertate permansisse, ita profecto censemus, ut quodquod ex tali libertate superstites sunt, sive homines sive mulieres, in pristinam servitutem revertantur. Filii vero vel filiae eorum, qui de ingenuis uxoribus procreati sunt, libertatem cum matribus permaneant.

10. Pervenit ad aures sublimitatis nostrae, quod quidam hominum versuta calliditate imbuti, propter obligationes vel debita, quae fecerant, propinquioribus parentibus, qui iusta legem heredes eorum futuri sunt, testamentum donationis ammittant, ut quaestores eorum creditas res facile perdant; propterea sic namque decernimus, ut

(1) Vid. Paul. Diacon. VI, 54-57.

primi heredes obligatione vel debita propinquorum persolvant, dehinc, quod residuum fuerit de rebus eorum, sibimet assumant.

11. Si quis in silva propria plaustrum quod vulgo dicitur carrum, honustum lignis cum bubulis deprehenderit, et fortasse ad domum suam perduxerit, per unumquoque lignum, quae imposita sunt plaustro, his cuius bobes et veiculum fuerint novem ligna componat. De plaustro vero sicut lex (1) testatur iustitiam praeveniant.

12. Satis infamis et inlicita consuetudo istis [*temporibus*] hinolevit, dum quaedam mulihercule defunctis viris, maritalis dominaturae solutae, licentius proprii arbitrii libertatem fruuntur. Abitum sanctimonialis in secrete domi suscipiunt, ne vim nuptialem perpatiantur, quippe tuta sibi cuncta fore arbitrantur, si coniugalis dominatui non subiciantur (2). Sicque fecit, ut sub optentu religionis demta omni formidine, quicquid animo delectantur, licentius assequantur. Namque deliciis affluunt, commessationibus student, potibis vineis ingurgitantur, lavacra frequentant, et quanto magis assequi possunt, tanto eodem habitu im mollitie delectationemque vestimentorum habutuntur. Igitur si quando in plateas processurae sunt, facies polliunt, manus candidant, incendunt lividinem, ut vescentibus incendia misceant: saepe etiam formosûs videre atque videri impudentius appetunt, et ut brebiter dicat, ad omnem lasciviam voluntatemque animi frena relaxant. Hoc quoque procul dubio luxuriante vitae fomite succensa, exurunt eas carnis incentiba, adeo ut non solum unius, set quod dicit nefas est, plurimorum prostitutionibus clanculo substernantur; et nisi uterus intumuerit, non facile conprobatur. Talem itaque pestem execrandam modis omnibus contestantes, instituimus, ut quivislivet affinitate iunctae, innuptae vel viduae [*quae*] velamen sanctae religionis induerunt, et intra anni circulum eas, quatenus voluerit, vel potuerit, in monasterium trudi dilataverit, propterea si stupri crimine detectae fuerint, componat guidrigild suum in palatium: princeps videlicet eiusdem temporis cum ipso guidrigild rebusque retrudat propriis eas in monasterium.

13. Divinae legis (3) auctoritas communans testatur: «Si quis in captivitatem duxerit, in captivitatem vadat». Hactenus adeo haec patria crudelis limine perniciem perpetitur, ut etiam transmarinis paganitatis gentibus eius habitatores indifferenter vendant. Propterea presenti iudicio (4) sententia damus, ut si quis hominem furtiva arte

(1) Liutp. 82.
(2) Cf. Liutpr. 30.
(3) *Apocalyps.* 13, 10.
(4) Cf. infra Sicardi cap. 3. 4.

vel quolibet modo extra provinciam vendiderit, sic eum componat, sicut his qui infra venenundant; ita tamen ut venditoris persona ultra mare venundetur. Si vero pauperrimus fuerit nichil habens, unde compositione procedant; quod superest, persona eius, ut supra trans mare venalis vadant.

14. Quaecumque mulier propria res habens, mortui mariti lectum caste servaverit, et de rebus suis aliquid pro anima sua iudicare voluerit, quae [*filii*] eius minime consenserint, sicque prospeximus: si duos filios habuerit, tertiam partem (1) de rebus suis disponere liceat: si quidem tres, septimam partem: si quattuor habuerit, nonam; si vero amplius, per hanc numer[*or*]um ratiocinationem (2), ut contigerit, sorte dividantur.

15. Si quis terram vel mancipium per triginta annorum circulos absque pulsationem possiderit, et certa manifestatio dumtaxat patevit; sic namque censemus, ut quicquid aedificii vel terrae incrementis ex his rebus possessor optinuerit, absque molestationem et depulsationem, sicut ipsa praedicta initia, ulterius possideant.

16. Si quispiam rem propriam inspiratus pro anima sua locis venerabilibus decrevit, non reputetur extraneus vel inimicus parentibus, sicut in lege (3) nefas scriptum est; sed sit sacramentalis si oportunitas incumbit; et heredes proximorum modis omnibus habeatur.

17. Si quis hominum causa (4) temerario absque permisso pontificis vel custodum ecclesiasticorum mortuum in basilica sepelierit, hac ratione perpendimus: componat sol. quadraginta eiusdem venerabili loci rectoribus; de sepulto quidem supradictis personis, ut libet. conveniatur.

Explicit cap. domni aregis.

INCIPIT CAP. DOM. ADELCHIS PRINC.

Omnipotens universitatis dispositor quondam, ut ei placuit, italiae regnum genti nostrae langobardorum subdidit. Quorum quidem regibus feliciter regnantibus inspirator bonorum omnium in eorum dignatus est pectoribus serere, quemadmodum legis decreta communi concilio sancirent, quibus subditus populus cunctaque gens illa legaliter vivens, nullusque metus statutae legis excedens adversus al-

---

(1) Corrige: *si unum filium habuerit tertiam, si duos, quintam.*
(2) Cf. Roth. 154. (3) Roth. 360. (4) Corrige: *ausu.*

terum nichil sinistrum audere perficere. Idem vero reges, sicut celitus illa decernere valuerunt, ita prudenter atque humiliter scriptum relinquere voluerunt, ut sequentes reges quaeque superflua in eorum edictis forsan aspicerent, pumice frangerent; et quaeque minus quam oportuerit forent, pro temporum qualitate adicere non refugerent. Quod ita caute factum a quibusdam est regibus postea regnantibus, veluti in eorum statutis cognoscitur. Eiusdem vero famosae gentis tunc gloria permanente, subito gallorum gens primatum et capud regni illius invasit. Eo quoque tempore desiderius langobardorum sceptrum tenebat, cuius gener eodem tempore erat carolus francorum rex, qui sedi eius invidens et insidians, contra eumdem subdole et callide agere non refugit. Quo quidem capto atque in custodia posito, regnum italiae gentemque langobardorum suo imperio subdidit. Sicque decreta dispositione conditoris, eadem gente ad minima decidente, ducatum tunc beneventi gubernabat arechis dux, per omnia catholicus atque magnificus; qui imitator existens maiorum, suae gentis reliquias rexit nobiliter et honorifice, et sequens vestigia regum, quaedam capitula in suis decretis sollerter corrigere seu statuere curavit, ad salvationem et iustitiam suae patriae pertinentia; quae utilia nempe sunt, et inserta in edicti corpore retinentur. Longo tum post tempore ad nos quoque ducatum ipsius reliquiarum gentis supernae pietati perducere placuit, quos iam infestatio multarum gentium valde opprimit, quae nostros concives conterere et dissipare non desinunt, plurimas nostrorum villas oppidaque cremantes et disperdentes. Et licet ista nostro excreverint tempore, quibus multum mestificamur, simul et habundare nequitia quorundam caepit nostratium, quibus unus contra alterum semper molitur insidias, statuta antiqua legis excedens, cupiensque frequenter quocumque modo suo nocere proximo: de quibus indesinenter animus noster contristatur. Propterea, dum talia recidere et corrigere tractaremus, sequentes praephati arechis excellentissimus ducis aegregium exemplum, ad imitationem eius quaedam instituere providimus capitula ad amputandas quorundam nequitias congrua. Ideo, communi habito eloquio, in hoc nostro beneventano palatio cum domino adone fratre nostro venerabili episcopo, seu cum comitibus, abbatibus caeterisque nostris magnatibus, anno ducatus nostri duodecimo, mense martio et indictione quinta, eadem capitula statuire sollicite curavimus, quibus omnis iniquus suam malitiam et iniquitate retundare et refrenare debeat. Quae nimirum in edicti paginis inserere praecepimus perpetuo iure retinenda, quorum primus iste est:

1. Si cuiuscumque servus liberam sibi uxorem tulerit, qui ad palatium iuxta legem pertinebat, utique pessima extitit consuetudo, ut eas personas quisquis vellet expeteret. Amodo autem et deinceps statuimus, ut tanta perversitas nullum habeat locum, sed ipse solummodo eos habeat semper, cuius primum ille fuerat servus, etiam si illos a palatio nunquam repetant[*ur*]. Nam potest fieri, ut ipsum solum habeat dominus suus, quem si hac occasione amiserit, efficietur pauperrimus. Sed seu unum, sive plures habuerit famulos, et in uno quolibet eorum istud acciderit, dominus suus, uti decretum est, eum cum illa, quam sibi uxorem tulerit, possideat perpetim cum filiis eorum. Et si quis temerarius eos ad palatio petere deinceps praesumpserit, petitio illius cassa permaneant.

2. Si quis a quocumque fuerit plagatus, et plagam iudex praesentaliter factam aspexerit, et adversarius illam ei egisse negaverit, preveat sacramentum plagatus, quod certius ipse, super quem proclamavit, illam ei fecerit, quam ostenderit plagam; postea vero improbus persolvat illi iuxta edicti tenore iustitiam absque tergiversatione aliqua.

3. Si clarum manifestatumque fuerit qualibet foeminam consuete et legaliter habuisset maritum, et quartam seu octabam habuisset ab eo sibi factam, eamque perturbatione temporis perdidisse quomodocumque; vel si etiam, ut accidere solet multotiens, quartam eadem vel octaba non fuerit scripta, propinquus mariti vel quilibet alter eandem quartam vel octaba eidem mulieri rite conpetentem contra[*i*]re minime praesumat. De quibus si alterius altercationem quisquam proposuerit, eius querellam nullum optineat fructum, quoniam iniquum et reprehensibilem videtur, ut quod omnes de suis retinent viris, aliquantae mulieres per incuria vel aliqua accidentia ammittant.

4. Si quis se testem in quocumque munimine propriis manibus subscripserit de rebus quibuslibet forsitan facto ad se pertinentibus, statuimus, ut postea nullo modo inde valeat movere causationem; devet enim sollicite perquirere et scire, quid sit illut, ubi rogatur subscribere.

5. Si quis rem suam obligaverit cuicumque, et denuo illam alteri vendiderit, et emptor ipsam ante faciem eius, cui obligata fuerit prius, anno uno expleto possederit, postea exinde nullam controversiam his qui eam obligatam habuit, valeat movere; quoniam neglectui eius rite deputabitur: quod emptorem infra tot spatium exinde appellare contempsit, et quod ab illo obligatore nullam prius acceperit firmitatem; quoniam iustum videtur, ut magis his qui illud

pretium dedit, eandem rem possideat, quam ille qui solam obligationem retinent.

6. Si quis iuraverit, et cognitum fuerit certius iudici, quod periurasset, aut famam habuerit periurandi, si calumniator intentionem proposuerit, quod tunc periurasset, ex iudicio iudicis per pugnam ei approbet, quod iurasset fallaciter; et postea ipse, qui iuravit, persolvat ei iustitiam, si ceciderit iuxta edicti tenorem [*Liutp.* 144].

7. Si casam vel quacumque rem aliquis per munimen habuerit et possederit, et illud munimen per ignem aut depredationem postea amiserit, et causator quicumque dixerit, quoniam eadem casa vel res, quam possidet, ei debeat pertinere legaliter: preveat sacramentum idem possessor cum parentibus, quod de eadem rem, vel casa veracia habuisset munimina, sed ea per igne, aut azalatione seu depredationem perdidisset. Si vero his, qui querellam movit, prius elegerit illi velle per pugnam approbare, solus iuret, qui ipsam tenuerit, quaecumque fuerit res, et sic ad pugna pergatur. Etenim considerandum est et veraciter credendum, fieri potuisse, ut multi sua munimina, velut dictum est, amiserint et amittant, dum et oppida et villae plurimae a paganis crematae sunt, et nostris exigentibus meritis saepius cremantur et disperduntur: ideoque iniquum videtur, ut talibus accidentiis amisso munimine aliquis id perdat, si munimen inde non ostenderit, quod iure ei conpetit habere.

8. Inconveniens usque modo consuetudo extitit, ut quisquis voluisset, si nosset, scribere brevem, undecumque oportunitas exegisset. Amodo autem decernimus, ut soli notarii brevem scribant, sicut et cetera munimina. Et quiscumque deinceps brebis fuerint absque notari subscriptionem ostensus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuisse falsos, quod, deo opitulante, cupimus, ut ulterius non fiat.

[FINIS EDICTI].

[PACTIONES DE LEBURIIS CUM NEAPOLITANIS FACTAE].

ITEM CONSUETUDO LEBURIE (1) ET PACTUM.

Incipit pactum quod constituit domnus arechisi gloriosus princeps cum iudex neapolitanorum, de servis et ancillis et de terris et de legurias et de tertiatoribus, quae communes est inter partes [*c. a.* 780]

1. In primis de liguria, ut quantum neapolitani per 20 annos usque modo in dominicatu tenuerunt, nec censum inde in partes langobardorum persolverunt, securiter possideant. Similiter langobardi, quantum per 20 annos usque modo in dominicatu tenuerunt, nec censum inde in partes neapolitanorum persolverunt, securiter possideant.

2. Alia vero omnia fundora, fundata sive exfundata sint, homines et terras, [*in*] quibus solidi non sunt dati, divinimus per medium.

3. Terras autem, in quibus solidi dati sunt, per scripta firmantes ipsas cartas inter partes per sacramenta cum tribus personis intus domum suam, si voluerimus ipsas terras inter partes recolligere, licentiam habeant neapolitani reddere med. ex ipsi solid. et langobardi similiter, et dividere ipsas terras per medietatem. Sin autem, dividantur in tres partes: unam partem tollant langobardi, aliam neapolitani et aliam qui ipsos solidos datos habent; facientes inter utrasque partes talem firmatione in scriptis, ut a tunc securiter langobardi tertiam partem, et neapolitani tertiam, et ipsi homines, qui ipsos solidos [*datos*] habent, tertiam partem securiter possideant.

4. Et fundora vel terras, qui in partes langobardorum venerint in sortem, nullo modo ipsi homines, qui habitant in ipsa fundora, possint infiduciare vel vendere, aut per qualecunque argumentum alienare in parte neapolitanorum; et si factum fuerit, ipsos solidos pereant et ipsas res revertatur in parte langobardorum. Similiter et parte neapolitanorum perficiatur.

5. Exceptuamus ex his omnia fundora de leburias, qui pertinet ad ipsum principatum capuanum, fundata et exfundata, et homines et terras, quae vos nobis aliquandiu relaxastis.

---

(1) Cf. Plin. hist. nat. XVIII, 29 et Pratill. histor. princ. Langob. III, 242 seqq.

6. Et omnia, quae in parte langobardorum (1) venerint, per nullum modum aut per qualecumque ingenium querant habere dominationem langobardi.

7. Et terras seu servos, quos langobardi divisos habent cum neapolitanis per scripta, vel quocumque modo definitum habent inter se, si comprehenserit qualiscumque neapolitanus exinde servum ad partem langobardorum, componat sol. 100; et si alias qualescumque res exinde pigneraverit, componat de una causa novem (2). Similiter et a parte langobardorum perficiat.

8. (Quando institutum fuit facto a dom. arechis gloriosissimo primo princeps langobardorum cum partem de neapolim et firmatum est, qualiter inter partes esse deberent de terris in liburia, de servis et de ancillis, de tertiatoribus et de omnibus causis, transgressi sunt neapolitani ipsum pactum et noluerunt de omnibus praedictis rebus vivere secundum pacti tinorem; nullo modo consensimus ei illud).

9. Si quis langobardus habet comparatas terras in liburia, et cartulas emptionis exinde ostenderit, et pars neapolitanorum intentionem inde miserit, iuret a parte langobardorum tres homines de sex hominibus, quales pars neapolitanorum quesierint, dicentes per sacramentum: « quia ista cartulae veraces sunt ». Et deinde pars langobardorum retineat sibi duas sortes de hisdem terris; unam pars langobardorum, aliam pro ipsis solidis datis; tertiam vero partem consentit inde habere partem neapolitanorum.

10. [*Si vero pars neapolitanorum*] cartulas ostenserit, quas eis quiscumque homo fecisset de terris in liburia: si audet prior de capua facere iurare tres homines de sex, quales pars de neapolim quesierit, dicente per sacramentum: « Quia istae terrae quas emptas habere dicitis, de illis hominibus fuerunt, qui censum reddiderunt in capua, et sic eos habuerunt comitatus capuanus, sicut alios massarios de liburias »; [*si vero non audet*, *sacramento*] abberentur (3) ipse cartulae a tribus hominibus de sex, quales pars de capua quaesierit; et si voluerit pars de capua reddere med. de ipsi solidi, quas ipsae cartulae continunt, dividantur ipsae terrae per med.; et si voluerit reddere med. de ipsi sol., dividantur ipsae terrae in tertiam partem: unam partem tollat exinde pars de neapolim pro ipsa hospitatica, et aliam pro ipsi solidi, tertiam partem tollat exinde pars de capua.

11. Si horta fuerit intentio de fundis exfundanis, et dixerit una

(1) Corrige: *neapolitanorum.*
(2) Cf. Roth. 246. 250. 343.
(3) Corr.: *adfirmentur?*

pars: «quia ista fundora de talibus tertiatoribus fuerunt», et alia pars dixerit: «quia non fuerunt de his tertiatoriis, quos dicitis, sed de istis fuerunt, quos nos dicimus», non sit inde sacramentum, ut una quaelibet pars in periurium exinde incurrat; inquiratur diligenter ad qualia hospitatica fuerunt pertinentia antiquitus, et tunc sine sacramentum et periurio poterit inde esse finis.

12. Si censiles homo de leburia patitur oppressiones a parte de neapolim, et voluerit exfundare se de ipso fundo, ponit post regiam domus suae ipsum fustem, sicut antiqua fuit consuetudo, et vadit ubi voluerit. Si autem pars de neapolim cum parte langobardorum potuerit revocare ipsum tertiatorem in ipsum fundum, et fundare illum ibi, potestatem habeant; et serviat ambobus partes sicut antea servivit. Et si aliunde voluerit ibi hominem fundare, potestatem habeant; et si hoc facere non potuerint, aut non voluerint, dividant inter se fundum et terris ipsius.

13. Si liburianus serbus de langobardis mortuus fuerit, habeat ipse langobardus in potestate sua omnes res illius.

14. De servis communibus ita fiat: Si exierit de ipso fundo servus ipse, et intentio de eo horta fuerit, ut ipse langobardus eum inde mobuisset, aut ad manum eum apprehendisset: si non audet iurare ipse langobardus, quod ille eum de ipso fundo non mobuisset, aut ad manum eum non apprehendisset, inveniat illum et revocet eum in ipso fundo. Alia talem faciat ipse neapolitanus ad ipsum langobardum, si eum inde quaesierit. Nam [*si*] sua voluntate, sine consilio de ipso langobardo aut de ipso neapolitano motus fuerit ipse servus de ipso fundo, et vadit in terram aliam, tunc dividant langobardus et ipse neapolitanus ipsum fundum per medietatem cum omnibus pertinentibus de eodem fundo. Tamen quandocumque extra dominationem de neapolim invenerit ipse langobardus eundem servum, apprehendat eum, et habeat eum suae potestatis, sicut suum proprium.

[PACTIONES GREGORII DUCIS ET IOANNIS CONSULIS NEAPOLITANI, a. 933].

✝ Repromittimus et iuramus et iurare faciemus nos iohannes consul et dux, vobis dom. landolfo et dom. atenolfo, seu et dom. atenolfi principis filiis et nepos dom. atenolfi principibus, quia amodo et semper sumus et erimus vobis veri amici, absque omni mala deceptione et absque omni dolo et fallacia et malo ingenio, et nulla

contrarietatem aut inimicitiam faciemus vobis in toto principatu vestro beneventano cum omnibus suis pertinentiis, nec in toto comitato capuano, nec in teano cum pertinentiis suis, nec in hominibus vestris, nec *nos*, nec homines nostris per nostram voluntatem, neque per qualemcumque submissionem nostram; et si factum fuerit absque nostram voluntatem, judicavimus vobis exinde secundum legem romanorum aut langobardorum absque malitiosa occasione.

2. De sarracenis autem hoc vobis promittimus, quia sic per omnia et in omnibus pleno animo vos et terram vestram contra eos adiuvavimus, ubi necessarium fuerit, tanquam nosmed ipsos et terram nostram.

3. De leburias autem hoc vobis promittimus, ut terras, servos et ancillas seu fundora, quae per concessionem habetis vos et homines vestris in liburias a singulis ducibus neapolitanorum, [*quae*] possidetis temporibus dom. landenolfi patrui vestri et dom. sergi abii vestri, si parte nostra neapolitanorum exinde requisitionis habueritis intentionem, vos aut homines vestris si ausi fueritis inde iurare, iurent a parte vestra langobardorum sex homines vestris, quales nos voluerimus, ad sancta dei evangelia dicentes: « Quia istae cessiones, quae ostendimus, veraces sunt ». Et tunc fiat vobis a parte nostra firmitatis scriptio exinde, ut amplius non sit vobis requisitionis causatio de ipsis rebus et servis et ancillis, quos et quas praedicti continunt cessiones a partibus nostris neapolitanorum, et liceat vos eas habere securiter.

4. Et quae per cartulam emptionis seu convenientiae vel divisionis habetis et homines vestris a partibus nostris neapolitanorum, si a parte nostra neapolitanorum exinde requisitionis intentionem habueritis vos et homines vestris, si ausi fueritis inde iurare, iurent a parte vestra langobardorum tres homines vestris de sex hominibus, quales nos vobis querimus, ad sancta evangelia, dicentes: « quia istae cartulae, quae ostendimus, veraces sunt, et ipsas terras, quas istae cartulae continunt, possidemus eas ». Et tunc fiat vobis exinde a parte nostra firmitatis scriptio de cunctis rebus illius quae praedictae emptionis seu convenientiae vel divisiones continent, et possideatis eas securiter.

5. De omnibus vero aliis causis, unde intentionem habueritis vos aut homines vestri nobiscum aut cum nostris hominibus, iudicavimus vobis exinde absque omni dilatione, secundum legem romanorum aut langobardorum, absque omni malitiosa occasionem.

6. Si vero vestris hominibus intentionem habuerint cum nostris hominibus neapolitani, aut aliis hominibus nostris de terris in li-

burias, quam comparatas habent, ostendentes eis homines nostris cartulas, quomodo comparatas habent eandem terras a langobardis, et auctor paruerit, si manifestatum fuerint et venditio ipsa veras sit, et venditor ille iuxta textum cartulae defendere potuerit, pars nostra habeat terram illam. Et si defendere non potuerit secundum ipsa cartula, aut non voluerit, et negaverit quod ipse eam non fecisset et pars nostra terras illas possederit, a triginta autem (1), sol. insuper, iuret pars nostra cum sex hominibus, quales vos volueritis, ad sancta dei evangelia, dicentes ut cartula ipsa verax sit. A triginta vero sol. in subtus iurent tres, quale vos quesieritis; et destringat parte vestra nobis illum venditorem iusta textum ipius cartulae. Nos vero omnem compositionem et legem et iustitiam quae parti nostrae facere debet auctor ille, donamus omnia ea parti vestri langobardorum per launegilt (2) receptum a vobis exiguum; et faciendum omnia exinde, quae volueritis; et auctor ille defendat parti nostrae terram illam absque omni requisitione.

7. Et si pars nostra terras illas possederit per ipsa cartula et auctores non paruerit, et aliquid nos a parte vestra exinde quesierint, comberemus (3) parti vestrae cartula ipsa cum sex hominibus nostris, quales vos nobis quesieritis; et ipsas terras habeamus absque omni intentione.

8. Haec autem omnia superscripta, qualiter continent, in quantum exinde apparuerit per omnia, ita vobis observabimus, et ita vobiscum in antea sedebimus, sicuti sedet domnus gregorius abius meus vobiscum, ex quo cum illo suprascriptum capitularium fecistis a secundo die mensis iulii indic. 14. usque in obitum eius; unde solummodo nomina mutabimus. Haec omnia vobis observabimus salva fidelitate sanctorum imperatorum. Dom. iohannes consul et dux; gregorius thius eius; landolfus; gregorius filius dom. iohanni. Sergius filius dom. aligerni, aligernus iohannes, caesarius iohannes, sergius gregorius, gregorius iohannes, gregorius petrus, aligernus.

[SICARDI PRINCIPIS PACTUM CUM NEAPOLITANIS IN QUINQUENNIUM FACTUM, a. 836].

In nomine domini dei et salvatoris nostri iesu christi et beatae et gloriosae dei genitricis semperque virginis mariae. Dum ea quae dei praecepta sunt, partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur

(1) Corrige: *saltem*. Cf. Roth. 359. (2) Cf. Roth. 175. (3) Corr.: *confirmemus!*

mandata, et ad pacis concordiam pro salute christianorum animarum pervenisse monstrantur. Pro quo promittimus nos dominus vir gloriosissimus sicardus langobardorum gentis princeps, vobis iohanni electo sanctae ecclesiae neapolitanae et andreae magistro militum, vel populo vobis subiecto ducati neapolitani, et surrento et amalfi et caeteris castellis vel locis in quibus dominium tenetis, terra marique pacem veram et gratiam nostram vobis daturos ab hac quarta die mensis iulii indicione 14. videlicet ad annos quinque expletos. Unde pro stabilitate promissionis nostrae, ut nobis sine aliqua dubitatione credere possitis et in nostra concordia firmius permanere, de istis capitulis omnibus subscriptis de praesenti iudices nostros, qui subter notati sunt, quales nobis quaesistis, iurare fecimus per nostram iussionem, quatenus si a parte vestra remissio, quam nobis voluntarie fecistis, in omnibus fuerit adimpleta, haec, quae a nobis parti vestrae promissa et scripta sunt, impleantur tam vobis, quam omnibus civitatibus vel surrento et amalfi et caeteris castellis vobis subiectis terra marique; et nullam laesionem, neque in hominibus vestris nec in rebus eorum a nobis vel ab his qui nobiscum sunt vel fuerint, generabuntur, neque per exercita aut cursas, neque per scammeras, nec per traditicios, qui a partibus vestris nobiscum sunt vel fuerint, nobis volentibus aut consentientibus, aut per nostram voluntatem contra vos summissos. Et si contingerit, quod minime credimus, ut fiat hoc, repromittimus, quod secundum huius pacti continentiam, sicut subter confirmatum paruit, iustitiam vobis de omnibus capitulis conservaturi per omnia sumus.

1. Et hoc promittimus, ut si quis hostis aut scamaras per nostros fines ad laesionem contra vos venire temptaverint, et ad nostram pervenerit notitiam, nos secundum possibilitatem nostram vobis eos laedere non permictimus. Et si cognoverimus alia die facta langobardorum venire ad laesionem ducati vestri neapolitani, vobis nunciamus, aut certe in tertio die usque ad virtutem et possibilitatem nostram eis resistere. Hoc enim stetit, ut si aliqua clasma fuerit in finibus vestris ducati neapolitani terra marique a quacumque alia provincia, ut nulla requisitio a nobis fiat in ducatu vestro neapolitano; sic tamen, ut in finibus principatus nostri beneventani, nec panem nec aquam a quempiam homine bonae voluntatis accipiat: excepto si brachio forti hostili more tollere potuerit. Si autem et suspicio fuerit, quia per loca principatus nostri beneventani, aut per consilium et conscientiam nostram aliqua clasma a vestris hominibus facta fuerit, ut sacramenta perveniant a partibus, purificantes *vos* per personas

quantas et quales volueritis, « quia nec per consilium, nec panem, nec aquam cum nostra voluntate de nostris finibus susceperunt », et sit causa finita. Si autem approbatum fuerit, quia cum consilio principatus nostri ipsa laesio facta est in ducato vestro neapolitano, tunc subiaceat pars nostra parti vestrae romanorum ipsum dampnum in duplo reddere, quia postquam desiderantes concordia pacis domino permittente a nobis domno viro gloriosissimo sicardo principe, percipere meruistis digne et voluntarie, nullo contradicente ex nostris civibus.

2. ✝ Set ad firmandam vobis libertatis et pacis caritatem, per quam vos creditis illesos gubernari, spopondistis nobis, cui supradicto eximio principi sicardo, amodo, id est quarta die mensis iulii indicione 14. per unumquemque annum dare nobis collatam et pristinam, que consueti fuistis dare. Si vero ante quinque annos expletos, sicut superius scriptum est, pactum nostrae gloriae irritum feceritis, nos licentiam habeamus omnibus modis pignerare apud vos, [*ut*] habeamus, per quae ad nostram plenam iustitiam pervenire possimus, tam de istius pacti nostri corruptione ante quinque annos expletos; vel si ante pignus steteritis de istis supradictis capitulis, componere nobis debeatis secundum vestram promissionem auri solidos beneventanos numero tria milia, et insuper per scamaratores seu cursas et puplicum exercitum oppressionem facere usque ad nostram satisfactionem. Quod si, domino iuvante et nostra gratia comitante, in his quae nobis placati estis, inmobiles steteritis usque ad praedictos quinque annos expletos, et haec nobis supradicta singulos annos persolveritis, hoc repromittimus, ut securi et inlesi a nostra parte in vestris finibus permaneatis.

3. ✝ Hoc stetit, ut langobardum nullatenus comparetis, nec super mare venundetis. Quod si factum fuerit, ipsa persona nobis tradatur, qui comparavit, cum illo quem comparavit, ut simul qui comparavit, quam etiam et qui venundavit, ambo nobis tradantur. Et si non, et dilatacio pervenerit, componat solidos centos et supradictae personae tradantur; et si super mare venditi fuerit, componat solidos ducentos, qui hoc malum penetravit.

4. ✝ Et hoc promittimus de terciatoribus, ut si a langobardo venditi fuerint, comparantur, et nullatenus in nave imponantur, aut trans mare venundentur: excepto si homicidium fecerit, aut facere voluerit, habeat sibi licentiam, eum vendere; ita tamen, ut quinque personae praebeant sacramentum, quod ipse homicidium fecit aut facere voluit, et si ipsa sacramenta deducere minime ausus fuerit, ipsa persona tradatur et componat solidos centum.

5. † De negociantibus vero ambarum partium stetit, ut liceat per fines nostros principatus nostri beneventani negotium suum peragere, et per quovis accessu quod inter partes provenerit, non debeantur laedi vel detineri aut pignerari; set inlesi absque aliquo dampno ad propria revertantur. Si enim et pro qualibet occasione pignerati fuerint, ut ipsum pignus in integrum restituatur eis; et componat, qui hoc facere praesumpserit, cui iniuriam fecerit solidos viginti quatuor.

6. † De fugacibus ista stetit, ut si liberi aut liberae fugierint a partibus vestris et vobis subiacentibus, [*et*] res alienas secum detulerint, res ipsae in integrum restituantur, et illi sint, ubi voluerint. Servi vero et ancillae, si a partibus [*vestris*] fugerint, a praesenti die reddantur dominis suis cum rebus suis in integrum, quae secum detulerunt, accipiente iudice loci per unamquamque personam auri solidum unum iuxta antiquam consuetudinem (1); nam non habeat iudex licentiam amplius accipere: si autem praesumpserit amplius accipere, reddat, quod tulit, in duplum. Si enim cognitus fuerit servus a suo domino, et venerit cum epistola et noluerit eum reddere iudex loci, et fugierit aut mortuus fuerit ipse servus, tunc ille iudex loci, qui noluit eum reddere, det pretium eius solidos 24; sic tamen, ut si quoquo tempore ubique in principatu nostro beneventano inventus fuerit ipse servus, ut ille iudex vel alia persona, qui eius precium dedit, recipiat quod dedit, et servus revertatur ad *a*nteriorem dominum suum. Si enim et aliquis a partibus venerit servos aut ancillas quaerendo, et iudex loci illius dixerit non ibidem fuisse, tunc tres personae praebeant sacramenta, « quia nec sus*p*icit, nec in conscientia habet, ubi ipse servus est », et sit ipse solutus.

7. † De homicida vero ita stetit, ut si quispiam exercitalem aut militem vel quamlibet aliam personam simpliciter ambulantem praesumpserit occidere tempore pacis, ipsa persona modis omnibus tradatur; audita causa, infra triginta dies non liceat pignerare.

8. † De iustitia autem ita stetit, ut si quiscumque homo causam habuerit pro qualibet re, ut vadat semel et bis cum epistola principis vel iudicis sui; et si minime ei iustitia fuerit facta, [*liceat*] pignerare inf*r*a civitatem, et sic ei iustitia fiat; minus ne, tunc habeat licentiam foris civitatem, qualiter pignus facere, tam in langobardos, quam etiam in inquilinos vel qualibet persona praetendere

(1) Cf. tamen Roth. 264. Liupr. 44.

potuerit. Excepto negotiante: non habeat licentiam pignerandi, et si factum fuerit componat, sicut superius afflictum est. De aliis vero personis vel rebus habeat sicut suum proprium menandum et gubernandum usque ad menses tres. Et si neglexerit iudex loci iustitiam facere, habeat iterum licentiam quaestor pignerare de loco ubi causa quaeritur. Et si contingerit ante iustitiam factam, ut ipsum pignus moriatur aut perierit, non calumpnietur ille, apud quem ipse pignus fuerit, sed reputet sibi ille, qui iustitiam facere neglexit; tantum ille apud quem pignus fuerit, praebeat sacramentum, « quia eum nec donavit, nec venundedit, nec alienavit, set tanquam suum proprium habere et gubernare voluit et quid factum est nescio », et sit causa finita. Si autem vivum et sanum fuerit inventum ipsum pignus, in integrum reddatur domino suo; ita tamen ut resideant iudices a partibus [*nostris*] in loco, ubi ea causa quaeritur; et si claruerit, quia iuste pigneravit, accipiat iustitiam suam et componat ei debitor solidos sex, pro eo quod ante pignus iustitiam ei minime fecit: si enim et claruerit, quia iniuste pigneravit, componat solidos sex et pignus salvum reddat.

9. †Si autem quispiam militem vel qualibet aliam personam simpliciter ambulantem ligare aut battere praesumpserit tempore pacis, componat cui iniuria facta fuerit solidos centum. Si autem ad servi quispiam personam hoc facere praesumpserit, componat solidos 24.

10. †Et si quispiam homo super furtum inventus fuerit, et non dederit manum ad prendendum se (1), et mortuus fuerit, non requirantur; tantum tres personae bonae de loco ubi factum fuerit, quales quaesierint parentes aut patronus mortui, dent sacramentum, « quia mortuus ille in furtum inventus est, et non dedit manum ad ligandum se », et amplius non quaeratur, minus ne homicida ipse tradatur. Quod si vivus deprehensus fuerit ipse fur, in hoc modo, sicut superius legitur, tres personae praebeant sacramentum, « quia super furtum deprehensus est ». et de praesenti tolla[*n*]tur ei oculi, et post data sentencia recipiant eum parentes aut dominus eius.

11. †De furone vero, et homicida ita stetit, ut si quiscumque homo homicidium, aut furtum in sua patria facere praesumpserit, et fuga lapsus fuerit, modo de praesenti a partibus redantur.

12. †De accionaris vero ambarum partium ita stetit, ut inlesi debeant ambulare, per acciones suas utilitates suas peragendo, et nullus

---

(1) Cf. Roth. 32. 33. 253.

praesumat eis iniuriam aut lesionem facere; si enim iniuriatus fuerit verbo tantum, componat solidos duodecim. Quod si manum super eum miserit, componat solidos centum. Si autem et aliquis presumpserit actorem occidere utilitatem suam peragentem, ipsa persona omnibus modis tradatur.

13. ✝ Item stetit de fluminibus, qui in fine capuana sunt; hoc est patria, velturnas atque melturnas (1), ut in ipsa traiecta sint licentia transeundi tam negociantibus quam et responsalibus vel militibus seu aliis personis de ducatu vestro neapolitano, salva consuetudine nostra, inlesi debeant transire. Barcas enim, quae ibidem ad hora canseverint (2) vel pro tempestate subduxerint, aut applicaverint per tota ipsa plagia, vel ubicumque in fine principatus nostri venerint, securae et inlese, sicut superius legitur, debeant esse; si autem et voluerint negotiare ibidem, persolvant secundum antiquam consuetudinem. Tantum ut si peccato faciente, navis rupta fuerit, res quae in ea inventae fuerint, eis reddantur, cuius fuerunt et cuius sunt; homines autem sani et inlesi ad propria sua revertantur. Et hoc stetit, ut deinceps pro quavis occasione navigia vestra in partibus lucaniae vel ubicumque in finibus nostris non detineantur.

14. ✝ De tertiatoribus vero hoc stetit, ut nulla nova eis a parte rei publicae imponatur, excepto antiqua consuetudine, hoc [*est*] responsaticum solum, et angaris et calcarias, simul et ad dominas suas angarias et pensiones secundum antiquam consuetudinem, nec non et exenium ad ducem, unum semel in annum, quod fuit prisca consuetudo; nam nulla alia nova imponatur a parte rei publicae ad eos qui se dividunt, nisi tantummodo responsaticum et angarias superscriptas; et si quis hoc praesumpserit facere rei puplice, ut ad terciatores amplius imponatur, nisi superscripta capitula, nam nulli alii homini; et si quis insuper hoc facere praesumpserit, componat solidos 24, et quod tulit, reddat.

15. ✝ Item stetit, ut non habeat licentiam quispiam a partibus foris civitatem cavallum aut bovem comparare, nisi infra civitatem vel in mercato presencia de iudicibus et ab eis ipse venditor cognoscatur; et si venditor a iudicibus cognitus non fuerit, ut nullatenus habeat licentiam comparandi; si autem et comparavit foris civitatem, vel in mercato aut in civitate simul in praesentia de iudicibus, sicut dictum

---

(1) Corr.: *Volturnus atque Minturnus.*
(2) Corr.: *consederint?*

est, et venditor non fuerit cognitus, sit ipse emtor fur, et reddat cavallum aut bovem; si enim liber fuerit, abscidatur ei manum, aut certe si voluerit, det pretium de ipsa manu solidos quinquaginta; de servo vero ut ipsa persona tradatur, aut si voluerit ipse dominus eius, det precium de ipso servo solidos viginti quatuor. Si autem venditor negaverit, ut non ipsum cavallum aut bovem vendidisset, et illi in quorum praesentia venditus fuerint, [*sint*] personae utiles, quibus credatur absque crimine, non habeat licentiam venditor negandi; set illi tres, si fuerint fide dignae personae, praebeant sacramenta, « quia in nostra praesentia vendidistis, et tantum precium tulistis »; tunc reddat quod tulit, et ill*i* tradatur cui cavallus aut bos fuerit; sic tamen, ut non eum sanum apud se detineat. Et si voluerint parentes aut domini eius eum liberare, dent pretium eius sicut superius affictum est; et ille cuius cavallus aut bos fuerit, res suas recipiat. Si vero contigerit ante iustitiam factam ipsum cavallum aut bovem mori, det pretium pro cavallo solidos octo et pro bove solidos quatuor, et pro hoc capitulo nichil accipiat iudex loci illius.

16. † Sed hoc promittimus, ut non pro quovis excessu barbaricum facere, aut cursa mittere ante primam, secundam, tertiam et quartam contestationem; et si homicidium a partibus proverit et minime iusticiam a partibus infra tricesimo die facta fuerit, sicut superius scriptum est, sit in hoc pactum solutus. De aliis vero capitulis, quae infra hunc pactum affictum est, minime dissolvatur; set firmus et stabilis usque in prefinitum tempus debeat permanere, si ea quae in hunc pactum afficta sunt, inviolabiliter conservatum fuerit.

17. † Sed hoc stetit, ut si quis a partibus pro pignore pignoraverit ante iusticiam factam, reddat pignus, et componat solidos duodecim.

18. † Sed et hoc placuit atque convenit, ut nullus homo causam pro causa anteponat; sed ubi prius causa quaeritur, faciat iusticiam quaestiori sine ulla apposicione; nam non habeat licentiam dicendi: « quia si non reddis hoc, non tibi faciam iusticiam ». Et si quis pro tali occasione iusticiam facere distulerit, tunc districtus iusticiam faciat, et conponat negator iusticiam quaerentibus solidos sex.

19. † Et hoc promittimus, ut ubi volueritis exercitare in alia ducata pertinencia ducatui vestro neapolitano per terram nobis subiectam, nullam laesionem a principatu *n*ostro beneventano in ducatu vestro neapolitano vel in cunctis finibus, terra marique pro quavis alia occasione ab homi . . . . .

[RADELGISI ET SIGINULFI . DIVISIO DUCATUS' BENEVENTANI, a. 851].

1. Ego radelgisus princeps concedo tibi siginulfo principi firmissimam pacem de integra parte principatus beneventanae provinciae, quae tibi nominatim evenit per singula et integra gastaldata seu ministeria, quae hic descripta sunt, et sicut hic fines locorum descripti sunt inter consciam et salernum et capuam a parte beneventi.

2. Ita quidem, ut amodo vel deinceps per nullum dolum aut ingenium vel qualemcumque occasionem exinde a tua potestate subtraham tibi et illi, qui per tuam voluntatem fuerit princeps electus, qui post vestrum decessum in tua portione principandi potestatem susceperit in civitate salerno.

3. Et neque cum populo mihi subiecto, neque cum francis, neque cum saracenis, neque cum alia quacumque generatione exinde de praesenti die subtraham vel impugnabo aut delebo, neque submittam qui talia faciant; et talia facere volentibus ac facientibus adiutorium nullum inpendam; et per meam terram non permittam, neque dimittam aliam generationem venire ad contrarietatem terrae ac populi vestrae partis, cui generationi ego cum populo, qui in mea terra habitat vel habitaverit, resistere potero, sicut si in mea terra voluerit facere damnietatem, donec cum francis fidem et pactum, sicut promisistis, observaveritis; et vos vestrumque populum liceat per terram meam transire contra illos hostiliter et cum scara, ad vindicandum absque homicidio vel incendio et depredatione seu zala de populo et terra mea et oppressione castellorum portionis meae, excepta erba et ligna et aqua, quos vobis non negavimus. Et si contigerit esse factum, pax exinde non disrumpatur, sed fit exinde iustitia.

4. Omnium rerum sanctorum ecclesiarum, episcopatûm videlicet vel monasteriorum sub regula degentium seu sinodochiorum, ibi census rationes reddantur de suis singulis substantiis, ubi capita sunt earum: praeter monasteria sancti benedicti et sancti vincentii, quae sub defensione domni imperatoris lotharii eiusque filii domni ludovici regis sunt. Ut singulae ecclesiae suum primatum habeant integrum, sicut semper habuerunt in omni loco quemammodum decet causam dei; exceptis canonicis abbatiis quae ad palatium pertinent; nam abbatiarum res, quae ad palatium pertinent in cuius divisione ipsae res venerint, ille eas habeat, in cuius fuerit parte.

5. Et omnes monachi et monachae redeant in sua monasteria ubi prius habitaverunt, ut habitent et militent ibi deo sub magisterio illic praeordinatorum, sicut ratio et consuetudo est: exceptis illis, qui per virtutem aliorum illic introierunt aut in palatio serviunt.

6. Episcopi autem, et omnes clerici de quocumque gradu clericatûs vel sine gradu, redeant ad suos episcopatus, cuiuscumque diocesis fuerint; et si redire noluerint, et nobis cognitum fuerit, absque omni iniusta dilatione faciemus eos redire invitos, ut sint sub potestate praeordinatorum in ipsis episcopatibus, et habitent, sicut illi eos iuste constituerint: exceptis clericis qui in palatio serviunt, et qui per vim clericati fuerunt.

7. Similiter fiat et de clericis singulorum abbatuum, exceptis illis clericis, qui in rebus abbatuum ad palatium pertinentium morantur; qui clerici in illius parte sint, in cuius sorte ipsa res venerunt.

8. Et dimittam omnes homines vestrae potestatis ire ad venerabilem ecclesiam beati archangeli michaelis recto itinere, per quod temporibus antecessorum vestrorum illuc iebatur sine omni contrarietate vel damnietate atque contradictione mea et omnium hominum qui in mea terra habitent vel habitaverint me vivente, ut salvi vadant et redeant a nostra parte per meam voluntatem, excepto iudicio divino.

9. In parte vestra quorum supra, siginulfo principi et qui post dicti estis, sint ista gastaldata et loca in integrum cum omnibus habitatoribus suis, exceptis servis et ancillis, qui nobis et nostris hominibus pertinent; et si in istis gastaldatibus ac locis subscripta sunt aliqua castella ubi nostri homines habitant, ego vos ibi mittam sine irrationabili dilatione: tarantus. latinianus. cassanus. cusentia. lainus. conscia. montella. rota. salernus. sarnus. cimiterium. furcule. capua. tianus. sora et medius gastaldatus acerentinus, qua parte coniunctus est cum latiniano et consciam.

10. Inter beneventum et capuam sit finis ad sanctum angelum ad cerros, perexiens per serram montis virginis usque ad locum qui dicitur fenestella. Inter beneventum et salernum sit finis in loco, qui dicitur ad peregrinos, ubi ex antiquo 20 miliaria sunt per partes. Inter beneventum et consciam sit finis ad ipsum stafilum ad frequentum, ubi ex antiquo 20 miliaria sunt per partes. De omnibus autem hominibus qui inter partes sunt, si in nostram fugerint, si potuerimus eis gratiam rogare, rogavimus; et si non, reddemus eos absque omni iniusta dilatione.

11. Si vero vester homo in sua substantia in mea terra ad habi-

tandum venerit, et plus quam vestra voluntas est, steterit; ubi cognitum mihi feceritis, ego eum sine omni iniusta dilatione transmittam ad vos.

12. De waregnangis nobilibus, mediocribus et rusticis hominibus, qui usque nunc in terram [*vestram*] fugiti sunt, habeatis eos.

13. Similiter habeatis omnes homines, qui habitant in parte vestra, et qui sunt sub tributo.

14. Omnes homines qui in vestra portione sunt, habeant res suas integras, in quocumque loco meae partis pertinent de illorum substantiis, cum servis et ancillis et aldionibus omnique pertinentia sua.

15. Servi quoque et ancillae atque aldiones vestrae partis fugaces et apprehensos, ubicumque fuerint inventi in terra nostra, reddemus vobis absque omni dilatione, et nunquam per nostram voluntatem a quocumque homine nostrae partis contradicentur aut retollentur; et si sine mea voluntate fuerit factum, ubi nobis cognitum fuerit, faciemus exinde iustitiam, et illos sine iniusta dilatione reddere faciemus.

16. Et si suspicio fuerit, ut post sacramentum pacis direxerimus eos quocumque vel infugaverimus, si quaesiti fuerint, cui hoc crimen immitetur de his, si non fuerit ausus satisfacere, reddat eos. Et si satisfecerit et postea eos invenire potuerit, similiter reddat; et si post sacramentum pacis fugerint de terra vestra in vicinas marcas aut in terram nostra*e* potestatis, reddemus eos vobis, si illic inveniri potuerint et nos potuerimus sine damno; et si ego eos recolligere non potuero ad praedictos locos, liceat per terram meam ire illuc, ut aut per pignorationem aut quomodocumque veniatis exinde ad plenam iustitiam.

17. Similiter si potueritis, faciemus et de illis qui ante pacis sacramentum in predicta loca fugerunt. Quod si suspicio fuerit, ut per consensum marchanorum nostrorum per nostras marcas extra terram nostram exierint, satisfiat ab ipsis marcanis. Et si non, aut reddantur ab eis, aut si nullo modo inveniri potuerint, reddantur ferquidi eorum. Praeter si aliquis eorum suam voluerit contendere libertatem, habeat exinde iudicium secundum legem.

18. Et omnes homines, qui sub tua potestate sunt, et quocumque modo habent praedicta munimina sua perdita, si contentio fuerit de rebus aut servis aut ancillis seu aldionibus eorum, si aut per consignationem aut per pugnam adprobare potuerint, quod usque ad ipsum tempus quo barbaricum exortum est inter nos et vos, in sua proprietate legaliter iusteque habuerint illa, sine cuiuscumque iniusta contradictione habeant ea inantea.

19. De nullo homicidio vel praeda atque actis fiat aliqua requisitio vel vindicta per absque mea voluntate fuerit inde facta vindict minem in potestate vestra, ut faciatis de eo quod et si suspicio fuerit, quod per meam voluntatem fuis faciant illud tres personae, quale vos quaesieritis a m tradam ipsos homicidas in potestatem vestram ad faciend quodcumque volueritis.

20. Si vero amodo quicumque homines homicidium fecerit a nostra in vestra, et si suspicio fuerit, quod per consilium seu ludium fuerit factum per meam voluntatem ad vestram contra tatem vel damnietatem, de nobilibus satisfaciant illud tres person quale vos quaesieritis a parte mea; et de rusticis tres personae d ipso loco, ubi homicidium fuerit perpetratum, quale vos quaesieritis; et illos homicidas dabimus, ut praedictum est, in potestatem vestram et si satisfacere non fuerint ausae, de nobilibus componam vobis tri milia bizanteos aureos, et de rusticis fiat compositio secundum legem et illos homicidas si habere potuerimus, trademus vobis ad faciendum de eis quodcumque volueritis; et quamdiu eos habere non potuerimus dabimus in potestate vestra integras substantias eorum, et illos homicidas quandocumque potuerimus habere, pariter dabimus. De homicidio subiti scandali sit, sicut in lege nostra sancitum est.

21. Si ego radelgisus aliquid donavi de causa palatii infra vestros fines, sit in potestate vestra facere exinde quodcumque volueritis. Et si tu siginulfus princeps donasti aliquid de causa palatii ad illos homines, qui prius fuerunt in tua potestate et modo sunt in mea, quantum exinde in tua portione fuerit, sit in vestra potestate exinde facere quod volueris. Et si ego radelgisus donavi aliquid per breve aut per praeceptum ad homines, qui fuerunt mecum et modo sunt tecum; et illi iterum per quaecumque monimina exinde dederunt cuicumque aliquid, non inde faciant iustitiam aliam, nisi tantummodo reddant, quod proinde acceperunt, et illud quod ego donavi redeat ad illos, quibus per legem debet pertinere. Et de omni causa, quae amodo surrexerint inter homines utriusque partis iudicavimus exinde secundum legem et iustitiam absque omni iniusta dilatione. Sed et de causis anterioribus, quas habuerunt homines utriusque partis inter se, iudicavimus exinde secundum legem et iustitiam absque omni iniusta dilatione vel fraudis argumento, excepto homicidio et incendio, depraedatione ac zala, de quibus est superius definitum.

22. Omnibus hominibus vestrae partis habentibus uxores vel sponsas

suas in parte nostra, si eas quaesierint, et nos noverimus, reddemus eas absque detinentia cum filiis et filiabus suis, nullam laesionem membrorum habentes amodo factam a parte nostra, et cum omni causa sua, quam nunc habentes voluerint secum portare.

23. Et omnes apprehensos, quomodo voluerint redire ad vos, dimittemus redire absque omni lesione membrorum.

24. Et amodo nullum sarracenum in meum vel populi ac terrae meae adiutorium seu amicitiam habere quaerimus, tam de his, qui in omni provincia beneventani principatus sunt, quam et de illis, qui extra omnem beneventanam provinciam sunt; et nunquam eos contra vos irritans irritare faciam et nullum eis adiutorium impendam vel impendere faciam; et adiuvabo vos absque omni iniusta dilatione usque ad summam virtutem, sicut melius potuero, cum populo meae partis, ut pariter expellamus de ista provincia nostra omnes sarracenos quomodocumque potuerimus; et amodo, ut dictum est, nullum sarracenum recipiam vel recipere permittam, praeter illos qui temporibus domni siconis et sicardi fuerunt christiani, si magarizati non sunt. Et praesentaliter, antequam domnus ludovicus rex cum suo exercitu exeat de ista terra, do in vestram potestatem gastaldatum montellam cum omnibus castellis eius et medium gastaldatum acerentinum, sicut supra dictum est, si ullo valuerimus ingenio.

25. Ita et amodo et nullam laesionem faciamus ego et populus meus ad ipsum populum et terram omnemque facultatem eorum, quantum exinde debet venire ad vestram portionem per meam voluntatem. Et amodo de gastaldatum montella et medio gastaldatu acerentino, qua parte coniunctus est cum latiniano et consciam, numquam hominem recipio, neque illuc ego hominem pro tuo damno dirigam, praeter cum vestra voluntate pro vestra salvatione, ut ipsi redeant ad fidem et potestatem vestram, et si exinde habeo homines, reddo eos.

26. Haec omnia vobis quibus supra, siginolfo principi et ei qui per tuam voluntatem in salerno civitate princeps fuerit electus, et observare faciam ego radelgisus princeps absque omni fraude vel malo ingenio vel quocumque argumento occasionis seu dirruptionis.

27. Si vero populus portionis meae cum populo vestrae partis ierint per credentiam in exercitu quocumque, et quolibet modo occiderint vel apprehenderint vestros honoratos ac vassallos, et ausae fuerint duodecim personae, quale vos quaesieritis, iurare ad sancta dei evangelia ut neque per consensum meum, neque per vestram contrarietatem talia vobis facta sint, faciam vobis tradere in vindictam, quamcumque volueritis, illos solummodo qui perpetraverint atque consen-

serint, si aberi potuerint; et si ipsae duodecim personae non fuerint ausae satisfacere de consensu meo, sicut praedictum est, tunc dabimus donno nostro imperatori 10 millia bizanteos aureos, et eos qui tale malum egerint, trademus ad vindictam, qualem volueritis.

28. Et cum pactum istud firmatum fuerit, reddam tibi siginulfum praesentaliter petrum filium landonis, et paldefrit filium paldulfi, si tu mihi reddideris adelgisum et ladelgisum filios meos, et potonem nepotem meum.

Capitulare.

[CAPITULA KAROLI MAGNI].

Anno feliciter undecimo regnante domno nostro Karolo gloriosissimo Rege in mense Martio factum capitulare qualiter congregatis in unum sinodali concilio episcopis abbatibus virisque illustribus una cum piissimo domno nostro secundum voluntatem Dei pro causis oportunis consenserunt decretum (*Prolog. — c.* 6 = *Capitular. Haristall. a.* 779, *forma glossata*, *prol. — c.* 6 *in Mon. Germ. hist. Legg. I*, 36).

1. De Metropolitanis: ut eorum suffraganei episcopi eis secundum canones subiecti sunt et ea quae erga ministeria illorum emendanda cognoscunt libenti animo emendent atque corrigant.

2. De episcopatibus: ubi presenter episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.

3. De monasteriis quae regularia fuerunt, ut secundum regulam vivant: necnon et monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, et unaquaeque abbatissa in suo monasterio sine intermissione resedeat.

---

1. « Metron » mensura grece, « polim » civitas dicitur: inde metropolitani a mensura civitatum dicuntur. Singulis enim provinciis preminent, quorum auctoritati et doctrine ceteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus nichil reliquos episcopos agere licet; sollicitudo enim totius provincie ipsis subiecta est. Qui ideo eorum suffraganei dicuntur, quia, ab eis consecrati eisque subiecti, in omnibus ecclesiastice norme usibus suffragari debent.

3. Capitulum hoc, dicens: « que regularia fuerunt », et subsequens Caroli capitulum quod est « Volumus atque iubemus » (Karol. M. 57) et cetera, dicens: « ut canonici secundum canones, regulares secundum regulam vivant », dant intelligi, quaedam monasteria regularia non fuisse: unde rumpuntur partim capitulo Pipini quod est « Monasteria virorum ac puellarum » (Pipin. 3), in quo cuncta monasteria regularia esse precipitur.

4. Ut episcopi de presbiteris et clericis infra illorum parochiam et de suo ministerio potestatem habeant secundum canones facere.

5. Ut episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant, seu et de viduis infra suam parochiam potestatem habeant ad corrigendum. Et si de ipsis incestuosis aliquis post iudicium episcopi in ipso incestu se iterum miserit, si alodium habuerit, ipsum fisco regis recipiatur.

6. Ut nulli liceat alterius clericum recipere aut ordinare in aliquo gradu sine dimissoria episcopi sui de cuius parochia est.

7. De decimis: ut unusquisque homo suam decimam donet, atque per iussionem episcopi sui dispensetur (*Cap.* 7. 8 = *Id. forma communi*, *c.* 7. 8: *Legg. I*, 36).

8. Ut homicidae aut ceteri rei qui legibus mori debent, si ad ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.

9. Ut latrones de infra emunitate illos iudices et advocati ad comitum placita, quando eis adnunciatum fuerit, praesentent. Et si dixerint, quod illos latrones presentare non potuissent, iurare debent, quod nec illum presentare potuissent, postquam eis denuntiatum fuerit, nec pro ulla iustitia dilatanda illi latroni fugere consentissent, nec pro causa dilatacionis de sua potestate vel de suo ministerio

---

4. Quod in hoc capitulo habetur: « secundum canones facere », ita oportet intelligi, ut episcopi presbyteros et clericos iuxta quod canones precipiunt tractent, scilicet ab illicitis refrenando et eos de ministerio eorum discutiendo et aliis pluribus modis quibus eos ab episcopo tractari canones precipiunt.

5. Quod hic de incestuosis scriptum est, intelligi debet de omnibus coitu illicito fedatis. — § 2. Arbitrantur quidam, capitulum hoc ruptum esse a Lotharii capitulo quod est « Placuit nobis ut si pro quibuslibet » (Loth. 15), in hoc quod hic qui incestum post episcopi iudicium commiserit, predium iubetur ammittere; ibi vero iterans bannum persolvere, ab episcopo excommunicari, a comite vinclis constringi precipitur. Sed hoc pene est exageratio, non ruptura capituli; quia, qui excommunicari dignus est, ante fuit dignus predium ammittere.

6. Huic capitulo quoddam subsequens Caroli concordat quod est « Ut nemo alterius clericum » (Karol. M. 62) et Pipini quoddam aliud « De presbiteris qui de aliis provinciis » (Pipin. 14), quia in Pipini capitulo presbiter, in Caroli clericus absque dimissorio sui episcopi prohibentur recipi.

8. Huic capitulo concordat quoddam sequens Caroli quod est « Si ad ecclesiam Dei confugium fecerit » (Karol. M. 102), in hoc quod ibi legitur: « ut nullus eum per vim abstrahere presumat ».

9. Hoc capitulum, in hoc quod dicit: « et qui hoc non fecerit, beneficium et honorem perdat », a quodam Caroli capitulo partim rumpitur quod est « Si quis in emunitate » (Karol. M. 101), quia, si quis furtum extra emunitatem fecerit et infra emunitatem fugerit, qui eum presentare noluerit non iuxta hoc capitulum, sed iuxta predictum compositionem facturus est. Sed non rumpitur, quia secundum quosdam hoc capitulum de illis tantum loquitur latronibus qui intra emunitatem habitant atque furtum faciunt, illi vero, unde subsequens loquitur capitulum, extra emunitatem habitant et extra emunitatem furtum faciunt et intra emunitatem fugiunt. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, partis publice advocatus, quod tu furem, qui intra emunitatem ecclesie, cuius tu es iudex aut advocatus, fugit, comiti mandanti ut eum sibi presentares non presentasti. — § 3. Iudices et advocatos qui in hoc edicto scripti sunt hoc modo discretio segregat: iudices intelliguntur sub quorum regimine ipsa est emunitas, advocati vero qui agere et respondere de ipsa immunitate electi sunt.

ipsum latronem iactassent; et hoc iurent, ut per suam voluntatem, si possint, ipsum latronem presentare debeant ad iustitiam faciendam. Et qui hoc non fecerit, beneficium et honorem perdat. Similiter et vassus noster, si hoc non adimpleverit, beneficium et honorem perdat; et qui beneficium non habuerit, bannum nostrum solvat (*Id. c.* 9: *Legg. I*, 36, 37).

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod comes tuus mandavit tibi, quod tu praesentares ad suum placitum unum latronem de infra emunitatem sancti Syri, unde tu es advocatus, et non praesentasti.

10. De eo qui periurium fecerit: nullam redemptionem habeat, nisi manum perdat (*Id. forma communi, c.* 10, *init. Legg. I*, 37).

11. De truste facienda: nemo presumat, ad nos venienti mansionem vetare; et quae ei necessaria sunt sicut vicino suo vendat (*Cap.* 11 — 15 = *id. forma communi c.* 14 — 18: *Legg. I*, 37. 38).

12. De cerariis et tabulariis atque cartulariis, sicut a longo tempore fuit, observetur.

13. De sacramentis per gildonea invicem coniurantibus: ut nemo facere presumat. Alio vero modo de illorum elemosinis aut de incendio aut de naufragio, quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc iurare presumat.

14. De iterantibus, qui ad palatium aut alicubi pergunt: ut eos cum collecta nemo ausus sit adsallire. Et nemo herbam alterius tempore defensionis tollere presumat, nisi in hostem pergendo aut missus noster sit; et qui aliter facere praesumpserit, emendet.

---

10. Hoc periurium, unde manus sine redemptione ammitti precipitur, a sciente factum esse putandum est: alioquin rumperetur ab inferiori capitulo « De periuriis ut caveantur » (Karol. M. 21), in quo, ubi dicit: « manum perdat aut redimat », scientem se periurare manum debere perdere, nescientem manum posse redimere intelligendum est.

11. Quidam « truste » pro conspiratione positum volunt intelligi, alii vero regale servitium esse, quod melius est, asserunt. — § 2. Pipini capitulum quod est « De episcopis abbatibus » (Pipin. 15) partim istud affirmat partimque rumpit, in quo, dum hospitium in hieme vetari prohibetur, in estate vero vetari posse intelligitur.

12. Quod in hoc capitulo obscure dictum est, capitulum Pipini dilucide aperit quod est « Sicut consuetudo fuit, sigilla et epistolas prehendere », scilicet ut secundum antiquam consuetudinem in viis et portis sigillorum portatores quo omni anno ea portent (?) observetur.

13. Huic concordant Lotharii capitula (Loth. 4, 55, 67) que sunt « Volumus de obligationibus » « Collecta ad malum » « De conspirationibus », quia in hoc conspiratio prohibetur, in illis pena iniungitur.

14. Rotharis duabus legibus (Roth. 18, 358) quae sunt « Si quis ex adversariis manu armata super quemcumque hominem ad regem venientem » « Nulli sit licentia iterantibus herbam negare » presens concordat capitulum. — § 2. Quod in hoc capitulo habetur: « et qui aliter presumpserit, facere », ita oportet intelligi: scilicet ut si quis homini iteranti ad palatium aut aliquo herbam tollere presumpserit, si Longobardus fuerit, secundum legem Longobardam, si Romanus, secundum legem Romanam emendet (Cf. Karol. M. 143).

15. De toloneis, quae iam antea forbannita fuerunt: nemo tollat, nisi ubi antiquo tempore fuit consuetudo.

16. Ut nemo presumat hominem aliquem vendere aut comparare, nisi in presentia comitum aut missorum illorum (*Capitul. Pippin. a.* 801 — 810, *cap.* 18 *init.*: *Legg. I*, 105).

17. De bruneis: ut nullus foras nostrum regnum vendere presumat (*Cap.* 17 — 19 = *Capit. Harist. a.* 779, *forma communi*, *c.* 20 — 22: *Legg. I*, 38. 39).

18. Si comes in suo ministerio iustitias non fecerit, missus noster de hac causa somniare faciat, usque dum iusticiae ibidem factae fuerint. Et si vassus noster iustitiam non fecerit, tunc comes et missus ad ipsius casam sedeant, et de suo vivant, quousque iustitiam faciat.

19. Si quis pro faida pretium recipere noluerit, tunc ad nos sit transmissus, et nos eum dirigamus, ubi dampnum minime facere possit. Simili modo et qui pro faida precium solvere noluerit nec iustitiam inde facere, tunc ad nos sit transmissus: in tali loco eum mittere volumus, ut pro eo maius damnum non accrescat.

20. De armis infra patriam non portandis, id est scutis et lanceis et loricis. Si faidosus quis fuerit, discuciatur tunc is qui ex duobus contrarius sit ut pacificati fiant, et distringantur ad pacem etiamsi noluerint; et si aliter pacificare noluerint, adducantur in nostram presentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum et manum quam periuravit perdat et insuper bannum dominicum solvat (*Cap.* 20 — 23 = *Capitul. Theodonisvill. gener. a.* 805, *c.* 5. 11. 12. 19: *Legg. I*, 133. 134).

---

15. Capitulum hoc tholoneum prohibens tolli, nisi ubi antiquo tempore fuerit consuetudo, a Lodoici capitulo quod est « De iniustis tholoneis et consuetudinibus » (Lud. P. 23), dicente: « nam ubi noviter inceptum est ulterius non agatur », et ab aliis quam pluribus corroboratur.

16. Capitulum hoc, prohibens hominem vendi nisi in presentia comitum aut missorum illorum, a Caroli capitulo quod est « De mancipiis que venduntur » (Karol. M. 72) rumpitur, in quo coram bene notis testimoniis emi posse precipitur.

18. Capitulum hoc, regium missum in vassi casam iustitiam non facientis residere et de suo vivere precipiens, a Lodoici affirmatur capitulis (Lud. P. 48, 50) quae sunt « Ut in illius comitis » « Ut ubicumque missi nostri ».

19. Capitulum hoc, quemlibet pretium nolentem pro faida sua recipere ad regem transmitti precipiens, a Lodoyci capitulo quod est « Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commiserit » et cetera (Lud. P. 18), dicente: « comes faciat illum qui ei contumax fuerit ad nostram presentiam venire », et ab Lodoyci capitulo quod est « De nova moneta et falsa dicimus » (Lud. P. 33), dicente: « et de faidis purgandis », corroboratur.

20. Capitulum istud, dicens: « et insuper bannum dominicum persolvat », noluit homicidam omnes res suas perdere. Itaque partim rumpit Liuprandi legem quae est « Si quis liber homo » (Liutpr. 20), iubentem homicidam super alium ambulando omnes res suas perdere; sed Lotharii capitulum quod est « De homicidio unde lex » et cetera inde hoc rumpit capitulum Rotharisque legem corroboravit. In hoc quod istud manum ammittere precipit . . . . .

21. De periuriis: ut caveantur, et non ammittantur testes ad iuramentum antequam discutiantur; et si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem et singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere absente suo causatore. Et omnino nullus nisi ieiunus ad iuramentum vel ad testimonium ammittatur. Et ille qui ad testimonium adducitur si refutatus fuerit, dicat ille qui eum refutat et probet quare illum recipere nollet. Et ut de ipso pago non de altero testes eligantur, nisi forte extra comitatum longius sit causa inquirenda. Et si quis convictus fuerit de periurio, perdat manum aut redimat.

22. De advocatis vicedominis vicariis et centenariis pravis: ut tollantur, et tales eligantur, qui sciant et velint iuste causas discernere et determinare. Et si comes pravus inventus fuerit, nobis nuncietur.

Domne comes, hoc dicit Rainaldus episcopus, quod vult eligere Dominicum, ut fiat suus advocatus, et de episcopatu quod habeat de hac hora inantea licentiam et potestatem de rebus aecclesiae appellationes faciendi et recipiendi et res aecclesiae per pugnam requirendi et excutiendi, et quod fecerit per se vel cum episcopo de rebus aecclesiae permaneat stabile. — Dicis ita, episcope? — Dico. — Domne comes, precipite fieri noticiam.

23. De aribanno volumus, ut missi nostri hoc anno fideliter exactare debeant absque ullius personae gratia blanditia seu terrore secundum iussionem nostram: id est de homine habente libras sex in auro argento bruneis eramento pannis caballis bubus vaccis vel alio

---

21. Capitulum istud, dicens: « ut non admittantur testes ad iuramentum antequam discutiantur », Liuprandi legem quae est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8) partim rumpit, in qua testes prius iurare post vero testimonium dicere precipiuntur. — § 2. Inferiora Caroli capitula (Karol. M. 50, 66) quae sunt « Ut testes ad testimonium » « Volumus etiam atque iubemus » huic concordant capitulo, in quibus eodem modo legitur, ut testes ad testimonium separentur et nonnisi ieiuni ad sacramentum vel testimonium admittantur. — § 3. Capitulum id, in eo quod iuxta hunc edicti intellectum quod est: « et non solum accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore » (id est reo), accusatorem probare precipit, concordat codicis secundi libri capitulo: « Qui accusare volunt, probationes debent habere, cum neque iuris neque equitatis ratio permittat, ut alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. Actore enim non probante, qui convenitur, etsi nichil prestitit, optineat (Cod. II, 1, 4). — § 4. Capitulum hoc in eo, quod nisi soli eligere testes videtur concedere, a Lodoyci capitulo partim rumpitur, quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15), in quo non solum accusatori, sed et reo permittitur testes eligere ac contra proponere. — § 5. VI. (Walcausus? Wilihelmus?): huic capitulo dicenti: « de periurio manum perdat aut redimat » Pipini capitulum concordat quod est « Si quis periurium fecerit » (Pipin. 43), in quo similiter qui periurium fecerit manum iubetur perdere.

22. Hoc capitulum a duobus capitulis Caroli (Karol. M. 64, 55) quae sunt « Volumus ut advocati » et cetera, « Ut iudices advocati centenarii » et a quodam Lodoyci capitulo quod est « Omnibus igitur episcopis » (Lud. P. 56), in quibus advocatos centenarios vicedominos non pravos esse eligendos precipitur, corroboratur.

23. Capitulum hoc, in hoc quod nisi ab homine 6 libras habente in auro et argento bruneis et cetera plenum eribannum id est 60 solidos non permittit exigi, nulla posita differentia, utrum ideo

pecculio, ut uxores vel infantes non fiant dispoliati pro hac re de eorum vestimentis, recipiant legitimum aribannum id est libras tres. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto pretio valente nisi libras 3, solidi 30 ab eo exigantur, id est libra una et dimidia. Qui autem non habuerit amplius nisi libras duas, solidi 10. Si vero unam libram habuerit, solidi 5, ita ut iterum se valeat preparare ad Dei servicium et nostram utilitatem. Et nostri missi caveant et diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram iusticiam, alteri tradendo aut commendando.

24. Optimus quisque in pago vel in civitate in testimonium adsumatur, ut is contra quem testimoniare debet nullum crimen possit indicere (*Capp. in lege addita a.* 803, *c.* 11: *Legg. I*, 114).

25. Ut nec colonus nec fiscalinus possit alicubi foras mistio traditiones facere (*Cap. missorum a.* 803, *c.* 10: *Legg. I*, 115).

26. Nemini liceat dimittere servum suum propter damnum ab illo

---

exigatur, quia in hoste bannitus venire contempserit, vel non, a Caroli capitulo rumpitur quod est « Quicumque liber homo in hoste bannitus venire contempserat » (Karol. M. 34), in quo, si 60 solidos, unde eribannum plenum persolvat, non habet, servitio tradi precipitur. Salvatur vero sic: non est putandum, capitulum istud alia de offensione compositionem exigendam esse precipere, nisi in regiam expeditionem rennuerit, quod capitulum istud declaravit dicens ita: « ut iterum se preparare valeat ad nostram utilitatem ». Quodsi universaliter istud capitulum de omni offensione eribannum precipiat, ut quibusdam est placitum, rumperetur tamen a quodam inferiori capitulo Caroli quod est « Si quis liber homo contempta iussione nostra ceteris in exercitum » (Karol. M. 79), in quo, ut « qui pacem ecclesiarum Dei et orphanorum ac pupillorum et minus potentum rumpit » pena 60 solidorum mulctetur, constitutum est.

24. Quamvis testis ab adversariis non dicatur optimus, iuxta tamen Lotharii capitulum quod est « Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio » (Loth. 78) recipiendus est, nisi crimen ei oppositum fuerit et probatum, quod videri potest in hoc quod ibi legitur: « Crimina vero si super eum », id est super appellatorem vel super testem contra eum adductum, « imponere voluerit pro dilatanda iustitia, probare cogatur ».

25. Notandum est, per colonum tam servos privatorum quam ecclesiarum intelligi oportet; fiscalini regales servi dicuntur.

26. Capitulum hoc dicens: « sed iuxta qualitatem dampni dominus pro illo respondeat » rumpit Rotharis leges (Roth. 252, 274, 275) quae sunt « Nulli liceat casam ordinatam », « Si quis mancipium fugax in casa sua », « Si mancipium alienum refugium », atque Liuprandi legem que est « Si quis servum vel ancillam loco pignoris » (Liutpr. 19) partim rumpit. Sed qualiter rumpantur et qualiter salventur, retro dictum est. — § 2. Quod dominus pro servo fuga lapso in hoc iubetur iurare capitulo, quod sue voluntatis nec consensus fuisset, quod servus eius tale facinus commisisset, dicebant antiqui iudices, hoc capitulum Grimoaldi legem que est « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3), in hoc quod dominus pro servo fuga lapso iurare iubetur, quod non potuisset ipsum servum invenire, partim rumpere. Secundum enim eos dominus ab hoc capitulo sacramentum predicte Grimoaldi legis prohibetur facere, cogendus, ut hoc capitulum precipit, iurare. Sed male dicebant; quia, licet hoc capitulum predictum sacramentum fieri iubebat, tamen sacramentum quod predicta Grimoaldi lex facere iubet non vetat, quare dominus utrumque faceret. — § 3. Lex Grimoaldi que est « Si servus talem culpam fecerit » in partem rumpitur secundum Walcausam ab hoc capitulo, quia ibi legitur, ut dominus pro servo componat solidos 20 et solidos 60, si fuga lapsus est; et in hoc capitulo declaratur, quod nichil componere debet, si fuerit ausus facere sacramentum, quod sue voluntatis nec consentiens fuisset, quod servus eius tale facinus commisisset. Quod a Wilhelmo non laudatur; quia, si quicumque huius capituli sacramentum facere auderet et nichil

cuilibet illatum, sed iuxta qualitatem danni dominus pro illo respondeat, vel eum in compositionem aut ad poenam petitori offerat. Si autem servus perpetrato scelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non possit, sacramento se dominus eius excusare studeat, quod hoc sue voluntatis nec consentiens fuisset, quod servus eius tale facinus commisisset (*Cap.* 26. 27 = *Capp. in legem Ripuariam addita a.* 803, *c.* 5. 7: *Legg. I*, 117).

Petre, te appellat Martinus, quod Dominicus tuus servus fecit iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — De torto me appellas. — Si dixerit: « liber est aut est servus de Marcoardo » — « hoc te appellat Martinus, quod tu dimisisti eum per ipsum malum ».

Petre, te appellat Martinus, quod Dominicus tuus servus fecit sibi unam plagam in capsum. — Non tibi respondeo, quia Paulus vendidit michi per ipsum malum. — Aut probet aut respondeat. Si dixerit, quod servus est fugitivus, vadat eum quaerere.

---

pro servo fuga lapso iuxta hoc capitulum componere deberet, iam omnes leges compositionem pro servo fuga lapso fieri iubentes ab hoc capitulo partim rupte essent, veluti Rotharis lex que est « Si servus dum in fuga est furtum fecerit » (Roth. 256) et quam plures alie, que pro servo compositionem fieri iubent, nulla differentia interposita, utrum sit in fuga vel non. Querenti, quid proficui sit domino sacramentum facere, quod in hoc precipitur capitulo, cum dominus secundum Wilihelmum non compositione solvitur huius capituli sacramento, dicatur: sacramentum in tantum prodesse, quod, licet servus alicuius hominem liberum super eum ambulando comprobetur occidisse, tamen, si huius sacramentum capituli dominus ausus facere fuerit, non iudicabitur res suas perdere, veluti legitur in Liuprandi lege quae est « Si servus cum voluntate domini sui » (Liutpr. 21), et etiam, si dominus huius capituli sacramentum ausus fuerit facere, licet servus suus super sponsam alicuius cum paranimpha et trotingis ambulantem aquam sordidam et stercora comprobetur iactare, tamen non iudicabitur 900 solidos debere pro servo componere, ut in Liuprandi lege quae est « Pervenit ad nos, quod dum quidam homines » et cetera (Ast. 6) legitur. — § 4. Quod in hac lege habetur: « sed iuxta qualitatem dampni dominus pro illo respondeat » ideo dictum putatur, ut dominus componat pro servo iuxta hoc quod leges compositionem fieri notificant, veluti, si servus alicuius liberum intra capsum plagaverit, dominus pro eo 20 solidos componat (Roth. 59), et in ceteris similiter; « vel eum in compositionem offerat », sicut legitur in Liuprandi lege quae est « Si quis ammodo inventus fuerit » et cetera (Liutpr. 120), in qua dicitur, si servus cum potestate domini sui cum uxore aliena turpiter conversatus fuerit, dominus pro eo widrigild componat, et ipse servus ad occidendum tradatur pro quanto appretiatus fuerit, atque sicut in Rotharis lege legitur quae est « Si servus aut ancilla venenum alicui dederit » (Roth. 142); « ad penam offeratur », ut in Grimoaldi lege legitur quae est « Si servus talem culpam fecerit » (Grim. 3), in qua servus ad mortem tradi iubetur. Vel aliter: nemini liceat servum propter dampnum et cetera, ac si diceret, non liceat domino propter susceptum iudicium servum dimittere, sed dominus « vel extimationem pro eo sufferat vel noxe dedat eum » (Inst. IV, 8 pr.); hoc quidem, si civiliter conventus fuerit dominus, si vero criminaliter agendum fuerit, ipse servus convenietur suo nomine, sed liceat domino defendere eum, si vult. — § 5. Capitulum hoc a Caroli capitulo quod est « Iubemus enim ut propter ullam districtionem » (Karol. M. 70) corroboratur, dicente: « et ipsi domini, sicut lex iubet, rationem pro servis reddant ». — § 6. Petre, appellat te Martinus, quod Dominicus tuus servus fecit iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — Respondet: de torto me appellas. — Si dixerit: « liber est aut servus est de Marcoardo » — « hoc te appellat Martinus quod tu dimisisti eum per ipsum malum ». — § 7. Petre, te appellat Martinus, quod tuus servus Dominicus fecit sibi unam plagam in capsum. — Non tibi respondeo, quia Paulus vendidit per ipsum malum. — Aut probet aut respondeat. Si dixerit quod servus est fugitivus, vadat eum quaerere.

27. Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit et non venerit, si eum sumnis non detinuerit, 15 solidis culpabilis iudicetur: si ad secundam et terciam, similiter; si autem ad quartam venire contempserit, possessio eius in bannum mittatur, donec veniat et de re qua interpellatus fuerat iusticiam faciat. Si autem infra annum non venerit, de rebus eius quae in banno missae sunt rex interrogetur, et quicquid exinde iudicaverit fiat. Prima mannitio super noctes 7, secunda super noctes 14, tertia super noctes 21, quarta super noctes 42. Similiter de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usque dum rex interrogetur.

28. Ut sacramenta quae ad palatium fuerint adramita in palatio perficiantur: et si sacramentales homines cum ipso venire noluerint, iussione dominica aut indiculo aut sigillo ad palatium venire cogantur (*Cap. Aquisgran. per se scrib. a.* 809, *c.* 14: *Legg. I*, 156).

29. Si quis super missum dominicum cum collecta et armis venerit ac missaticum illi iniunctum contradixerit aut contradicere voluerit, et hoc ei adprobatum fuerit, quod se sciens contra missum dominicum

---

27. Capitulum hoc, dicens: « Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit et non venerit, si eum summus, id est impedimentum, non detinuerit, 15 solidos sit culpabilis », legis Sallice primam legem corroborat, que eiusdem, ubi eandem sententiam denotat. — § 2. Capitulum istud, quemlibet pro qualibet causa manniri posse insinuans, a subsequenti capitulo quod est « De mannire vero » (Karol. M. 77) partim rumpitur, in quo quilibet, nisi de ingenuitate et hereditate, manniri posse prohibetur. — § 3. Lodoyci capitulum quod est « Si quis de statu suo id est de libertate » et cetera (Lud. P. 17), dicens: « iuxta legis constitutionem manniatur », hoc capitulum corroborat. — § 4. Ee quod in hoc capitulo rex de rebus quae in bannum misse fuerint, quid exinde iudicaverit, interrogari precipitur, si ille cui res fuerint infra annum iustitiam facere non venerit, dicebant antiqui iudices, hoc capitulum a Lodoyci capitulo quod est « Si cuiuscumque hominis proprietas ob crimen » (Lud. P. 16), ruptum esse partim, quia secundum eos quid de rebus illis fieri debeat, ut hoc precipit capitulum, rex non interrogandus erat, immo iuxta predictum Lodoyci capitulum, si ille re cognita iustitiam facere venire distulerit annoque ac die res illas in eo banno esse permiserit, non ulterius eas adquirere maluerit, quia eas fiscus habuerit. Sed male dicebant, quia predictum Lodoyci capitulum non alias res transacto anno ac die fisco sociari iubet, nisi res in bannum ob crimen missas: res vero ille, que iuxta hoc capitulum in bannum mittuntur, non ob crimen mittuntur, immo quia ad quartam mannitionem iustitiam facere venire contempsit, que mannitio non hodie potest fieri de crimine ut superius ostendi iuxta Caroli capitulum quod est « De mannire vero » (Karol. M. 77), in quo quilibet, nonnisi de ingenuitate et de hereditate, manniri prohibetur. Ideoque quid de rebus iuxta hoc capitulum in bannum missis post transactum annum fieri debeat, regem interrogandum esse, ut hic precipitur, intelligi oportet, nec iuxta capitulum predictum quod est « Si cuiuscumque hominis proprietas » (Lud. P. 16) res unde hoc loquitur capitulum fisco sociabuntur. — § 5. Capitulum hoc, in eo quod precipit beneficium in bannum mitti, secundum quosdam a Pipini capitulo partim dicitur rumpi quod est « De universali quidem populo » (Pipin. 7), in hoc quod ibi legitur: « et iudex, id est comes, contradicat illi beneficium suum, quia iustitiam facere non vult ». Sed non rumpitur, cum melius non possit contradici, quam si bannum posuerit. — § 6. Notandum est quoque, quod hoc capitulum tantum est Salichum, quod videri potest iuxta eiusdem capituli initium.

28. Secundum quosdam de his tantum sacramentis, que ad manum regis principaliter pertinent, veluti si quis iuratus esset, regium servum non plagasse, hoc capitulum locutum esse putandum est; vel, ut alii dicunt, de his tantum loquitur sequens capitulum, que, licet ad manum regis non pertineant, aramiuntur sponte fieri ad palatium.

ad resistendum venisset, de vita componat; et si negaverit, cum 12 iuratoribus suis se idoniare studeat, et pro eo quod cum collecta contra missum dominicum armatus venit ad resistendum bannum dominicum componat. Simili modo domnus imperator de suis vassis iudicavit. Et si servus hoc fecerit, disciplinae corporali subiaceat (*Cap.* 29 — 32 = *Cap. ap. Ansegisum III'*, 64 — 66 *servat. a.* 810. 811? *Legg. I*, 307).

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu venisti cum collecta et armis te sciente super missum imperatoris et contradixisti missaticum illi, quod erat sibi commendatum.

30. Si quis domum alienam cuilibet fregerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut rapuerit vel furatus fuerit, totum secundum legem illi cui domus fuerit fracta et expoliata in triplo componat et insuper bannum dominicum solvat. Si vero servus hoc fecerit sententiam superiorem accipiat et insuper secundum suam legem compositionem faciat.

31. Si quis liber homo aliquid tale dannum cuilibet fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semet ipsum in wadia dare pro servo studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.

32. Si quis messes aut anonas in hoste super bannum dominicum rapuerit aut furatus fuerit vel paverit aut cum caballis vastaverit, extimato damno secundum legem in triplum componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur: servus vero secundum suam legem tripla compositione dannum in loco restituat et pro banno disciplinae corporali subiaceat.

---

30. Hec capitula usque ad « Quicumque liber homo in hoste bannitus » (Karol. M. 34) ad hominem in hoste positum facta esse putandum est. Et supra hoc capitulum prooemium, quod hoc declarabat, antiquissima capitularia habuisse, apud Wilihelmum non dubium. Et si aliter intelligeretur, iam hoc capitulum Liuprandi legem que est « Si quis sine voluntate regis in qualicumque » (Liutpr. 34) rumperet, quia ibi res de casa per vim ablate in octogild, hic vero in triplum tantum componi iubentur; eodem quoque ordine, quia plures Rotharis leges (Roth. 253-255), veluti « Si quis liber homo furtum fecerit » « Si servus furtum fecerit » « Si quis per proditorem » et fere omnes leges, que res malo ordine sublatas in octogild iubent componi, rumperet. Sed subsequens capitulum quod est « Sic quoque: quaelibet persona » (Karol. M. 33), dicens: « aut presentaliter emendet aut sacramentum reddat solus » Rotharis leges (Roth. 359, 362) que sunt « Si qualiscumque causa » et cetera « Si quis alii pro qualicumque causa wadiam et fideiussorem de sacramento dederit » rumperet, quia ibi cum duodecim iurare et usque ad duodecim noctes ad ipsum sacramentum dandum spacium dare, hic vero solus iurare aut presentialiter emendare precipitur. — § 2. Quod in hoc capitulo habetur: « totum illi secundum legem cui domus fuerit fracta » ad hanc legem id est ad hoc capitulum tantum referendum est. — § 3. Capitulum hoc dicens: « sententiam superiorem accipiat » suprapositum capitulum (Karol. M. 29) respexit in hoc quod dicit: « et si servus hoc fecerit, discipline corporali subiaceat ». — § 4. Item quod hic scriptum est: « secundum suam legem compositionem faciat », in hoc eodem capitulo ubi dicit: « in triplo componat » referendum est.

32. Quod in hac lege habetur: « dampno estimato secundum legem in triplum componat » ad hanc legem id est ad hoc capitulum tantum referatur.

33. Sic quoque: qualibet persona de hoc quod interpellata fuerit praesentaliter aut emendet aut sacramentum reddat solus, quod nec ipse fecisset nec qui fecisset sciat. Accusator vero prius iuret, quod non eum se sciendo iniuste interpellavit (*Incertae originis*).

34 (35 *Muratorian. edit.*). Quicumque liber homo in hostem bannitus fuerit et venire contempserit, plenum eribannum id est 60 solidos solvat; quod si non habuerit unde illam summam persolvat, semet ipsum per wadimonium in servitio principi tradat, donec per tempora ipse bannus ab eo fiat persolutus: et tunc iterum ad statum suae libertatis revertatur. Et si ille homo qui propter eribannum in servitium se tradidit in illo servitio defunctus fuerit, heredes eius hereditatem quae ad eos pertinet non perdat nec libertatem, nec de ipso eribanno obnoxii fiant (*Cap. Bononiense a.* 811, *c.* 1: *Legg. I*, 172. 173).

35 (36). Ut nullus homo in placito centenarii neque ad mortem neque ad libertatem suam amittendam aut res reddendas vel mancipia iudicetur: sed ea omnia in praesentia comitis vel missorum nostrorum iudicentur (*Capit. a.* 812? *c.* 4: *Legg. I*, 174).

36 (38). Omnia sacramenta in aecclesia aut super reliquias iurentur: et quae in aecclesia iuranda sunt, vel cum septem electis aut si duodecim esse debent, quales potuerit legibus invenire. E t s i c i u r e n t:

---

33. Usu et exemplo huius capituli dici potest, interpellatorem pro qualibet causa, unde alium appellat et bellum non fit, iuraturum esse quod eum non iniuste se sciente interpellavit, quod etiam lex Romana (Cod. II, 59, 2) fieri iubet.

34. Hoc capitulum suprapositum Caroli capitulum quod est « De heribanno » (Karol. M. 23) rumpit, ut supra diximus, et salvatur hic eodem modo. — § 2. Capitulum hoc, eum qui in exercitum venire contempsit plenum heribannum id est 60 solidos componere iubens, Rotharis legem quae est « Si quis in exercitum ambulare contempsit aut in sculcam » (Roth. 21) partim rumpit, in qua qui in exercitum venire contempserit 20 solidos iubetur componere; sed non est rupta, immo addicio. — § 3. Capitulum hoc dicens: « quod si non habuerit unde illam solvat summam, semed ipsum per wadimonium in servitio principi tradat », et postea dicens: « et si ille homo qui propter heribannum in servitio se tradit mortuus fuerit, heredes illius hereditatem que ad illos pertinet non perdant », declarat, bannum nonnisi de mobilibus esse solvendum, quia, si de inmobilibus deberet solvi, tunc hic de quo hoc loquitur capitulum potius de hereditate solvisset quam se in servitium principis tradidisset. Unde hoc capitulum a sequenti Caroli capitulo quod est « Si quis liber homo, contempta iussione nostra » (Karol. M. 79) partim rumpitur, in quo qui in exercitum venire contempsit plenum heribannum id est 60 solidos solvere iubetur, nulla posita differentia, utrum de mobilibus an de immobilibus solvi debeat. Sed, ut quidam dicunt, non rumpitur, quia illud capitulum non intelligendum est bannum solvere precipisse nisi legaliter, id est huius capituli determinatione, scilicet de mobilibus.

35. Capitulum hoc, quemlibet hominem ad mortem iudicari aut libertatem suam perdere coram centenario prohibens, a sequenti Caroli capitulo, quod est « Ut omnis controversia diffiniri posset » (Karol. M. 93) partim rumpitur, in quo quamlibet causam coram centenario diffiniri posse precipitur, preter redemptionem terre et mancipiorum. Sed secundum Wilihelmum non rumpitur, quia predictum capitulum quod est « Omnis controversia » minores causas, scilicet redemptionem terrae et mancipiorum, coram centenario diffinire posse prohibens, se ipsum declarat, maiores causas, scilicet ad mortem iudicari aut ad servitium convinci, coram centenario nolle diffinire posse.

« si illum Deus adiuvet et sancti quorum istae reliquiae sunt, ut veritatem dicat » (*Capp. in leg. Ribuar. addit. a.* 803, *c.* 12: *Legg. I*, 118).

37 (39). Ut infantes sine rationabili aetate non cogantur iurare, sicut Gundebada lege viventes faciunt (*C.* 37 — 38 = *Admon. gener. a.* 789 *c.* 63 *i. f.*: *Legg. I*, 63).

38 (39). Ut qui semel periuratus fuerit nec testis sit post haec nec ad sacramentum accedat nec in sua causa vel alterius iurator existat.

39 (40). Ut infantilis aetatis puellae non vellentur, antequam illae eligere sciant quid velint, salva canonica auctoritate (*Capit. Theodonisvill. eccl. a.* 805, *c.* 14: *Legg. I*, 132).

40 (41). Ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum vivente viro suo, nec vir uxorem aliam accipiat vivente uxore priore (*C.* 40. 41. = *Admon. general. a.* 789, *c.* 43. 62 *sub fin.*: *Legg. I*, 61. 63).

41 (42). Ut iudices ieiuni causas audiant et discernant.

42 (43). Ut episcopi abbates et comites et potentiores quique, si causam inter se habuerint ac se pacificare noluerint, ad nostram iubeantur venire praesentiam, neque illorum contentio alicubi iudicetur, nec propter hoc pauperum et minus potentium iusticiae remaneant. Neque ullus comes palatii nostri potentiores causas sine nostra iussione finire praesumat, sed tantum pauperum et minus potentium

---

37. Rationabilis etas Longobardi est, habere 18 annos ut in edicto legitur (Liutpr. 19); Romani vero atque Sallici est, 25 annos habere.

38. Postquam aliquis penitentiam de periurio aut alio crimine accepit, agere atque sacramentum facere potest, quia iuxta sequens Caroli capitulum quod est « Ut qui se periuraverit » (Pipin. 45) « postquam penitentiam acceperit inculpabilis esse videtur ».

39. Hic legitur: « salva canonica auctoritate », id est ut non fiat monacha ante vicesimum quintum annum excepto metu mortis aut raptus.

40. Capitulum hoc a Lotharii capitulo quod est « Nulli liceat excepta causa fornicationis » (Loth. 95) partim rumpitur, quia, si vir uxorem causa fornicationis legaliter dimiserit, iuxta predicti Lotharii capituli intellectum aliam uxorem potest ducere.

42. Hoc capitulum, causam episcoporum atque abbatum, quas si inter se habent, si se pacificare noluerint, nisi in presentia regis tantum, alicubi diffinire prohibens, a Lodoyci capitulo quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15), partim rumpitur, quia illic precipitur, ut negotium ex utraque parte ecclesiasticum coram comite finiatur. Sed Ugo dicit; quia illud capitulum, quod est « Si quis cum altero » intelligendum tantum locutum esse de minorum ecclesiarum, quae sint sub abbate seu episcopis ecclesiae, negotio. — § 2. Rumpitur quoque partim a Lotharii capitulo quod est « Volumus ut episcopi, abbates, abbatisse » (Loth. 7), in hoc quod ibi legitur: « plenam faciant iustitiam ante comitem suum ». Sed ita salvatur secundum Wilihelmum, ut intelligatur predictum Lotharii capitulum, episcopos, abbates, abbatissas tunc tantum coram comite iusticias facere, quando cum minus potentibus debent agere. — § 3. Rumpitur ab alio Lotharii capitulo quod est « Ut omnis episcopus, abbas et comes » (Loth. 86); corrumpitur in hoc quod dicit: « nullam excusationem habeant, quin ad placita missorum nostrorum veniant ». Sed ita salvari potest, ut supra ab alio Lotharii capitulo salvatur. — § 4. Iuxta hoc quod hic legitur: « sed tantum pauperum et minus potentum ad iustitiam faciendam sciet sibi esse vacandum », notandum est, comitem palatii potestatem habere placitandi universos pauperes et minus potentes.

iusticias faciendas sciat sibi esse vacandum (*C.* 42. 43 = *Capitul. a.* 812? *c.* 2. 3: *Legg. I,* 174).

43 (48). Ut, quandocunque testes ad rem quamlibet discuciendam quaerendi atque eligendi sunt, a misso nostro et comite in quorum ministerio de re qualicunque agendum est tales eligantur, quales optimi in ipso pago inveniri possunt. Et non liceat litigatoribus per praemia falsos testes adducere, sicut hactenus fieri solebat.

44. De latronibus ita praecipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat; de secunda vero culpa nasus ipsius capelletur; de tertia vero culpa, si se non emendaverit, moriatur (*Capitul. Haristall. a.* 779 *forma comm. c.* 23: *Legg. I,* 39).

45. De illis hominibus qui propter eorum culpas ad mortem iudicati fuerint, et postea eis fuerit vita concessa, si ipsi iustitiam ab

---

43. Ut quandocumque testes ad rem quamlibet discutiendam: sicut legitur totum in capitulario.

44. Hoc capitulum in parte rumpit leges Rotharis (Roth. 253, 254) que sunt « Si quis liber homo furtum fecerit » « Si servus furtum »; sed qualiter rumpatur, retro dictum est. — § 2. Secundum quosdam iudices dicitur, latronem solidos 80 habentem mori non debere, nec oculum aut nasum perdere: sed quia hanc sententiam retro declaravimus, ad aliam transeamus. — § 3. Hoc capitulum a quibusdam Caroli capitulis (Karol. M. 83, 84) que sunt « De vindicta in iudicio facta in latronibus », « Si quis latro de uno furto comprobatus fuerit » affirmatur, iuxta que capitula videri potest sine dubio, quod hoc capitulum est generale et ad omnes latrones pertinet.

45. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu fecisti plagam in capite. — Non tibi respondeo, quia tu fuisti iudicatus ad mortem. — Aut probet aut respondeat. Si dixerit alius: « licet probatum sit, quod ego fui iudicatus ad mortem, tamen respondere michi debes, quia vita fuit michi concessa », aut probet aut taceat. — Ad quod alius respondeat: « quamvis probavisses, vitam tibi fuisse concessam, tamen non tibi inde debeo respondere, quia ego non feci tibi plagam illam, postquam tibi vita fuit concessa, sed ante ». — Aut probet aut respondeat. Sed secundum quosdam non debet ipse probare, se antea fecisse plagam quam vita sit sibi concessa, immo alius debet ei dicere: « non est verum, quod tu antea fecisses plagam michi quam vita fuisset michi concessa, sed postea »; et ita probet, si potuerit, illum sibi postea fecisse; et si probare nequiverit, alius se defendat. — § 2. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu sibi fecisses plagam in capso. — Non tibi respondeo, quia ego fui iudicatus ad mortem. — Aut probet aut respondeat: « quamvis probasses, te ad mortem iudicatum fuisse, tamen respondere debes, quia vita fuit tibi concessa ». — Aut probet aut taceat. Ad hoc dicat alius: « quamvis probavisses, vitam michi fuisse concessam, tamen tibi respondere non debeo, quia ego tibi non feci plagam illam, postquam vita fuit michi concessa, sed ante ». — Aut probet aut respondeat. — Sed secundum quosdam non debet probare se ante fecisse, quam vita fuit sibi concessa, immo alius debet dicere ei: « non est verum, quod tu antea fecisses michi plagam illam, quam vita fuit tibi concessa, sed postea fecisti ». — Et ita probet. Si vero probare nequiverit, alius se defendat, si potuerit, vel emendet. — § 3. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili, quod valebat solidos 100. — Non tibi respondeo, quia per ipsa mobilia fui iudicatus ad mortem. — Aut probet aut respondeat. — § 4. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu fecisti iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — De torto me appellas. — Si voluerit dicere, quod falsum sit sacramentum, quod ipse debet iurare, faciat pugnam armis. Sed si convictus fuerit, quia patet, illud sacramentum quod facere debeat falsum esse, emendet iniuriam ut lex precipit, et pro periurio perdat manum. Si autem vicerit, nichil emendabit; quia victo bello patet, sacramentum quod debebat facere, bonum esse. — § 5. Notandum est quoque, quod due priores appellationes hoc ordine fuerunt secundum Walcausam: Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu fecisti unam plagam in capite. — Non tibi respondeo, tu fuisti postea iudicatus ad mortem. — Aut probet aut respondeat. Si dixerit: « iudicatus fui ad mortem, sed michi fuit vita concessa, et tu postea fecisti illud malum », aut probet aut taceat. — § 6. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu occidisti

aliis requisierint aut alii ab eis iustitiam quaerere voluerint, aequaliter inter illos iudicium terminetur. Primum omnium de illis causis pro quibus iudicatus fuerit ad mortem nullam potest facere repetitionem, quia omnes res suae secundum iudicium Francorum in publico fuerunt revocatae. Et si aliquid postmodum, postquam ei vita concessa est, cum iustitia adquirere potuerit in sua libertate, teneat et defendat secundum legem. Sed in testimonium non suscipiatur nec inter scabinos ad legem iudicandam locum teneat. Et si ad sacramentum ei aliquid iudicatum fuerit quod iurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendant (*C.* 45 — 56 = *Capit. Aquisgran. per se scribend. a.* 809 *c.* 1-7. 9. 8. 10-12: *Legg. I*, 155, 156).

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti sibi unam plagam

---

Dominicum suum servum ministerialem. — Non tibi respondeo, quia ego sum iudicatus ad mortem postea. — Probet. Si dixerit qui appellat: « tibi fuit vita concessa et post illud malum michi fecisti », probet. Si dixerit qui appellatus est: « fuit michi vita concessa, sed si tu dicis, quod ego fecissem tibi ipsum malum, postquam fuit michi vita concessa, de torto me appellas »...— § 7. « Equale iudicium inter illos terminetur »: hoc edictum est ambiguum. Quidam dicunt: «ut ipsi faciant iustitiam alteri et alii eis »; alii autem e contrario: « ut nec ipsi alteri, nec alter illis iustitiam faceret (subaudis: de causis perpetratis) antequam ad mortem fuissent iudicati ». Dicebant enim priores, iudicium de non esse esse non posse, et ita posteriorem sententiam depravabant. Sed male dicunt, quia iudicium ita potest esse de absolutione, quemadmodum de observatione, ut in Institutis (Inst. IV, 6 1) legitur. Inferiorum autem sententiam non confirmamus, quia in sequenti (Karol. M. 46) ita consideretur, ubi legitur: « Si aliquis adversus eum (subaudis: cui vita erat concessa) aliquid malum fecerit, licentiam habeat suam iustitiam requirendi ». Quod autem subdit: « et de preteritis maneat, sicut superius iudicatum est », aspexit in superiori capitulo, quod nec ipsi iustitiam alteri, nec alter eis faciat de causis perpetratis, antequam ad mortem iudicati fuissent. — § 8. Eo quod hic legitur: « quia omnes res sue secundum iudicium Francorum in publico sunt revocate », asseritur res quorumlibet ad mortem retropositis legibus dampnatorum ad partem publicam iuxta hoc capitulum deventuras, nulla interposita differentia, utrum in ipsis legibus hos ad mortem dampnantibus, quid fieri debeat de eorum rebus, sit diffinitum vel non. Quod ab aliis sic dicentibus depravatur: capitulum hoc, dicens: « in publico sunt revocate », declarat, se non aliorum res ad partem publicam advocasse, nisi illorum, que retropositis legibus in publico specialiter sunt advocate. Et aliter depravatur: quia, si iudices, id est ipsi Franci, iudicarent, res alias in publicum ire nisi illas tantum quae retropositis legibus specialiter ad partem publicam iubentur venire, male iudicarent, quia non secundum legem iudicarent, cum omnis iudex secundum legem iudicare debeat. Contra hoc adversarius: licet hoc capitulum dicat: « sunt revocate », tamen intelligendum est, Karolum huius capituli compositorem, gerentem Francorum mortem, res quorumlibet dampnatorum ad mortem ad partem publicam iuxta hoc capitulum advocasse, quia « revocate » non hic est positum pro « iterum vocate », immo pro « advocate », veluti legitur in Rotharis lege que est « Si fuerint filii legitimi et filii naturales » (Roth. 162) ubi dicit: « facultas vero illius mortui tota ad legitimos fratres revertatur », in quo « re » nullam habet significationem. Iuxta quoque Lotharii capitulum quod est « Si quis ex levi causa » (Loth. 58) intelligendum est, Carolum res quorumlibet ad mortem dampnatorum iuxta hoc capitulum ad partem publicam advocasse, quia predictum Lotharii capitulum dicens: « hereditas tamen liberi hominis » huc respiciens hoc plane ostendit, quia sic dicit: quamvis hereditates omnium hominum aliorum ad mortem iudicatorum vadunt ad fiscum, tamen istorum non ibunt. Et secundum hanc sententiam hoc capitulum rumpit Novellas in quod ibi legitur: « bona dampnatorum capitali crimine non ad lucrum presidis sed ad parentes pertineant » (Iulian. Nov. 21, 10). Sed posses dicere adversus predictum Lotharii capitulum quod est « Si quis ex levi causa », non ad hoc capitulum respexisse sed ad Liuprandi legem quae est « Nam qui super alium ambulaverit » (Liutpr. 20), que homicidam super alium ambulantem omnem sub-

in capite. — Non tibi respondeo, quia tu fuisti iudicatus post ad mortem. — Aut probet aut respondeat. Si dixerit: « iudicatus fui ad mortem, sed michi fuit vita concessa, et tu post fecisti illud malum », probet aut taceat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum servum ministerialem. — Non tibi respondeo, quia ego sum post iudicatus ad mortem. — Probet. Si dixerit qui appellat: « tibi fuit vita concessa, et post illud malum michi fecisti », probet. Si dixerit qui appellatus est: « fuit michi vita concessa, sed si tu dicis, quod ego fecissem tibi ipsum malum, postquam fuit michi vita concessa, de torto me appellas ».....

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili quod valebat solidos 100.

---

stantiam suam iubet perdere et fiscum defunctique heredis eam habere. Cui obiectioni sic obviari potest: non ad illam legem Liuprandi respexit, quia rupta erat a quam pluribus capitulis, veluti a Lodoyci capitulo quod est « Quicumque hominem ex levi causa aut sine causa » (Lud. P. 6), et a quodam Caroli capitulo quod est « De armis infra patriam portandis » (Karol. M. 20). Sed mos est Longobardorum legum, respicere ad fractas leges veluti « De homicidio unde lex pro simplicitate » (Loth. 92) et ad Liuprandi legem que est « Nam qui super alium ambulaverit » prospicit, quae, ut supra diximus, fracta erat. Etiamsi crederetur predictum capitulum ad hoc respexisse, non ideo tamen confirmandum esset, res hominum ad mortem dampnatorum iuxta hoc capitulum ad partem publicam fore deventuras, veluti res fornicatoris cum uxore alterius a viro reperti; quia, licet propter suam culpam iuxta Rotharis legem quae est « Si quis cum uxore sua alium fornicantem invenerit » (Roth. 212) absque alio intervallo ad mortem sit iudicatus, eius tamen res iuxta hoc capitulum non devenirent ad partem publicam, quia iuxta hoc capitulum nullius res ad partem publicam sunt deventure, nisi illius tantum qui iudicio scabinorum ad mortem dampnatus fuerit, quod potest videri per hoc quod dicit: « si alicui post iudicium scabinorum fuerit vita concessa »; sed predictus adulter absque aliquo iudicio a Rotharis lege iubetur a viro interfici, quare, quia in iudicio scabinorum non est condempnandus, res eius iuxta hoc capitulum non devenient ad partem publicam. — § 9. Sunt qui aiunt capitulum istud esse Salichum, eo quod dicit: « Francorum »: sed male dicunt, quia Carolus fuit rex Francorum et Longobardorum et ideo dixit: « secundum iudicium Francorum », quia magis diligebat illos. — § 10. Si fur tertium fecerit furtum et pro eo dampnatus fuerit ad mortem, et, furto manente apud eum, vita ei concessa est, queritur, utrum debeat reddere vel non. Dicitur a quibusdam, reddi non debere, quia dicit capitulum: « de illis rebus pro quibus fuerit iudicatus ad mortem nullam potest facere repetitionem », sed iuxta Lodoyci capitulum quod est « Primum omnium, sicut iam aliis missis fuerit iniunctum, iustitiam faciat de rebus et libertatibus iniuste ablatis » (Lud. P. 35) litigari potest, quod debet reddi, quia ibi legitur: « ut res iniuste ablate statim restituantur ». Sed non est ita, quia capitulum illud non loquitur de rebus furto aut scacho abstractis, quod satis videri potest ubi dicit: « ut per optimos inquiratur » (Lud. P. 36), quia furtum vel scachum non debet inquiri per optimos, sed reddi. Contra hoc sic dici potest: predictum Lodoyci capitulum non loquitur de rebus furto ablatis, et licet hoc capitulum dixisset: « de illis rebus pro quibus fuerit iudicatus ad mortem nullam potest facere repetitionem », tamen intelligendum est, illud furtum debere reddi, quia ipse, in hoc quod requirit rem suam quam ipse furatus fuerat, non facit repetitionem de rebus pro quibus fur iudicatus ad mortem fuerat, quia ipse fur non fuerat iudicatus ad mortem pro re ipsa furata, immo pro presumptione et pena furti, unde iste valebat; et in Institutis (Inst. IV, 1, 19) legitur: quando de furto agitur, de sola pena agitur, et in Capitulari quoque legitur: « mors illius furta illa excludat » (Karol. M. 84), id est penam furti, scilicet sibi nonum, excludat, non persecutionem rei. — § 11. Si uxor de adulterio convincta fuerit, secundum legem (Roth. 212) debet mori et res eius secundum quosdam ad partem publicam venire debebant, quia propter suam culpam ad mortem indicata fuerit.

— *Non tibi respondeo, quia per ipsa mobilia fui iudicatus ad mortem.*

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — De torto. — Si voluerit dicere, quod falsum sit sacramentum quod debet iurare, faciat pugnam cum armis.

·46. Si alicui post iudicium scabinorum fuerit vita concessa et ipse postmodum aliqua mala perpetraverit et iustitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit et ideo iusticiam reddere non debeat, statutum est ut superius iudicium sustineat quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliquid malum fecerit, secundum aequitatis ordinem licentiam habeat suam iusticiam requirendi de causis perpetratis, postquam ad mortem iudicatus est. De praeteritis maneat sicut superius (*Karol. M.* 45) diiudicatum fuerit.

Sed male dicebant: quia talis erat cuius res ad publicum deveniebant, quae in potestate regis erat occidendi vel dimittendi; sed de ista potestatem non habebat, sed vir. — § 12. Si quis homo ad mortem iudicatus fuerit et, antequam vita ei concessa sit, alio iverit et liberam uxorem acceperit et morgicap ei fecerit vel aliquid adquisierit et donationem venditionemque fecerit, queritur quid inde fieri debeat? Ad publicum pertinent, quia servus est, et quod servus sit, iuxta hoc capitulum videri potest, quia in hoc quod dicit: « et si aliquid postquam ei vita concessa est, cum iustitia adquirere potuerit in sua libertate, teneat et defendat » declarat, eum servum esse, si vita concessa non fuerit: et in Institutis (Inst. I, 10, 10) legitur: inter liberam et servum nullum coniugium fieri potest. Et si vendiderit aut donaverit, nichil valuerit, quia in Institutis (cf. Inst. II, 9, 3) legitur: quidquid per servum adquiritur, id domino adquiritur, et si ea quod adquisivit domini sunt, igitur vendere aut alienare non potest sine iussione domini. — § 13. Si quis ad mortem iudicatus fuerit, et postea vita erat sibi concessa, si ipse aliquod malum fecerit et appellatus inde fuerit, si negaverit, quod non fecisset, debet iurare cum suis parentibus, si Longobardus est? Non, quia postquam fuerit servus, non redibit ad gradum cognationis, sicut in Institutis (Inst. I, 16, 6) legitur, ubi dicit: « quod ius cognationis perit, et quidem, si manusmissus fuerit, non recipit cognationem ». — § 14. Dubitatur adhuc, si aliquis per sententiam iudicis, ad mortem iudicatus fuerit, et, dum ad occidendum ducatur, aliquis eum in capite plagaverit, et postea vita fuerit concessa, si plage compositionem querere poterit? Non, quia, licet hoc capitulum (Karol. M. 46) dicat: « habeat licentiam suam iusticiam requirendi de causis perpetratis quia ad mortem iudicatus fuerit », tamen nullam exinde compositionem valet requirere, quia illud dictum esse post concessam vitam oportet intellegi. — § 15. Si quis rem invasit, antequam ad mortem iudicatus fuisset, nec fruges quas habuit, nec compositionem propter invasionem terre solvere debet, si ei vita concessa est; quod videri potest iuxta hoc quod hic legitur: « equale inter eos iudicium terminetur ». Sed si, postquam ad mortem iudicatus fuerit, et vita fuerit concessa, rem aliquam invasit, sive rem illam invadat quam ante mortis dapnationem invaserat seu aliam, et appellatus fuit, quod rem illam malo ordine possedisset, non poterit prohibere, quin respondeat et fruges, quas habuit postquam vita ei concessa est, reddere debeat. Quod videri potest iuxta hoc quod dicit: « et si aliquis adversus eum aliquod malum fecerit, secundum equitatis ordinem licentiam habeat suam iustitiam requirendi ».

46. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu occidisti patrem suum. — Non tibi respondeo, quia ego sum mortuus. — Aut moriatur aut iustitiam faciat. — § 2. Hec appellatio que sequitur non ex hoc colligitur capitulo sed hic fuit solo usu: Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu tenes sibi malo ordine terram quae est in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Imperator michi fecit per preceptum. — Et quid pertinuit ad imperatorem? — Ego fui iudicatus ad mortem, et totae meae res venerunt ad publicum. — Potes tu probare, quod tu, postquam imperator tibi dedit, quod imperator infra hoc quod tu fuisti iudicatus ad mortem, et quod tu, antea quam tu fuisses iudicatus ad mortem, et quod pater tuus per 30 annos possessam habebatis?

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum. — Non tibi respondeo quia ego sum mortuus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Imperator michi fecit per preceptum. — Et quid pertinuit ad imperatorem? — Ego fui iudicatus ad mortem, et totae meae res venerunt ad publicum. — Potes tu probare, quod tu, postquam imperator tibi dedit, quod imperator infra hoc quod tu fuisti iudicatus ad mortem, et quod tu antequam tu fuisses iudicatus ad mortem, et quod pater tuus per 30 annos possessam habeatis?

47. De latrone forbannito: si liber homo susceperit, 15 solidos componat, et si servus, 120 ictus percussionibus vapulet.

48. Ut comes qui latronem in forbanno miserit vicinis suis, aliis comitibus, notum faciat, eundem latronem a se esse forbannitum, ut illi eum non recipiant.

49. Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis scabinis et vassis comitum, nisi qui causam suam aut quaerere debet aut respondere.

50. Ut testes ad testimonium dicendum praemio non conducantur, et nullus testimonium dicat aut sacramentum iuret nisi ieiunus. Et ut testes, priusquam iurent, separatim discutiantur, quid dicere velint de illa re unde testimonium reddere debent.

51. Ut nullus quislibet missus noster neque comes neque iudex aut scabinus cuiuslibet iustitiam dilatare praesumat, si statim adimplere potuerit secundum rectitudinem: neque praemia pro hoc a quolibet homine per aliquod ingenium accipere presumat.

---

47. Capitulum hoc, eum qui latronem forbannitum susceperit 15 solidos componere iubens, a capitulo Pipini quod est « Quicumque post missam sancti Iohannis » (Pipin. 41) partim rumpitur, in quo qui ei hospitium dederit latroni fieri similis precipitur. — § 2. Forbannitus latro dicitur qui in foro est bannitus.

50. Capitulum hoc, prohibens testes premio conduci, a Pipini capitulo quod est « Placuit nobis, ut nullus comes » (Pipin. 21) partim rumpitur, in quo testis premio conduci permittitur; quod videri potest in hoc quod ibi legitur: « sed permittant ei habere sua testimonia, qui ea potest acquirere — subaudis: pretio — aut rogare » — scilicet gratis. Sed ita salvatur, scilicet ut dicamus, conquirere per comitem, sed non pretio. — § 2. Capitulum hoc Liuprandi legem partim rumpit quod est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8), quia illic legitur, ut testes iurent, priusquam testimonium dicant, hic vero: ut testes, priusquam iurent, testimonium dicant». — § 3. Capitulum hoc, dicens: « nullus testimonium dicat aut sacramentum nisi ieiunus », et: « ut testes, priusquam iurent, separatim discutiantur », suprapositum Caroli capitulum quod est « De periuriis ut caveantur » (Karol. M. 21) idem asserens corroborat.

51. Ad hoc ut dilatetur iustitia, capitulum hoc pretium prohibens recipi, a Lodoyci capitulo quod est « Ut comites et vicarii et centenarii » (Lud. P. 56) corroboratur, dicente: « ut propter iustitiam pervertendam nullus munera accipiat ».

52. Ut mercatum in nullo loco habeatur, nisi ubi antiquitus fuit et legitime esse debet.

53. Ut nullus cogatur ad pontem ire ad fluvium transiendum propter tolonei causam, quando ille in alio loco compendiosius illud flumen transire potest. Similiter et in plano campo, ubi pons nec transiectus non est, ibi omnino, ut toloneum non exigatur, praecipimus.

54. Ut presbiter qui sanctum chrisma donaverit ad iudicium subvertendum, postquam de gradu suo expulsus fuerit, manum amittat.

55. Ut iudices advocati prepositi centenarii scabini quales meliores inveniri possint et Deum timentes constituantur ad sua ministeria exercenda.

56. Ut nemo propter cupiditatem pecuniae aut propter avaritiam suam prius det precium et futuram coemptionem sibi praeparet, ut duplum vel triplum recipiat, sed tunc tantum quando fructus presens est illum comparet.

57. Volumus atque monemus, ut episcopi suum in omnibus iuxta vires peragere studeant ministerium in parochiis eorum, et ut praedicationem et confirmationem ibidem expleant. Et ut de monasteriis quae infra parochiam eorum sunt vigilanter curent, ut canonici secundum canones et regulares secundum regulam vivant: et ubi aliter quam ordo poposcit invenerint, emendare studeant, et, si emendare nequiverint, nobis nuntietur (*C.* 57 — 64 = *Capitul. Pippin. a.* 801 — 810. *c.* 1, 4-9, 11: *Legg. I*, 103. 104).

58. Ut comites pleniter iustitiam diligant et iuxta vires expleant, et iustitiae sanctae Dei ecclesiae vigilanti cura instent et orphanorum viduarum pauperum et omnium qui in eorum ministerio commanent: de quacumque causa ad eos venerit querela, plenissima ac iustissima

---

55. Capitulum hoc suprapositum Caroli capitulum quod est «De advocatis vicedominis vicariis» (Karol. M. 22), ut retro dictum est, corroborat. — § 2. Capitulum hoc, iudices advocatos centenarios scabinos quales meliores inveniri possunt et Deum timentes iubens constitui, a subsequenti Caroli capitulo quod est « Hoc quoque iubemus » (Karol. M. 125), dicente : « ut iudices supranominati », et a Lodoyci capitulo quod est « Omnibus igitur episcopis abbatibus cunctoque clero » (Lud. P. 56) corroboratur, dicente: « vicedominos prepositos advocatos sive defensores habere bonos non malos » et cetera.

57. Capitulum hoc, dicens : « ut canonici secundum canones et regulares secundum regulam vivant », dat intelligi, quedam monasteria non regularia esse : unde a Pipini capitulo (Pipin. 3) partim rumpitur, in quo cuncta monasteria regularia esse debere precipitur.

58. Pipini capitulum quod est « Placuit atque convenit nobis ut omnes iustitiae » (Pipin. 11) et cetera hoc capitulum corroborat. — § 2. Capitulum hoc, causas orphanorum et viduarum necnon et pauperum primitus quia aliorum diffinire iubens, a Lodoyci capitulo quod est « De viduis et pupillis et pauperibus » (Lud. P. 8) corroboratur, in hoc quod dicit: « ut, quandocumque in mallum venerint ante comitem, primo eorum cause audiantur » et non solum ab hoc corroboratur sed etiam a compluribus aliis.

deliberatione definire decertent et sicut rectius et iustius est ita agant. Et ut primitus ad placita eorum orphanorum et viduarum necnon et pauperum causas deliberent, nec propter aliquam dilatationem eorum iusticia a iudicibus dilatetur.

59. Volumus, ut episcopi et comites concordiam et dilectionem inter se habeant ad Dei et sanctae ecclesiae protractatum peragendum, ut episcopus suo comiti, ubi ei necessitas poposcit, adiutor et exortator existat, qualiter suum ministerium explere possit. Similiter et comes faciat contra suum episcopum, ut in omnibus illi adiutor sit qualiter infra suam parochiam canonicum possit implere ministerium.

60. Praecipimus etiam comitibus et omnibus fidelibus domni imperatoris, ut, quicumque de rebus ecclesiae beneficia habent pleniter nonas et decimas ad ipsas ecclesias donent absque ulla diminoratione et dilatatione: in quantum melius possint et iuxta possibilitatem, quando necessitas exigit, de operibus ad ipsas aecclesias restaurandas adiutorium faciant.

61. Et vos episcopi, qui in omnibus nonas et decimas accipitis, in vestra providentia sit, qualiter aecclesiae et capellae quae in vestra parochia sunt emendentur, et luminaria eis prebeatis, et ut presbiteri in eis vivere possint.

62. Ut nemo alterius clericum sine commendatitiis aut dimissoriis litteris recipere audeat.

63. Ut episcopi abbates per senedochia et monasteria eorum hospitalem, ubi antiquitus fuit, faciant: et summopere curent, ut nullatenus praetermittant.

64. Volumus, ut advocati in praesentia comitum eligantur, non habentes malam famam, sed tales eligantur, quales lex iubet eligere.

65 (66). Mentio etenim facta est a nonnullis in placito quod habuimus anno praeterito et dictum est inibi, quia ubi palam apparet,

---

59. Widonis capitulum quod est « Placuit nobis etiam summopere statuere, ut episcopi et comites uniti sint » (Wid. 1) huic concordat capitulo. Notandum est quoque, secundum istum Widonis capitulum episcopum comitem fieri non posse, sed alius episcopus aliusque comes fieri debet.

60. Pipini capitulum quod est « Ut de restauratione ecclesiarum » (Pipin. 4) et « Placuit nobis de ecclesiis baptismalibus » (Pipin. 17) et Lodoyci capitulum quod est « De nonis et decimis considerandum est » (Lud. P. 30) aliudque Lotharii capitulum quod est « Precipimus etiam, ut singule plebes secundum antiquam consuetudinem fiant restaurate » (Loth. 20) et alia quam plura concordant capitula et huic etiam quod est « Et vobis episcopis, qui in omnibus nonas et decimas » (Karol. M. 61) concordant similiter.

62. Capitulum hoc retropositum Caroli capitulum quod est « Ut nulli liceat, clericum » (Karol. M. 6) corroborat, ut supra dictum est.

64. Capitulum hoc, dicens: « sed tales eligantur, quales lex iubet eligere », retropositum Caroli capitulum quod est « De advocatis vicariis vicedominis » (Karol. M. 22) corroborat.

quod aut ille qui crimen ingerit aut ille qui se defendere vult periurare se debeat, melius est, ut in campo cum fustibus pariter contendant quam periurium perpetrent (*Incertae originis*).

66 (67). Volumus etiam atque iubemus, ut comites et eorum iudices non dimittant testes habentes malam famam testimonium perhibere, sed tales eligantur qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses. Et primum per ipsos iudices inquirantur, et sicut ab illis rectius inquirere potuerint ita faciant, non voluntatibus malorum hominum assensum praebentes. Et ut ipsi comites vel eorum iudices, quos noverint causam de qua inter eos agitur compertam esse, sine blandimento ipsius qui causam habet faciant ad eandem causam venire, et per eorum inquisitionem fiat diffinita. Et iubemus, ut testimonia ab invicem separentur, sicut lex iubet: quia, si ita agunt, multi falsi testes possunt convinci, si ita interrogati fuerint separatim (*C.* 66—71 = *Capit. Pippin.*, *a.* 801 — 810, *c.* 12-17: *Legg. I*, 104. 105).

67 (68). Sed et hoc volumus, ut comites plenam iustitiam de latronibus faciant per eorum ministeria, et ut malefactores et fures non patiantur quietos residere, sed semper eos in quantum valent infestent.

68 (69). Ut ante vicarios nulla criminalis actio diffiniatur, nisi tantum leviores causae quae facile possint diiudicari. Et nullus in eorum iudicio aliquem in servicio hominem conquirat, sed per fideiussorem mittatur usque in presentiam comitis. Et ingenuos homines nulla placita faciant custodire, postquam illa tria custodierint placita quae instituta sunt, nisi forte contingant ut aliquis aliquem accuset: exceptis illis scabinis qui cum iudicibus residere debent.

---

66. Liuprandi lex quae est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8) dicens: « testes vero ipsi tales sint, ut eorum opinio in bonis precellat operibus » ab hoc capitulo roboratur dicente: « sed tales eligantur qui testimonium bonum habeant ». — § 2. Capitulum hoc, dicens: « et hoc iubemus, ut testimonia ab invicem separentur, sicut lex iubet », Caroli capitula retroposita (Karol. M. 21, 50) corroborat quae sunt « De periuriis ut caveantur » et « Ut testes ad testimonium », in quibus testes separatim discuti iubetur. — § 3. Eo quod in hoc capitulo legitur: « tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses », testes, priusquam eorum testimonium recipi debeat, a suis pagensibus laudari debere, non est dubium.

67. Capitulum hoc, comites per eorum ministeria de latronibus plenam iustitiam facere iubens, a Guidonis primo capitulo corroboratur, in quo comites atque episcopi iubentur uniri pro pace et salvatione omnium illorum, qui in suis honoribus habitant, ita ut nullum predonem raptorem permittant morari in suis sedibus.

68. Capitulum hoc a Lodoyci capitulo quod est « De placitis quidem » (Lud. P. 39) et a quodam Lotharii capitulo quod est « De vicariis et centenariis » (Loth. 61) corroboratur, in quibus, postquam ingenui homines tria custodierint placita, nullus ad placitum venire cogatur, nisi qui causam suam quaerit aut si alter ei querere debet, exceptis scabinis septem qui ad omnia placita esse debent. — § 2. Capitulum hoc non ideo dixit: « quae instituta sunt », ut in aliquo capitulo retro constituta essent, sed ideo dixit, quia rex verbis tantum illa constituerat observari.

69 (70). Volumus ut, sicut nos omnibus legem observamus, ita et omnes comites nobis legem observare faciant et plenam iustitiam in eorum ministeriis, quicquid ad nos pertinet, facere studeant.

70 (26). Iubemus enim, ut propter ullam districtionem quam nos facere iubemus pro quibuslibet causis servi non mittantur in districtionem, sed per missos nostros vel dominos eorum aut illorum advocatos ipsi servi distringantur, et ipsi sicut lex iubet rationem pro servis reddant, utrum culpabiles sint an non. Ipsi vero domini distringant et inquirant servos suos sicut ipsos amant.

71. Ut nemo pedicas in foresto dominico nec in quolibet loco tendere presumat. Et hoc si ingenuus perpetraverit, bannum dominicum solvat; si servus, dominus illius emendet sicut lex est.

72. De mancipiis quae venduntur, ut in presentia episcopi vel comitis sit aut in presentia archidiaconi et centenarii aut vicedomini aut iudicis comitis aut ante bene nota testimonia; et foras marcham nemo mancipia vendat. Et qui hoc fecerit, tantis vicibus bannum solvat quanta mancipia vendidit. Et si non habet pretium in wadia pro servo semetipsum comiti donet, usque dum ipsum bannum solvat (*Capit. Haristall. a.* 779, *forma comm. c.* 19: *Legg. I*, 38).

73. Ut nemo audeat in furto mancipia emere et in aliam regionem occulte ducere: ubi vero repertum fuerit, legali sententiae subiaceat (*C.* 73 — 75 = *Capit. Pippin. a.* 801 — 810, *c.* 18 *sub f.*, *c.* 20: *Legg. I*, 105).

---

70. Capitulum hoc, prohibens servos pro quibuslibet causis ab actoribus criminis in districtionem poni, legem Salicham (Lex Sal. em. tit. 42) rumpit, in hoc quod precipit, servum in scanno ab actoribus criminis flagellari. — § 2. Quod in hoc capitulo habetur: « quod nos facere iubemus », ita oportet intelligi: quam ego et Theodoricus rex facere iubemus, et associavit se Carolus Theodorico (cf. expos. § 2 ad Liutpr. 87), qui in lege Sallica servum supra scannum iussit verberari, acsi illud idem precepisset. — § 3. Capitulum hoc, dicens: « et ipsi domini sicut lex iubet rationem pro servis reddant », retropositum Caroli capitulum quod est « Nemini liceat dimittere servum suum » (Karol. M. 26) affirmans a subsequenti Caroli capitulo quod est « Ut servi aldiones libellarii antiqui » partim corroboratur, quia ibi legitur: « si vero de aliquo crimine accusatur, episcopus primo compelletur, et ipse per advocatum suum secundum quod lex est iuxta conditionem singularum personarum iustitiam faciat ».

71. « Ut nemo pedicas in foresto dominico aut in quolibet loco », subaudis dominico. — § 2. Quod in hac lege habetur: « si servus est, dominus illius emendet sicut lex est », ita oportet intellegi, scilicet ut servus verberetur, id est 60 ictus, ut in capitulo Caroli retro posito quod est « De latrone forbannito » (Karol. M. 47), vel alii dicunt: « sicut lex est » respexit retropositum capitulum Caroli quod est « Si quis super missum dominicum » (Karol. M. 21), in hoc quod dixit: « et si servus hoc fecerit, discipline corporali subiaceat ».

72. Capitulum hoc suprapositum Caroli capitulum quod est « Ut nemo presumat aliquem » (Karol. M. 16) rumpit, quia illic legitur: « ut nullus audeat aliquem hominem vendere aut comparare nisi in presentia comitum aut missorum », hic vero ante centenarium, archidiaconum et ante alios quam plures hunc vendi atque emi permittitur.

73. Quod in hoc capitulo habetur: « legali sententiae subiaceat » ad hoc quod suprapositum capitulum (Karol. M. 72) est referendum, scilicet ut tantis vicibus bannum solvat, quanta mancipia vendiderit.

74. Ut nemo furem camphium de mancipiis aut de qualibet causa recipere presumat, sicut saepius domnus imperator commendavit.

75. Ut mancipia adventicia et fugitiva nullus recipere praesumat.

76. De omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per 12 denarios solidi solvantur per totam Salicham legem; excepto leudem, si Saxo aut Frixo Salichum occiderit, per 40 denarios solidi solvantur. Infra Salichos vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, per 12 denarios solidi solvantur, sive de homicidiis sive de omnibus rebus (*C.* 76. 77 = *Capit. Hludow. Pii a.* 816, *c.* 2. 3: *Legg. I*, 196).

77. De mannire vero, nisi de ingenuitate aut de hereditate, non sit opus observandum; de ceteris vero rebus per districtionem comitis ad malum veniant et iuste examinentur ad iustitiam faciendam. Comites vero non semper pauperes per placita opprimant.

78. Si quis Longobardus statum humanae fragilitatis praecogitans pro salute animae suae de rebus suis voluerit iudicare vel cartulam donationis cuilibet facere, non, sicut hactenus fieri solebat, ius sibi vendendi donandi commutandi et per aliam cartam easdem res alienandi reservet potestatem, sed absolute faciat unusquisque de rebus

---

74. Quod in hoc capitulo scriptum est: « sicut sepius domnus imperator commendavit » ita intelligendum est, scilicet ut verbis tantum non lege commendasset.

76. Capitulum hoc a Lodoyci capitulo partim rumpitur, quod est « Ut omnis solutio atque compositio » (Lud. P. 2), quia illic legitur, ut omnis compositio, quam Saxo aut Frixo ad partem Salicham facere debet, per 40 denariorum solidos persolvatur, hic vero legitur, ut illa tantum compositio, quam Saxo aut Frixo ad partem publicam facere debet pro homicidio, per 40 denariorum solidos persolvatur. — § 2. Notandum est quoque, hoc capitulum tantum esse Salichum.

77. Hoc capitulum retropositum Caroli capitulum quod est « Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit » (Karol. M. 27), ut retro dictum est, rumpit, et a quodam Lodoyci capitulo quod est « Si quis de statu suo » (Lud. P. 17), dicentis: « iuxta legis constitutionem manniatur », corroboratur. — § 2. Dicitur quoque, hoc capitulum tantum esse Salichum.

78. Capitulum istud Rotharis leges (Roth. 173, 174) que sunt « Si quis res suas alii thingaverit » et « Nulli liceat donatori » partim rumpit, ut retro dictum est. — § 2. Capitulum hoc, dicens: « non sicut actenus fieri solebat ius vendendi donandi commutandi et per aliam cartam alienandi reservet potestatem », a Lotharii capitulo quod est « Volumus ut res que a liberis » (Loth. 17) partim rumpitur, in hoc quod ibi legitur: « liceat sibi usufructum et ordinationem earundem rerum et si aliter sibi placuerit reservare ». Sed ita salvatur, scilicet quod dicitur, capitulum istud de corporali traditione locutum esse, illud vero de incorporali putandum est; et quod hoc capitulum de corporali tantum sit locutum, videri potest iuxta hoc capitulum quod subsequitur; quia in hoc quod dicit: « ita tamen, si usufructum habere voluerit, per precariam res traditas usque ad tempus diffinitum possidendi sit concessa facultas » datur intelligi, donatorem de rebus traditis possessionem a se ante abstulisse. — § 3. Notandum est quoque, quod hoc capitulum ab antiquis dicebatur tantum esse Longobardum: sed male dicebant, quia, licet Longobardum tantum habeat initium, finem tamen, dicendo: « sed absolute faciat unusquisque de rebus suis quod velit », constituit generalem, ut mos est legum quamplurium, scilicet ut ab uno incipiant et in pluribus desinant veluti Lotharii capitulo quod est « De precariis quoque » (Loth. 21) quod, licet incipiat a precariis tantum, tamen de quibuslibet rebus ecclesie postea loquitur. — § 4. Quod in hac lege habetur: « sed absolute — id est absque ulla retentione — faciat unusquisque de rebus suis quod velit », secundum legem intelligendum est.

suis quod velit, et noscat sibi ex nostra auctoritate penitus interdictum, duas de eadem re facere donationes; sed postquam unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem: ita tamen, ut, usufructum si voluerit habere, per precariam res traditas usque in tempus diffinitum possidendi sit concessa facultas (*C.* 78 — 82 = *Capit. in leg. Langob. addit. a.* 801, *c.* 1-3. 5. 6: *Legg. I*, 83. 84).

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Ecce carta quam michi fecit Dominicus. — Et ecce carta quam michi fecit Dominicus. — Ipse qui habet posteriorem cartam, dicat priorem falsam.

79 (80). Si quislibet contempta iussione nostra, ceteris in exercitum pergentibus, domi residere praesumpserit, plenum eribannum secundum legem Francorum id est 60 solidos sciat se debere componere. Similiter pro contemptu singulorum capitulorum, quibus per nostram regiam auctoritatem bannum promulgavimus, id est qui pacem ecclesiarum Dei viduarum orphanorum pupillorum ac minus potentium ruperit vel raptum infra patriam fecerit aut incendium alienae domus vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, 60 solidorum pena multetur.

80 (81). Si quis adeo contumax aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque iussu vel licentia regis domum revertatur, et quod nos teudisca lingua dicimus eriliz fecerit, ipse ut reus maiestatis vitae periculum incurrat, et res eius fisco nostro socientur.

81 (82). Si quis alterum praesumptive sua sponte castraverit et ei ambos testiculos amputaverit, integrum widrigild suum iuxta conditionem personae componat; si virgam absciderit, similiter; si unum testiculum, medietatem persolvat. Hoc de oculis manibus et pedibus vel de lingua sanctimus, ut, si unus horum abscisus fuerit, medietatem widrigild, si ambo, integritatem perfecta emendatione componere cogatur.

---

79. **Capitulum istud, dicens de exercitali, nullum clericum pro qualibet culpa bannum componere evidenter insinuat; quod et aliter patet, quia bannum a solis publicis ministris exigitur, clericus vero de culpis solius episcopi est corrigendus sententia (Cf. Karol. M. 134). — § 2. Capitulum istud, dicens de libero, servum a banno secludit. — § 3. Superius capitulum quod est « Quicumque liber homo in hoste » (Karol. M. 34) partim ab hoc videtur affirmari capitulo.**

81. **Ab hoc capitulo Rotharis lex quae est « Si quis homini libero unum oculum habenti ipsum excusserit » (Roth. 378) partim rumpitur, et, ut retro dictum est, capitulum hoc tres parvulas leges (Roth. 48, 49, 68) Rotharis quae sunt « Si quis alii oculum excusserit » et « Si quis alii manum absciderit » « Si quis alii pedem excusserit », ut retro dictum est, corroborat.**

82 (83). Aldiones vel aldianae ea lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum, qua fiscalini vel lidi vivunt in Francia.

83 (84). De vindicta et iudicio, facto in latronibus, testimonio episcoporum absque peccato comites facere possunt, ita tamen ut absque invidia aut alia occasione mala; et nichil aliud interponatur, nisi veram iustitiam ad perficiendam et pacem confirmandam (*C.* 83. 84 = *Cap. Harist. a.* 779. *form. gloss. c.* 12: *Legg. I*, 38).

Petre comes, te appellat Martinus, quod tu taliasti sibi manum per invidiam, non per iustitiam.

84 (85. 86). Si quis latro de uno furto probatus fuerit, unum oculum perdat, et si de duobus furtis probatus fuerit, nasus ei capelletur, et si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur. Et de his duobus furtis, unde oculum et nasum perdere debet, constituimus, ut dominus servi illius secundum legem cui furta facta sunt solvere debeat; de tertio vero furto, unde mori debet, mors illius furta illa excludat. Et si comes sine culpa per invidiam aut occasionem iniustam, nisi per iustitiam et pacem faciendam, hominem diffecerit, honorem suum perdat et legibus ei contra quem iniuste fecerit secundum poenam quam intulit emendet.

85 (87). Si quis latronem morte dignum sibi ad occidendum traditum reservaverit et vitam indigno concesserit, medietatem damni propter quod traditus est pro latrone componat: et isdem latro si rursus in latrocinio comprehensus fuerit, quod prius debuerat, capitali sententia debitum exsolvat (*C.* 85 — 87 = *Capit. in leg. Langob. add. a.* 801, *c.* 4. 7. 8: *Legg. I*, 84).

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu conservasti unum latronem qui habebat furata tanta mobilia quae valebant solidos 100, qui tibi erat traditus ad occidendum, et vitam indigno concessisti.

86 (88). Si quis furem vel latronem comprehenderit et eum indemnem dimiserit neque illum ad praesentiam iudicis ducis aut comitis vel loci servatoris qui missus comitis est adduxerit, et de hoc facto sive de hac nequitia post haec in praesentia iudicum convictus fuerit, ipse damni aestimationem pro qua fur vel latro comprehensus est componere cogatur.

---

83. Capitulum hoc, latronum vindictam commemorans, capitulum Caroli quod est « De latronibus ita precipimus » (Karol. M. 44) confirmat.

84. Retropositum Caroli capitulum quod est « De latronibus ita precipimus » (Karol. M. 44) ab hoc confirmatur. — § 2. Quod in hoc capitulo habetur: « mors illius furta illa excludat », de servo tantum dictum esse non dubium est; sed si liber homo furtum fecerit tertium et exinde ad mortem iudicatus fuerit, queritur, quid inde fieri debeat?

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu comprehendisti unum latronem qui habebat furata tanta mobilia, quae valebant solidos 100, et non minasti eum ante comitem.

87 (89). Ubicumque intra Italiam sive regius sive ecclesiasticus vel cuiuslibet alterius servus fugitivus fuerit, a domino suo sine ulla annorum praescriptione vendicetur, ea tamen ratione, si dominus Francus sive Alamannus aut alterius cuiuslibet nationis sit; si vero Longobardus aut Romanus fuerit, ea lege servos suos adquirat vel amittat, quae inter eos antiquitus est constituta.

88 (90). Ut iudices sive missi nostri fiscalini de qualibet causa freda non exigant, priusquam facinus componatur (*Lex Ribuaria tit.* 89 *inscriptio*: *cf. Legg. I, p.* 86, *c.* 24).

89 (91). Omnia debita quae ad partem regis solvi debent per 12 denarios solidus solvatur, excepta freda quae in lege Salicha scripta est eisdem solidis quibus ceterae compositiones solvi debent componantur (*C.* 89. 90 = *Capit. in leg. add. a.* 803, *c.* 9. 10: *Legg. I,* 114).

90 (92). Si quis causam iudicatam repetere in mallo praesumpserit ibique a testibus convictus fuerit, aut 15 solidos componat aut 15 ictus accipiat a scabinis qui causam ipsam prius iudicaverint.

91 (93). De his qui legem servare contempserint, ut per fideiussorem in praesentia regis deducantur (*Capitul. missor. a.* 803, *c.* 4: *Legg. I,* 115).

92 (94). Qui filium non habuerit et alium quemlibet heredem sibi

---

87. Quod in hac lege habetur: « si vero Longobardus aut Romanus fuerit, ea lege servos suos conquirat vel ammittat que inter eos antiquitus est instituta », ita est intelligendum: scilicet ut, si dominus Longobardus fuerit, per possessionem 30 annorum servum acquirat vel amittat, ut in edicto legitur, veluti in Grimoaldo (Grim. 1, 2) ; si vero Romanus fuerit, per possessionem 10 annorum inter presentes et inter absentes 20 annorum servum acquirat vel amittat, ut legitur in Romana lege (Cf. Inst. II, 6, pr.). Unde hoc capitulum partim rumpitur a Lodoyci capitulo quod est « Placuit nobis de illis hominibus qui se liberos per 30 annos » (Lud. P. 55), quia, licet servus alicuius Longobardi per 30 annorum possessionem in libertate dixerit se mansisse, tamen non erit liber, nisi de ingenuo patre et matre natus sit et cartam libertatis ostendat, et ita dominus per possessionem 30 annorum servum non amitteret, ut hoc capitulum precipit.

88. Hoc capitulum a subsequenti Caroli capitulo quod est « Hoc quoque iubemus, ut iudices supra nominati » (Karol. M. 125) corroboratur, quia illic legitur: « ut neque iudices neque fiscalini de qualibet causa fredum — id est bannum — non exigat, priusquam facinus componatur » et hic similiter.

92. Capitulum hoc, dicens: « Qui filium non habuerit et alium quemlibet heredem », declarat, quemlibet filium habentem non posse sibi alium quemlibet heredem facere. Unde rumpit Romanam legem, iuxta quam tam ille qui filium habet, quam qui non habet, alium sibi heredem instituere potest, servata tamen filio Falcidia. — § 2. Quod in hoc capitulo habetur: « coram rege vel coram comite », secundum quosdam cum hac differentia oportet intelligi, scilicet, ut qui heredes instituuntur tunc tantum instituantur coram rege, quando ipse qui heres instituitur erat sui iuris id est in potestate sua. Coram comite vero tunc tantum instituantur heredes, quando qui heres instituitur erat in patris seu avi aut alicuius potestate (Cf. Inst. I, 11, 1).

facere voluerit, coram rege vel coram comite et scabino vel misso dominico, qui tunc ad iustitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat (*Capitul. in leg. Rib. a.* 803, *c.* 9: *Legg. I*, 118).

93 (37). Omnis controversia coram centenario diffiniri potest excepta redditione terrae et mancipiorum, quae nonnisi coram comite diffiniri potest (*Incertae originis: cf. Legg. I*, 215, c. 11).

94 (95). Ut decima populi dividatur in quattuor partes: prima pars episcopo, alia presbiteris, tercia pauperibus, quarta in fabrica aecclesiae (*Incertae originis*: *cf. Legg. I*, 78, *c.* 13).

95 (96). Ut nullus presbiter cartam scribat neque conductor existat suis senioribus (*Incertae originis*: *cf. Ansegis. I*, *c.* 152).

96 (97). Ut aribannum aut aliquod coniectum pro exercitali causa comes de liberis hominibus recipere aut requirere non praesumat; excepto de palatio nostro aut filii nostri missi veniant qui illum aribannum requirant (*Capit. incerti anni*, *sed ante a.* 810, *c.* 13: *Legg. I*, 151).

97 (98). Ut illi qui aribannum solvere debent coniectum faciant ad aribannitorem (*Capitul. missor. a.* 803, *c.* 5: *Legg. I*, 115).

98 (99). Volumus primo, ut neque abbates aut presbiteri neque diaconi aut subdiaconi, neque quislibet de clero de personis suis ad publica vel secularia iudicia trahantur vel distringantur, sed a suis episcopis iudicati iustitiam faciant. Si autem de possessionibus suis seu aecclesiasticis sive propriis super eos clamor ad iudicem venerit, mittat iudex clamantem cum misso suo ad episcopum, ut faciat ei per advocatum iustitiam recipere. Si vero talis aliqua inter eos orta fuerit contentio, quam per se pacificare non velint aut non possint, tunc per advocatum episcopi, qualem iusserit, ipsa causa ante comitem veniat vel iudicem et ibi secundum legem finiatur, anteposito

---

93. Retro positum Caroli capitulum quod est « Ut nullus homo in placito centenarii » (Karol. M. 35) ab hoc rumpitur et salvatur capitulo.

98. Capitulum hoc abbates, presbyteros, diaconos aut quemlibet de clero de personis suis, id est de actionibus in personis, coram quolibet nisi coram suis episcopis prohibens trahi vel distringi, a Lotharii capitulo quod est « Volumus ut episcopi, abbates, abbatisse suos advocatos habeant » (Loth. 7) partim rumpitur, in quo episcopi, abbates, abbatisse coram suo comite distringi iubentur, nulla differentia interposita, undecumque sint interpellati. Sed secundum Ugonem ita salvatur, scilicet ut ipsum capitulum secundum huius capituli determinationem intelligatur iussisse, quia nisi intelligeretur id iussisse iuxta huius capituli determinationem, tunc ipsi « plenam iustitiam coram comite » nequirent facere, immo contra legem, id est contra hoc capitulum facere. — § 2. Quod in hoc capitulo habetur: « si autem de possessionibus suis, seu ecclesiasticis sive propriis », ita oportet intelligi, scilicet sive ille possessiones sint ecclesiastice, sive sue proprie. — § 3. Capitulum hoc, dicens: « tunc per advocatum episcopi, qualem iussit lex », retroposita Caroli capitula (Karol. M. 22, 64) que sunt « De advocatis vicedominis vicariis » « Volumus ut advocati in presentia comitum eligantur » respexisse non dubium est.

ut dictum est de persona clericorum (*C.* 98. 99 = *Capit. Mantuanum secund. a.* 787? *c.* 1. 5: *Legg. I* 110, 111).

99 (100). Ut servi, aldiones, libellarii antiqui vel illi noviter facti, qui non per fraudem neque pro malo ingenio de publico servitio se subtrahentes sed per solam paupertatem et necessitatem terram ecclesiasticam colunt vel colendam suscipiunt, non a comite vel aliquo ministro illius ad nullam angariam seu servitium publicum vel privatum cogantur vel compellantur: sed quicquid ab eis iuste agendum est, a patrono vel domino suo ordinandum est. Si vero de aliquo crimine accusantur, episcopus primo compelletur, et ipse per advocatum suum, secundum quod lex est, iuxta conditionem singularum personarum iustitiam faciat. Si vero culpabiles fuerint, sicut in capitulare domni imperatoris scriptum est, ita fiat. Ceteri vero homines liberi, qui vel commendationem vel beneficium ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines iustitiam faciant.

100 (101). Qui subdiaconum occiderit, 300 solidos componat; qui diaconum, 400 solidos componat; qui presbiterum, 600 solidos componat; qui episcopum, 900 solidos componat; qui monachum, 400 solidos componat (*C.* 100 — 107 = *Capp. in lege addend. a.* 803, *c.* 1 — 8: *Legg. I*, 113. 114).

101 (102). Si quis in emunitate dannum aliquod fecerit, 600 solidos

---

99. Quod in hoc capitulo habetur: « ad ullam angariam seu servitium publicum vel privatum » ita est exponendum, scilicet sive ipsa angaria sit servitium publicum vel privatum. — § 2. Capitulum hoc, dicens: « secundum quod lex est », retropositum Caroli capitulum « Iubemus enim ut propter ullam distrinctionem » (Karol. M. 70) respexit. Item quod subscriptum est: « sicut in capitulare domni nostri imperatoris scriptum est, ita faciat » ad suprapositum Caroli capitulum quod est « Nemini liceat dimittere servum suum » (Karol. M. 26) referendum est. — § 3. Capitulum hoc, dicens: « sed quicquid ab eis iuste agendum est a patrono vel domno suo agendum est », a Lotharii capitulo quod est « De liberis hominibus qui super alterius terram resident » (Loth. 85), dicente: « constituimus, ut secundum legem patroni eorum eos ad placitum ducant », partim confirmatur. — § 4. Iuxta hoc quod dicit: « Ceteri vero homines liberi, qui vel commendationem » et cetera, ita est intelligendum de libellariis quemadmodum de aliis.

100. « Qui subdiaconum occiderit » et haec quattuor capitula subsequentia in lege Salicha prius fuere composita, sed Carolus, volens ea esse generalia, hic apposuit, quod, quia postea displicuit, pro lege Salicha ea tantum tenenda constituit, quod videri potest iuxta capitulum quod est « Generaliter omnes homines admonemus, ut capitula, que preterito anno legi Salice » (Karol. M. 139); sed hodie nec in lege Salica nec alia, quod potest videri iuxta Lodoyci capitulum, quod est « Ut omnis ordo ecclesiarum secundum legem Romanam vivat » (Lud. P. 53). Rumpuntur et a Caroli capitulo quod est « De episcopis et sacerdotibus occisis, sicut constitutum habemus » (Karol. M. 142), eo quod ibi legitur: « verumtamen de presbiteris videtur nobis, ut, si liber natus fuerit, per triplam compositionem secundum suam legem fiat compositus »; sed, ut alii dicunt, non est ruptura, inmo addicio.

101. Capitulum hoc, dicens: « 600 solidos componat », Rotharis leges (Roth. 35, 15, 8) quae sunt « Si quis scandalum in ecclesia perpetraverit », « Si quis sepulturam hominis mortui », « Si quis in concilio vel in quolibet conventu » atque Liuprandi legem quae est « Si cuiuscumque servus aut ancilla, aldius vel aldia » (Liutpr. 142) partim rumpit, sed qualiter rumpantur et salventur

componat. Si autem homo furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris commiserit et infra emunitatem fugerit, mandet comes episcopo vel abbati vel vicedomino vel quicumque locum episcopi vel abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit et reddere noluerit, in prima contradictione solidos 15 culpabilis iudicetur; 'si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, solidos 30 culpabilis iudicetur; si nec ad tertiam inquisitionem consentire noluerit, quicquid reus damni fecerit, totum ille qui eum infra emunitatem retinet nec reddere vult solvere cogatur, et ipse comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra emunitatem quaerendi, ubicumque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione comiti responsum fuerit, quod reus infra emunitatem quidem fuisset sed fuga lapsus est, sic statim iuret, quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet diffaciendam fugere non fecisset, et sit ei in hoc satisfactum. Si autem intraverit in ipsam emunitatem comes, et collecta manu quislibet resistere temptaverit, comes hoc ad regem vel ad principem deferat, ibique iudicetur, ut, sicut ille qui in emunitate dannum fe-

---

retro dictum est. — § 2. Retropositum Caroli capitulum quod est « Ut latrones de infra emunitate » (Karol. M. 9) ab hoc capitulo partim rumpitur, quia, si homo extra emunitatem dampnum fecerit et infra emunitatem fugerit, non per ipsum capitulum, sed per istud compositio et sacramentum adveniet; sed ita salvatur ut retro est. — § 3. Ut quidam dicunt, dampnum, quod hic habetur, ubi dicit: « Si quis in emunitate dampnum aliquod fecerit ». et pro homicidio est intelligendum, et dant tale argumentum: quia capitulum hoc, dicens: « si homo furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris commiserit » et postea dicens: « si post tertiam contestationem reddere noluerit, quicquid reus dampnum fecerit, totum ille qui eum infra emunitatem retinuit solvere cogatur », et hic posuit « dampnum » pro rebus superius dictis, id est pro homicidio et furto et ceteris. Et hac de causa dicebant, superius dampnum et pro homicidio positum esse. Sed male intelligunt hoc dampnum atque superius positum, quia dampnum est amissio nostre rei sine alterius compensatione, ut in Digestis (?) legitur. Sed liber homo non est nostra res, et idcirco videre possumus, capitulum hoc nullatenus dampnum pro homicidio posuisse. Sed capitulum dicens: « Si quis homo furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris committens » generaliter incepit et finitur specialiter, veluti Rotharis lex que est « Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium » (Roth. 343). Etiamsi dampnum superius positum intelligeretur pro homicidio, iam hoc capitulum a Lotharii capitulo (Loth. 58) partim ruptum esset, quia ibi legitur, ut ille qui hominem in ecclesia interfecerit de vita componat, nulla posita differentia, utrum ecclesia sit emunitas vel non; hic vero legitur, ut 600 solidos componat. — § 4. Si aliquis homo super aliquem venerit et eum interfecerit et infra emunitatem fugierit, et episcopus vel abbas vel qui locum episcopi vel abbatis tenuerit post tertiam contestationem reddere noluerit, queritur, utrum ipse debeat perdere omnem substantiam suam sicut ipse qui occidit? Non; sed tantum quantam ipse habebat. Queritur etiam, si ipse qui intra emunitatem fugierit tale crimen commiserit, unde mori deberet, et episcopus vel abbas vel qui locum episcopi vel abbatis tenuerit post tertiam contestationem reddere noluerit, utrum ipse mori debeat veluti ille qui crimen commisit? Non; quia hic dicitur: « solvere cogatur », sed si moreretur, nulla esset solutio, neque occidi solutionem esse dicimus. — § 5. Et si comes ante tertiam inquisitionem ingressus fuerit emunitatem, et episcopus ei restiterit, et dampnum ibi factum fuerit, debebit comes sexcentos solidos solvere, ita quia non est ei concessum ingredi, nisi post tertiam inquisitionem. — § 6. Eo quod hic legitur: « mandet comes episcopo vel abbati vel vicedomino vel ei quicumque locum episcopi vel abbatis tenuerit, ut reddat ei reum », notandum est, non aliam ecclesiam habere emunitatem preter episcopalem et abbaziam.

cerit 600 solidos componere debet, ita qui comiti collecta manu resistere praesumpserit 600 solidos culpabilis iudicetur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti damnum in emunitate sancti Syri, unde ipse est advocatus.

Petre, te appellat Martinus comes, quod unus latro fugerat infra emunitatem sancti Syri, unde tu es advocatus, et mandavit tibi, ut redderes ei eum, et reddere noluisti et contradixisti semel aut bis.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu prolongasti reddere post tertiam contestationem ad comitem tuum unum latronem qui fugerat in emunitatem sancti Syri, unde tu es advocatus, qui fecerat tantum damnum quod valuit 20 solidos.

Petre, te appellat Martinus advocatus de parte publica, quod unus latro fugerat infra emunitatem sancti Syri, unde tu es advocatus, et comes venit et voluit quaerere eum in emunitate, et tu venisti contra eum cum collecta manu.

102 (103). Si quis ad ecclesiam confugium fecerit, intra atrium ipsius ecclesiae pacem habeat, nec sit ei necesse in aecclesiam ingredi. Et nullus eum inde per vim abstrahere praesumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, et inde per manus bonorum hominum in discussionem in publicum perducatur.

103 (104). Si quis hominem in iudicium iniuste contra alium altercantem per malum ingenium presumpserit adiuvare, atque inde coram iudicibus vel comite increpatus fuerit et negare non potuerit, 15 solidos culpabilis iudicetur.

104 (105). Si quis de libertate sua fuerit interpellatus et timens, ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem in servitium se casurum timens, occiderit, id est patrem aut matrem, patruelem aut avunculum vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetraverit moriatur: agnatio eius et consanguinitas in servitutem cadat. Et si negaverit ipsum occidisse, ad novem vomeres ignitos ad iudicium Dei examinandum accedat.

---

102. Capitulum hoc, dicens: « et nullus eum per vim inde abstrahere non presumat », retropositum Caroli capitulum quod est « Ut homicide et ceteri rei qui legibus mori debent » (Karol. M. 8) partim affirmat, quia ibi legitur: « si ad ecclesiam confugerit, non excutiantur ».

104. Hic homo, de quo hoc loquitur capitulum, a quam pluribus in veritate esse servus dicitur: quia, nisi in veritate esset servus, ut eius causa agnatio eius et consanguinitas in servitutem caderet, iniquum esset.

105 (106). Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis. Et quae in hoste factae sunt hactenus traditiones, de quibus nulla est questio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit et in hoste profectus fuerit, et ille cui res traditae sunt, interim mortuus fuerit, qui res suas tradidit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est res suas recipiat. Si autem ipse mortuus fuerit, heredes eius legitimi ipsam rem traditam recipiant.

106 (107). Si quis per cartam ingenuitatis a domino suo legitimam libertatem consecutus fuerit, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniuste inservire temptaverit, et ille cartam ingenuitatis suae ostenderit et adversarium iniuste eum inservire velle conprobaverit, ille qui eum inservire temptaverit mulctam quae in ipsa carta descripta est solvere cogatur. Si autem carta non apparuerit, sed iam ab illo qui eum inservire voluerit, diffacta est, widrigild eius componat: duas partes illi quem inservire voluerit; tertiam regi. Et ille iterum per praeceptum regis libertatem suam conquirat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es servus suus, et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum per cartam quam tu michi fecisti; ecce carta. — Quae si vocata fuerit falsa, sit, ut paene dicturus sum, declarare facienda scilicet, praeter rerum amissionem et praeter parentes. — Si vero visa carta de eius statu tacuerit, mulcta cartulae ab eo solvatur, ut legitur in lege. Si dixerit appellatus: « tu habes diffactam ipsam cartulam », probet; et diffactor widrigild suum componat ei. Et si non potuerit probare, ipse iuret per usum, quod non habet diffactam, et ipse sit servus.

---

105. In hoc capitulo hec litteratura est ambigua. Quidam enim dicunt: « domui traditionem faciant », alii vero « domi » legendum esse. Et per « domui » ecclesiam quamlibet secundum quosdam accipere debemus, secundum vero alios maiorem tantum ecclesiam per « domui » convenit intelligi. — § 2. Notandum est quoque, quod ab hac littera que est « Si vero aliquis res suas tradiderit » inantea secundum Ugonem duplex est notanda materia (Cf. Mon. Germ. hist. Legg. IV, 507, not. 61).

106. Capitulum hoc dicens: « Qui per cartam ingenuitatis a domino suo legitimam libertatem fuerit consecutus, liber permaneat », dicens etiam: « mulcta que in ipsa carta est descripta solvere cogatur », a Lodoyci capitulo quod est « Si quis per cartam ingenuus dimissus fuerit » (Lud. P. 5) affirmatur, dicente: « et in sua libertate perseveret » et « mulctam, que in ipsa ingenuitatis carta continetur, exsolvere cogatur ». — § 2. Capitulum hoc precipit, si ab illo qui eum inservire voluerit carta diffacta est, widrigild eius componat. Sed per hoc exemplum intelligendum est de omni alia carta abscentata, ut ille qui eam abscentaverit emendet omnes res, quas carta ipsa continebat. — § 3. Eo quod in hoc capitulo legitur: « mulctam que in ipsa carta dicta est solvere cogatur », dicebatur a quibusdam, hoc capitulum tantum esse Salichum, cum in nulla carta libertatis preter Salicham multa hodie ponatur (Cf. Cartular. 14). Sed male dicebant, quia tunc temporis, quando hoc capitulum factum fuit, in qualibet carta libertatis multa ponebatur, nulla lege adhuc prohibente, quin apponi debeat in omni carta.

Si dixerit: « tu tulisti michi ipsam cartulam malo ordine », fiat pugna secundum usum. Si dixerit: « tu tulisti michi ad furtum aut ad scachum, aut ego deposui tibi ipsam cartulam », fiat pugna secundum capitula Ottonis (Ott. I, 4. 6). *Si dixerit: « ipsa carta fuit apud te; si est salva, per te est salva, si est absentata, per te est absentata », probet. Si non potuerit, ipse iuret per usum. Si carta est apud eum absentata, debent adesse tres homines liberi, qui dicant se vidisse eam cartam, et ipse cuius fuit sit quartus, et octo alii liberi (et hoc fit per usum), et hoc iureiurando affirment. Et ita de omnibus cartis.*

107 (108). Liber qui se loco wadiae in alterius potestatem commiserit, ibique contigerit, ut damnum aliquod cuilibet fecerit, ille qui eum in loco wadiae suscepit aut damnum solvat aut hominem in mallo productum dimittat, perdens simul debitum propter quod eum in wadia suscepit. Et qui damnum fecit, dimissus iuxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam feminam et filios habuerit, usque dum in pignus astiterit, liberi permaneant.

108 (110). De fugitivis ac peregrinis ut distringantur, ut scire possimus qui sint aut unde venerint (*C.* 108 — 115 = *Capit. missorum a.* 803, *c.* 6. 8. 11. 12. 15. 17. 20. 22: *Legg. I*, 115).

109 (111). De mensuris ut secundum iussionem nostram aequales fiant.

110 (112). Ut nullus praesumat hominem ad iudicium mittere, nisi iudicatum fiat.

111 (113). Ut liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, et res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.

112 (114). Ut nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere nec testimonium dicere; nec comes placitum habeat nisi ieiunus.

113 (115). Ut missis nostris discurrentibus vel ceteris hominibus propter utilitatem nostram iter agentibus nullus mansionem contradicere praesumat.

114 (116). Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam

---

112. Capitulum hoc, dicens: « nec comes placitum habeat, nisi ieiunus », retropositum Caroli capitulum quod est « Ut iudices ieiuni causas audiant » (Karol. M. 41) affirmat.

113. Capitulum hoc, dicens: « nullus mansionem contradicere presumat », a Pipini capitulo quod est « De episcopis abbatibus comitibus seu vassis dominicis » (Pipin. 15) partim rumpitur partimque affirmatur [in hoc quod dicit] « et quando hibernum fuerit, nullus debeat mansionem vetare ad ipsos iterantes », per quod datur intelligi, in aestate vetari posse.

114. « Ut nullus ad placitum » subaudis « cotidianum ». — § 2. Capitulum hoc retroposita Ca-

quaerit aut si alter ei quaerere debet, exceptis scabinis septem qui ad omnia placita esse debent.

115 (117). Ut nullus praesumat per vitam regis vel filiorum eius iurare.

116 (118). Ut causa quae adhuc coram comite non fuit, et is qui se reclamat propter suam stultitiam aut contumaciam comitem inde appellare noluerit, iterum comiti commendetur (*Capit. missorum Hludow. P. a.* 817, *c.* 25 *i. f.*: *Legg. I*, 218).

117 (119). Quicumque beneficium occasione proprii desertum habuerit et intra annum postquam ei a comite vel misso nostro notum factum fuerit illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat (*Capit. per se scrib. Hludow. P. a.* 817, *c.* 3: *Legg. I*, 214).

118 (120). Ut placita publica vel secularia neque a comite neque ab ullo ministro suo vel iudice nee in ecclesia, nec in terris ecclesiae circumiacentibus vel cohaerentibus nullatenus teneatur (*C.* 118. 119 = *Capit. Mantuan. secund. a.* 787? *c.* 4. 6: *Legg. I*, 111).

119 (121). Audivimus etiam, quod iuniores comitum vel aliqui ministri rei publicae sive etiam nonnulli fortiores vassi comitum aliquas redibitiones vel collectiones, quidam per pastum quidam etiam sine pasto quasi deprecando a populo exigere solent; similiter quoque operas collectiones frugum arare seminare runcare caricare vel cetera his similia a populo per easdem vel alias machinationes exigere consueverunt, non tantum ab ecclesiasticis sed etiam a reliquo populo. Quae omnia nobis ab omni populo iuste amovenda esse videntur: quia in quibusdam locis in tantum inde populus oppressus est, ut multi ferre non valentes per fugam a dominis vel patronis suis lapsi sunt, et terrae ipsae in solitudinem redactae sunt. Potentioribus autem vel ditioribus, ex spontanea tamen voluntate vel mutua dilectione volentibus solatia praestare invicem, minime prohibemus.

120 (122). De liberis hominibus qui ad servitium Dei se tradere

---

roli capitula (Karol. M. 22, 49) que sunt « De vicariis vicedominis » « Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum » partim corroborat; corroboratur a Lodoyci capitulo (Lud. P. 39) quod est « De placitis quidem que liberi homines observari debent », in hoc quod dicit: « ad cetera vero placita que centenarii tenent » et cetera; corroboratur etiam a Lotharii capitulo quod est « De vicariis et centenariis » (Loth. 61).

118. Hoc capitulum in parte ruptum est et affirmatum a Lodoici capitulo quod est « Ibi sacramenta iuranda sunt » (Lud. P. 19), quia ibi legitur: « mallus tamen neque in ecclesia neque in atrio habeatur, minora vero placita comes, ubi impetrare potuerit, habeat ».

120. Capitulum hoc, dicens: « ut prius non faciant hoc, quam a nobis licentiam postulent », nulla posita differentia, utrum sint coniugati vel non, a capitulo Lotharii quod est « Nulli liceat excepta causa fornicationis » (Loth. 95) partim rumpitur, quia illic legitur, ut consensu episcopi vir et uxor monachi efficiantur.

volunt, ut prius hoc non faciant quam a nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis hoc fecisse quam pro exercitu seu alia functione regali fugienda, quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscunt circumventos audivimus; et hoc ideo fieri prohibemus (*Capit. Theodonisv. gener. a.* 805, *c.* 15: *Legg. I*, 134).

121 (123). Si quis praepositus aut ministerialis aliquas res ecclesiae quas praevidere debet per aliquem scriptionis titulum cuiquam concesserit quod ad damnum ipsius ecclesiae pertineat, pro sacrilegio conputetur. Similiter et de rebus quae ad rem publicam pertinent, si comes aut ministerialis rei publicae cuiquam concesserit, pro infidelitate conputetur (*Incertae originis*).

122 (124). De disponsatis puellis et postea ab aliis raptis placuit erui et eis reddi, quibus antea fuerant disponsatae, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est a sacro conventu ut raptor publica poenitentia multetur. Raptam vero si sponsus recipere noluerit, et ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia ei nubendi alii non negetur. Quodsi ipsa consenserit, simili sententiae subiaceat. Quodsi post haec se iungere presumpserint, uterque anathematizentur (*C.* 122. 123 = *Capit. eccles. Hludow. P. a.* 817, *c.* 24. 21: *Legg. I*, 208).

123 (*Loth.* 68). De feminis quae viros amittunt placet nobis, ne se sicut hactenus indiscrete velent, sed ut 30 dies post decessum viri sui expectent, et post tricesimum diem per consilium episcopi sui vel, si episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum religiosorum sacerdotum suorumque parentum atque amicorum id quod eligere debent eligant.

124 (126). Ut omnia quae wadiari debent iuxta quod in lege continetur, pleniter secundum ipsam legem wadiata fiant, et postmodum vel domnus rex vel ille cuius causa est iuxta quod ei placuerit misericorditer faciat (*Capit. missor. a.* 803, *c.* 13: *Legg. I*, 115).

---

121. Liuprandi lex que est « Si quis gastaldius vel actor » (Liutpr. 58) ab hoc partim rumpitur capitulo; sed qualiter rumpatur, retro dictum est.

123. Capitulum hoc post tricesimum diem per consilium episcopi sui viduam vellare permittens Liuprandi legem que est « Nulli sit licentia, quamlibet mulierem mundium eius habenti » (Liutpr. 99) rumpit, unde hoc capitulum a Lotharii capitulo quod est « De feminis quibus defunctis viris lex Longobardorum » (Loth. 70) partim rumpitur, quia illic legitur « ut mox dum divina pietas inspiravit eas indempnes liceat velum suscipere », non expectantes tricesimum diem post viri decessum, ut hoc precipit capitulum.

124. « Ut omnia quae wadiari debent iuxta quod in lege continentur » et cetera, id est ut debita et compositiones, que iudicantur per diffinitivam sententia debere dari, pleniter secundum ipsam legem wadiata fiant: veluti 20 solidi, qui iudicantur per diffinitivam sententiam debere dari (Roth. 59) pro plaga in capso facta, pleniter vadiati fiant, et postmodum vel domnus rex vel ille cuius causa est iuxta quod ei placuerit misericordiam faciant.

125 (127). Hoc quoque iubemus, ut iudices supra nominati sive fiscalini de qualibet causa freda non exigant priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat. Fredum autem non illi iudici tribuat qui culpam commisit, sed ille qui solutionem recepit terciam partem coram testibus fisco tribuat, ut pax perpetua stabilis permaneat (*Lex Ribuar. tit.* 89: *cf. Legg. I*, 86, *c.* 24).

126 (130). Placuit nobis secundum sanctorum patrum auctoritatem (*Cf. Conc. Antioch. can.* 6), si quis ab episcopo suo iuste excommunicatus fuerit, a nullo penitus recipiatur, antequam in praesentia sui episcopi veniat pro culpa satisfactionem redditurus (*Incertae originis*).

127 (131). Et quia sunt nonnulli, qui sine proprietatibus in regno nostro degentes iudicia comitum effugiunt atque, non habentes res aut substantiam pro quibus constringi possint, ideo malitiam exercere non cessant: de illis nobis placuit ut ipsi cum quibus manere videntur aut eos praesentent aut pro eorum malefactis rationem reddant (*Incertae originis*).

128 (129). Ut coniugia servorum non dirimantur, si diversos dominos habuerint, sed in uno coniugio servi permanentes dominis suis serviant, sic tamen, ut ipsum coniugium legale sit et per voluntatem dominorum suorum iuxta illud evangelium (*Matth.* 19, 6. *Marc.* 10, 4): « Quod Deus coniunxit, homo non separet » (*Concil. Cabillon. a.* 813, *c.* 30).

---

125. « Hoc quoque iubemus » capitulum hoc dicens « Ut iudices sive missi fiscalini » (Karol. M. 88) commemorat. — § 2. Quod in hac lege habetur: « si quis per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat », ita oportet intelligi, scilicet ut, si Longobardus fuerit, iuxta Liuprandi legem que est « Si quis porcos » (Liutpr. 150) sibi nonum componat, si Romanus vel Salichus, in quadruplum. — § 3. Quod in hac lege habetur: « ut pax perpetua stabilis permaneat », ita oportet intelligi, quasi dicat: ideo dixi, ut fredum, id est bannum, non exigatur, priusquam facinus componatur, ut pax perpetua stabilis permaneat inter ipsos causatores, quia si prius solveret bannum, quam facinus componeretur, sepius contingeret, quod non haberet, quid postea pro facinore componeret, et ita nulla pax inter causatores fieret. Vel aliter: ideo dixi, coram testibus tertiam partem fisco tribuat, ut pax perpetua stabilis permaneat, id est ut fiscus postea exinde interpellare eum non valeat; quia, si postea eum exinde interpellaret, ipse statim ipsam tertiam partem se illi tribuisse testibus probaret. Vel aliter: ideo dixi, tertiam partem coram testibus fisco tribuat ut pax perpetua stabilis permaneat, scilicet, ut, etsi postea convinceretur illud facinus unde pulsabatur perpetrasse, ab eo tamen aliud bannum non exigatur.

127. Capitulum hoc, eo quod dicit: « aut pro eorum male factis rationem reddant », ab Octonis capitulo quod est « Laicorum vero nullum preter comitem » (Ott. I, 8) partim rumpitur, in quo quilibet laicus preter comitem advocatum, qui rationem pro eo reddat, habere prohibetur.

128. Eo quod in hoc capitulo coniugium servorum quod fit voluntate dominorum prohibetur dirimi, datur intelligi, coniugium servorum quod fit absque voluntate dominorum posse dirimi. Unde hoc capitulum Liuprandi legem quae est « Si aldius cuiuscumque aldiam alterius tulerit, aut servus ancillam » (Liutpr. 138) et omnes alias leges quae coniugia servorum absque voluntate dominorum fieri posse declarant partim rumpit ut retro dictum est.

129 (132). Si res interciata furto ablata fuerit, liceat ei super quem res interciata fuerit cum sacramento se excusare de furto, quod nec suae voluntatis aut consentiens fuisset, quod ablatum est, ut tantum sine dampno restituat (*C.* 129. 130 = *Cap. in lege Rib. add. a.* 803, *c.* 13. 8: *Legg. I*, 118).

130 (132). Si auctor venerit et rem interciatam recipere noluerit, campo vel cruce contendat.

131 (133). Quicumque propria uxore derelicta vel sine culpa interfecta aliam duxerit, armis depositis publicam agat poenitentiam: et si contumax fuerit, comprehendatur a comite et ferro vinciatur et in custodia mittatur, donec res ad nostram noticiam deducatur (*Capit. Hludow. P. pro lege hab. a.* 829, *c.* 3: *Legg. I*, 353).

132 (134). Si qua mulier filium vel filiam suam per fraudem aliquam coram episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallatiam suam poenitentiam agat, a viro tamen suo non separetur (*Concil. Cabillon. a.* 813, *c.* 31).

133 (135). Ut loca, quae semel Deo dicata sunt ut monasteria sint, maneant in perpetuum nec possint ultra fieri secularia habitacula (*C.* 133 — 135 = *Admon. gener. a.* 789, *c.* 31. 28. 23: *Legg. I*, 59. 58).

134 (136). Ut si clerici inter se aliquod negotium habuerint, a suo episcopo iudicentur, nam non a secularibus.

135 (138). Ut nec monachus nec clericus in secularia negotia transeat. Et ut servum alterius nemo sollicitet ad clericalem vel monachicum ordinem sine licentia et voluntate domini sui.

136 (140). Ut etiam dies dominicus sicut decet honoretur et eum colere omnes studeant. Ut hoc liberius possit fieri, mercata et placita a comitibus, sicut saepe amonitum fuit, illo die prohibeantur (*Capit. Hludow. P.* (*a.* 825?) *c.* 9: *Legg. I*, 244).

137 (139). Ut nullus alienos fines usurpet aut terminos patrum transcendat (*C.* 137. 138 = *Admon. gener. a.* 789, *c.* 33. 45: *Legg. I*, 59. 61).

---

129. Capitulum hoc secundum Bonifilium ita intelligitur: si res ablata furto intertiata fuerit, liceat super quem res intertiata fuerit cum sacramento se excusare de furto, ut tantum sine dampno restituat vel ut rem reddat sine furti pena. Secundum vero Wilihelmum ita legitur, si res intertiata fuerit postea ablata furto, liceat ei super quem intertiata fuerit cum sacramento se excusare de furto, aut, si non fuerit ausus se excusare de furto, tantum sine dampno id est sine aliqua pena restituat, quantum illud fuit quod furto ablatum sibi ablatum fuit. — § 2. Notandum est, secundum Wilihelmum hic talem litteram esse debere: « aut sine dampno restituat », secundum vero Bonifilium: « ut sine dampno restituat ».

130. Si auctor venerit, id est si auctor datus fuerit ab illo super quem res intertiata fuerit et ipse auctor rem intertiatam recipere noluerit, id est in auctoritate ipsa spreverit, se illi rem illam dedisse vel vendidisse cui interciata fuerit, et in illo modo se auctorem illius rei esse confiteri illis noluerit, tunc ipse qui se nec vendidisse nec aliquo modo donasse affirmat, campo contendat vel cruce. Sed hodie cruce contendere iuxta Lotharii capitulum quod est « Sancitum est, ut nullus deinceps » (Loth. 93) prohibitum est.

138 (144). Falsa persona non habeat potestatem accusandi. Et si in primo crimine victa fuerit falsum dixisse testimonium, in secundo non habeat potestatem dicendi.

139 (143). Generaliter homines admonemus, ut capitula quae praeterito anno legi Salichae cum consensu omnium addenda esse censuimus, iam non ulterius capitula sed tantum lex dicantur, immo pro lege teneantur (*Capit. Hludow. P. a.* 820, *c.* 5: *Legg. I*, 229).

140 (145). Illud praeterea per omnia praecaventes prohibere decrevimus, ut nullus praesumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare nec in dissimili aetate, sed coaetaneos sibique consentientes. Quia multas saepius ex huiuscemodi nuptiali contractu ruinas animarum factas audivimus et tales fornicationes perpetratas quales nec inter gentes: ita plane, ut, dum contigerit puerum adultum esse et puellam parvulam et e contrario si puella maturae aetatis sit et puer sit tenerae, et per virum cognata et socrus deprehendantur adulterae, et propter puellam pater vel frater pueri tanti peccati flagitio pereant inretiti. Unde qui haec prohibita de cetero usurpare praesumpserit, ab omni aecclesiastico consortio sit alienus, sed nec a publicis sit immunis iudiciis (*Incertae originis*: *cf. Legg. I*, 86, *c.* 19).

141 (153). In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus magnus pacificus imperator Romanorum gubernans imperium, qui per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum, dilectissimo filio suo Pipino glorioso regi sempiternam in Domino salutem. Pervenit ad aures clementiae nostrae, quod aliqui duces et eorum iuniores gastaldii vicarii cente-

---

138. Capitulum hoc a subsequenti capitulo quod est « Ut de eo qui se periuraverit, postquam penitentiam egerit, inculpabilis esse videtur » (Pipin. 44) rumpitur, quia, si, postquam penitentiam de quolibet crimine egerit, inculpabilis esse videtur, tunc accusare testimoniumque dare poterit.

140. Liuprandi leges (Liutpr. 12, 128) que sunt: « Si quis puellam intra 12 annos » « Adveniente vanissima » ab hoc capitulo partim rumpuntur, ut retro dictum est. — § 2. Eo quod hic legitur: « nullus presumat ante annos pubertatis puerum et puellam in matrimonio sociare », puerum datur intelligi ante annos pubertatis posse sponsari. Unde hoc capitulum Liuprandi legem, que est « Si quis puellam intra 12 annos », ex hoc quod ibi legitur: « pater autem vel frater potestatem habeat ad dandam vel ad sponsandam filiam vel sororem suam, cui aut in quali etate voluerit » affirmat. Puberem dicimus feminam, que habet 14 annos; masculus vero 18 annorum plene pubertatis est, Institutionum lege testante hoc (Inst. I, 11, 4). — § 3. Eo quod hic legitur: « sed tamen nec a publicis sit inmunis iudiciis », id est publica sustineant iudicia, quod lex precipit, dicebatur a quibusdam, hoc capitulum tantum esse Longobardorum, cum alia lex nullam ei penam tribuat, preter Longobardam. In Longabarda enim lege, id est in Liuprandi lege que est « Si quis puellam intra 12 annos » (Liutpr. 12) legitur: « si autem mundoaldus eius consentiens fuerit, aut tradiderit eam ante 12 suprascriptos annos, 300 solidos componat ». Sed si ipse mundoaldus fuerit pater aut frater, quia huius legis, id est huius capituli, est contentor, in presentiam regis vadat, ut capitulum Caroli precepit quod est « De his qui legem conservare contempserint, ut per fideiussorem in presentiam regis deducantur » (Karol. M. 91). Sed non est Longobardum tantum, quia, licet desinat in Longobardo, tamen quod supra legitur intelligendum est generale.

narii seu reliqui ministeriales falconarii venatores et ceteri per singula territoria habitantes vel discurrentes mansionaticos et parvaredos accipiunt, non solum de liberis hominibus sed etiam de aecclesiis Dei, monasteriis videlicet virorum ac puellarum et senodochiis atque per diversas plebes et super reliquos servientes aecclesiarum Dei; insuper homines atque servientes aecclesiarum Dei in eorum opera, id est in vineis et campis seu pratis necnon et in eorum aedificiis, illos faciunt operari et carnaticos et vinum contra omnem iusticiam ab eis exactare non cessant, et multas oppressiones paciuntur ipsae aecclesiae Dei vel servientes earum. Ideoque, karissime fili, has litteras ad tuam dilectionem direximus, ut hoc anno hanc causam diligenter ac prudenter facias inquirere, et, si veritas est quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare et corrigere studeas: quatenus in diebus nostris ac tuis pax aecclesiarum Dei sive illarum servientium in omnibus conservetur, et ut merces copiosa nobis ac tibi exinde iugiter adcrescat. Audivimus etiam, quod quaedam capitula, quae in lege scribi iussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quod nos nequaquam hanc causam per nosmet ipsos conditam habeamus, et ideo nolunt ea obedire nec consentire neque pro lege tenere. Tu valde nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis capitulis, et ideo monemus tuam amabilem dilectionem ut per universum regnum tibi a Deo commissum ea nota facias et obedire atque implere praecipias (*C.* 141. 142 = *Karoli ad Pippin. filium epistola a.* 807 *data*: *Legg. I*, 150).

142 (101). De episcopis et sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus et de reliquis quibuslibet causis. Verumtamen de presbiteris videtur nobis, ut si liber natus est, per triplam compositionem se-

---

142. Hoc capitulum ita legitur: « O karissime filii, de episcopis et sacerdotibus occisis statutum habemus bene nosti » et cetera. — § 2. In hoc capitulo legitur: « secundum suam legem fiat compositus », id est si presbiter Longobardus est, widrigild eius triplicetur; sin autem Salichus vel Romanus, seu Alamannus sive Rubuarius est, compositio eorum quam leges fieri precipiebant similiter triplicetur. Sed de hoc in parte ruptum est hoc capitulum a Lodoyci capitulo quod est « Ut omnis ordo ecclesiarum » (Lud. P. 53). Et, si secundum legem Romanam omnis ordo ecclesiarum debet vivere, et in Pipino (27) legitur: « secundum ipsius legem, cui commisit neglegentiam emendet », tunc hodie extimatio iniurie primum fuerit facta secundum Romanorum legem, et postea extimata compositio iuxta hoc capitulum triplicabitur. Quod tunc tantum intelligendum est fieri debere, quando presbiter plagatus aut verberatus fuerit: sed si mortuus fuerit presbiter, quia lex Romana presbiteri interfectorem mortis sententiam condempnat, non extimari debet alia iniuria, sed morietur, ut lex Romana precipit. — § 3. Eo quod Carolus precipit, ut capitulum, quod est « Qui subdiaconum occiderit » (Karol. M. 100) in lege Salica poneretur et pro lege Salica observaretur (Karol. M. 139), et eo quod Pipinus dixit: « et si ipse episcopus, Francus aut Longobardus, distulerit ad iustitiam faciendam » (Pipin. 6), absque dubio declaratur, quod aliquis propter honorem clericatus legem suam non amittebat sed eam retinebat adhuc, quando capitulum factum fuit.

cundum suam legem emendetur; et si plagatus fuerit, secundum qualitatem plagarum vel disciplinae tripla compositione componatur ab eo qui hoc perpetraverit. Si autem presbiter servus natus fuerit, secundum illius nativitatem tripla compositione solvatur in plagis et disciplinis. Et de diaconibus similiter fiat. His expletis bene valeas semper in Domino, karissime fili.

143 (*Pip.* 46). Sicut consuetudo nostrorum est, ut Longobardus vel Romanus, si evenerit quod causam inter se habeant, observamus, ut Romanus populus successionem eorum iuxta suam legem habeant; similiter et omnes conscriptiones iuxta suam legem faciant, et quando iurant, iuxta suam legem iurent, et quando componunt, iuxta legem cui malum fecerint, componant; et Longobardos similiter convenit componere. De ceteris vero causis communi lege vivamus, quam domnus excellentissimus Karolus rex Francorum atque Longobardorum in edicto adiunxit (*Incertae originis*).

[CAPITULA PIPPINI].

In nomine domini nostri Iesu Christi: qualiter placuit nobis Pipino excellentissimo regi gentis Longobardorum, cum adessent nobiscum singuli episcopi abbates et comites seu reliqui fideles nostri Franci et Longobardi (*Prol.* — *c.* 10 = *Cap. Pippini a.* 782 — 786, *prol.* — *c.* 10: *Legg. I*, 42-44).

1. Ut aecclesias baptismales seu oracula, qui eas a longo tempore restauraverint, mox iterum restaurare debeant: et tam curtis regia quamque et Longobardi talem inibi habeant dominationem qualis illorum a longo tempore fuit consuetudo.

2. Ut pontifex ordinet et disponat unusquisque aecclesias suas canonico ordine, et sacerdotes suos vel clericos distringat canonico vivendo ordine. Et si quis pontifex clericos suos canonico ordine distringere noluerit et ille ad secularem pertransierit habitum, quod canones clericos prohibent facere, comes qui in loco ordinatus fuerit distringat illos in omnibus ad suam partem sicut alios exercitales.

1. Capitulum hoc, dicens: « mox iterum restaurare debeant », a subsequenti Pipini capitulo quod est « De ecclesiis baptismalibus » (Pipin. 25) affirmatur, quia ibi legitur: « neque illi pagenses neglegentiam habeant de hoc quod ibidem facere debent », et a Lotharii capitulo quod est « De ecclesiis destructis « (Loth. 46) corroboratur, quia illic legitur: « episcopali auctoritate emendare cogantur qui ea debuerint restaurare ».

3 (3. 4). Monasteria virorum ac puellarum, tam quae in mundio palatii esse noscuntur, vel etiam in mundio episcopali seu et de reliquis hominibus esse inveniuntur, distringat unusquisque in cuius mundio sunt, ut regulariter vivant; similiter et senodochia, cuiuslibet sint. Fratres in omnibus pascantur iuxta illorum possibilitatem.

4 (5). Ut de restauratione aecclesiarum vel pontibus faciendis aut stratis restaurandis omnino generaliter faciant, sicut antiqua fuit consuetudo; et non anteponatur emunitas, nec pro hac re ulla occasio proveniat.

5 (6). Ut viduae et orfani tutores habeant iuxta illorum legem, qui illos defendant et adiuvent, ut per malorum hominum oppressiones suam iusticiam non perdant. Et si tutor aliquis illorum esse noluerit, iudex prevideat Deum timentem hominem (cf. Liutpr. 73), iuxta ut lex ipsorum est, qui per nostram preceptionem illorum causas peragere debeat.

6 (7). Ut qui se reclamaverit super pontificem, quod iustitiam habeat ad requirendum, dirigat illum comes aut per missum suum aut

3. Capitulum hoc Caroli capitula (Karol. M. 4. 57) que sunt « Ut episcopi de presbiteris et diaconibus » « Volumus atque iubemus » corrumpit, ut retro dictum est. — § 2. Pipini capitulum quod est « Ut quicumque senodochia habet » (Pipin. 25) hoc capitulum affirmat.

4. Capitulum hoc, de ecclesiarum restauratione precipiens, Caroli capitula (Karol. M. 60, 61) quae sunt « Precipimus etiam comitibus et omnibus fidelibus », « Et vobis episcopis, qui in omnibus nonas et decimas » corroborat, quia ibi de restauratione atque emendatione ecclesiarum similiter legitur. — § 2. Lodoyci capitulum quod est « De nonis et decimis considerandum est » (Lud. P. 31) et Lotharii capitulo quod est « De pontibus vero vel reliquis his similibus » (Loth. 42) multaque alia capitula concordant se cum isto.

5. Capitulum hoc, dicens: « tutores habeant iuxta illorum legem », respexit in lege Longobarda ad ipsam legem, que mulieri Longobarde mundoaldum attribuit, veluti « Nulli mulieri libere sub regni nostri ditione » (Roth. 204) et ad ipsas leges, que orphano Longobardo tutorem videntur concedere, veluti Liuprandi (148) « Item de infantibus qui intra etatem sunt et necessitatem habent », dicentem: « et qui actum commissum habuerit », et veluti Rachis legem « Si quis causam alterius agere aut causare » (Rach. 7), in qua per licentiam comitis orphani quasi tutorem videntur conquirere. Et in lege Romanorum (Cf. Inst. I, 23 pr.) similiter ad tutorem fuit: namque Romana usque ad 15 annos tutorem habeat, deindeque usque ad 25 annos curatorem et quandoque procuratorem; et Romanus orphanus similiter. Et notandum est, hoc capitulum tutorem tam pro mundoaldo quam pro curatore posuisse. — § 2. Capitulum hoc a Lotharii capitulo « Quicumque res alienas cuilibet homini » (Loth. 60) partim rumpitur, quia illic legitur: « tunc eius legitimus propinquus qui iuste eius tutor ac defensor esse videtur pro ipso rationem reddere compellatur », hic vero nullus tutor compellitur rationem reddere pro ipso cui est tutor, immo alius per providentiam iudicis eligi precipitur, qui eius causam peragere debeat. — § 3. Quod in hoc capitulo habetur: « iuxta ut lex ipsorum est », tam in legem Longobardam quam in legem Romanam respexisse putandum est. Hic vero lege Longobardorum dicitur respexisse ad Rachis legem que est « Si quis causam alterius agere », per quam viduae et orphani per licentiam comitis tutores, pro eis rationem reddendo, possunt conquirere.

6. Iuxta hoc capitulum episcopi propter ordinem episcopalem nondum legem mutabant, unde a Lodoyci capitulo quod est « Ut omnis ordo ecclesiarum » (Lud. P. 53) partim rumpitur, quia iuxta illud capitulum non solum episcopi, sed etiam quilibet de clero propter ordinem ecclesiasticum fit Romanus. — § 2. Capitulum hoc, eo quod precipit: « ubicumque pontifex substantiam habuerit, advocatum habeat in ipso comitatu », ruptum est a capitulo Lotharii quod est « Singulis episcopis

per epistolam suam ad ipsum pontificem. Et si episcopus ipse Francus aut Longobardus distulerit iustitiam faciendam, tunc, iuxta ut ipsi episcopi elegerunt, ubi consuetudo fuit pignerandi a longo tempore, ut inantea in eo modo sit pro ipsa iusticia facienda. Et hoc constituimus, ut, ubicumque pontifex substantiam habuerit, advocatum habeat in ipso comitatu, qui absque tarditate iustitiam faciat et suscipiat. Et talis sit ipse advocatus: liber homo et bonae opinionis laicus aut clericus, qui sacramentum pro causa aecclesiae, quam peregerit, deducere possit iuxta qualitatem substantiae, sicut lex illorum habet.

7 (8). De universali quidem populo, qui ubicumque iustitiam quaesierit, suscipiat tam a comitibus suis quam etiam a gastaldiis seu a

---

abbatibus abbatissis » (Loth. 18), in quo episcopus nisi duos advocatos habere prohibetur. — § 3. Et capitulum hoc, eo quod clericum alterius advocatum esse concedit, a Lodoyci capitulo partim rumpitur quod est « Omnibus igitur episcopis abbatibus » (Lud. P. 56), in quo cunctus clerus advocatum habere precipitur, et ita clericus alterius esse non potest advocatus. — § 4. Ideo istud capitulum dixit: « prebeat sacramentum iuxta qualitatem substantie », quia episcopus Longobardus erat; sed hodie, quia episcopus Romanus efficitur, non secundum Longobardorum legem, sed secundum Romanorum sacramentum persolvet.

7. Quod in hoc capitulo habetur: « iuxta illorum legem absque tarditate » ad Romanam legem et Liuprandi leges (Liutpr. 25-28) quae sunt « Si quis causam habuerit », « Si homines de sub uno iudice », « Si quis in alia civitate » referendum esse putandum est, in quibus eis qui sibi causam suam dixerint comites gastaldios sculdascios loci prepositos iustitiam facere precipit. — § 2. « Absque tarditate » vero ideo dictum est, quia in predictis legibus, infra quem terminum iustitiam facere debeant, constitutum est. — § 3. Secundum vero alios « iuxta illorum legem absque tarditate » aliter intelligitur, scilicet ut dicatur, querentem iustitiam absque tarditate eam secundum suam legem recipere ab ipsis comitibus, id est: unusquisque homo iuxta suam legem se ipsum defendat atque compositionem recipiat absque tarditate, videlicet infra terminum quem sua lex constituit. — § 4. Quod hic scriptum est: « iuxta ut eorum fuit electio, ita subiaceat », ita intelligendum est, videlicet ut moriatur, sicut in lege Salica (Lex Sal. emend. LII, 3) precipitur vel in usu Francorum habebatur. — § 5. Item quod hic scriptum est: « et de illorum honore sic fiat, sicut Francorum est consuetudo » ita oportet intelligi, id est ut non veniat ad eorum heredes. — § 6. Capitulum hoc, dicens: « et de Longobardis comitibus, si quis ex ipsis neglectum posuerit ad iustitiam faciendam, sicut ipsorum est lex, ita componat », predictas Liuprandi leges quae sunt « Si quis causam habuerit et sculdais suo », « Si homines de sub uno iudice », « Si quis in aliena civitate causam habuerit », corroborat, in quibus, si neglectum posuerit ad iustitiam faciendam, comes reclamanti solidos 20 et regi solidos 20 componere precipitur. — § 7. Quando hoc capitulum dixit: « et si forsitan adtenderit ad gasindium vel ad parentem et legem non iudicaverit — subaudis: omnibus hominibus reclamantibus de subiectis eius — et probatum fuerit, componat sicut lex ipsorum est » affirmat legem Rachis quae est « Cognovimus enim » (Rach. 6), in qua « comes (qui quod supra diximus fecerit) widrigild suum, medietatem regi et medietatem cui iustitiam denegaverit componat et honorem suum amittat ». — § 8. Capitulum hoc, dicens: « et si gastaldius aut sculdais iustitiam non fecerit componat sicut lex ipsorum est », predictas Liuprandi leges quae sunt « Si quis causam habuerit », « Si homines de sub uno iudice », confirmat, in quibus gastaldius sculdascius qui infra quatuor dies iustitiam facere neglexerit solidos 12, sex reclamanti et sex iudici, iubentur compellere. — § 9. Capitulum hoc, dicens: « etsi forsitan Francus aut Longobardus habens beneficium iustitiam facere noluerit, iudex ille, in cuius ministerio fuerit, contradicat illi beneficium », Caroli capitulum « Si quis ad mallum legibus mannitus » (Karol. M. 27) partim corrumpit, quia ibi legitur: « ut eius beneficium in bannum mittatur ». Sed non rumpitur, quia eius beneficium melius non potest contradici, quam ponendo in bannum. — § 10. Capitulum Octonis « Nullum laycorum » (Ott. I, 8) rumpit istud capitulum de hoc quod precipit, ut missus eius iustitiam faciat.

sculdais vel locipositis iuxta ipsorum legem absque tarditate. Et si comes Francus distulerit iustitiam faciendam et probatum fuerit, iuxta ut eorum fuit electio, ita subiaceat: et de illorum honoribus sicut Francorum est consuetudo. Et de Longobardis comitibus, si quis ex ipsis neglectum posuerit ad iustitiam faciendam, sicut ipsorum lex est ita componat. Et si forsitan attenderit ad gasindios vel ad parentes aut ad amicos suos seu ad premium et legem non iudicaverit, et probatum fuerit, componat et honorem suum amittat sicut lex ipsorum est. Et si gastaldius aut sculdais seu locipositus de qualibet iudiciaria tam ad suos pagenses quamque ad alios qui iustitiam quesierint non fecerit, componat, sicut lex ipsorum est. Et si forsitan Francus aut Longobardus habens beneficium iustitiam facere noluerit, iudex ille in cuius ministerio fuerit contradicat illi beneficium suum, interim quod ipse aut missus eius iustitiam faciat.

8 (9). Ut iudex unusquisque per civitatem faciat iurare ad Dei iudicia homines credentes, iuxta quantos previderit, seu foris per curtes vel vicos ibi mansuros, ut cui ex ipsis cognita fuerint homicidia furta adulteria et de illicitis coniunctionibus, ut nemo ea concelet. Et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit iusticiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio furto aut praeda, et ille super quem dixerit denegare voluerit, tunc ille qui reclamat, si potuerit, approbet illud, et si forsitan non potuerit approbare, et ipse super quam dicit negaverit, quod malum ipsum nec ipse nec homines ipsius perpetrassent et posuerit excusationem et dixerit: « nomina michi homines meos, qui tibi malum fecerunt, ego tibi de illis iustitiam faciam », et ille incognitus qui reclamat et nomina de illis hominibus nescit nec approbare potest, et ipsi qui exinde veritatem sciunt negare voluerint, et ille qui reclamat dixerit: « quia homo ille veritatem scit », tunc iudex ille qui in loco ipso est faciat iurare homines illos, quilibet sint, Franci aut Longobardi, quos ipse nominative dixerit, ut dicant exinde veritatem; et si credentes homines fuerint, in manu comitis sui dexterent. Et si latrocinia aut furta vel praeda inventa fuerint, emendetur iuxta ut eius est lex, cui malum ipsum perpetratum fuerit. Tamen iudex de loco unde fuerit de latronibus

---

8. Capitulum hoc a Lotharii capitulo quod est « Volumus ut comites nostri licentiam habeant » (Loth. 3) roboratur. — § 2. Capitulum hoc, dicens: « tamen iudex de loco unde fuerit de latrone aut furone », affirmatur a Pipini capitulo quod est « Placuit et convenit ut omnes iustitiae » (Pipin. 11) et a Widonis capitulo quod est « Placuit etiam nobis summopere statuere » (Wid. 1), et Caroli capitulum quod est « Sed et hoc iubemus, ut comites de latronibus plenam iustitiam faciant » (Karol. M. 67) corroborat.

aut furonibus studium ponat, ut populus iste hic habitans aut veniens in pace vivere valeat.

9 (10). De servis ét ancillis fugacibus unusquisque iudex studium ponat ad perquirendum iuxta ut edictum continet [*Liutpr.* 43]. Et hoc damus in mandatis, ut tam Austria et Neustria Emilia Tuscia seu littora maris ut per omnia perquirantur superscripti fugaces: et apud locum coniurent sculdai, decani, saltarii vel locopositi, ut nullus eos concelet; et ubicumque inventi fuerint, ipse apud quem inventi fuerint una cum misso comitis de ipso loco ad nos adducatur sic, ita ut iurare valeat, ut neminem concelet.

10 (11). De advenis et peregrinis qui in Dei servitio Romam vel per alia sanctorum corpora festinant, ut salvi vadant et revertantur sub nostra defensione. Et si quis aliquem ex ipsis peregrinis ausus fuerit occidere, 60 solidos in sacro palatio nostrò componat, et insuper compositio illa de ipso homicidio componatur, cui legibus leudum ipsum pertinuerit. Et hoc damus in mandatis cunctis episcopis abbatibus comitibus seu actionariis nostris, ut haec omnis suprascripta iustitia de praesenti absque ulla tarditate adimpleta fieri debeat: ut, qui in tantos annos iustitiam habere non potuerit, vel modo per Dei omnipotentis misericordiam et per praeceptionem domni et genitoris mei Karoli regis gentis Francorum et Longobardorum ac patricii Romanorum simul et per nostram praeceptionem unusquique homo iusticiam suam accipiat.

11 (12). Placuit atque convenit nobis, ut omnes iustitiae pleniter factae esse debeant infra regnum nostrum absque ulla dilatatione, tam de aecclesiis quamque de senodochiis seu pauperibus et viduis et orphanis atque de reliquis hominibus secundum iussionem Karoli regis (*Capit. Pippin. a.* 787, *c.* 1: *Legg. I,* 70).

12 (13). Homo denarialis non antea hereditare in sua agnatione potuerit, quam usque in tertiam generationem perveniat. Et homo cartularius similiter (*Capp. in legem Rib. a.* 803, *c.* 10, 11: *Legg. I,* 118).

---

10. Capitulum hoc, peregrini homicidium widrigild iubens componere, nulla posita differentia, utrum sit homicida super eum ambulando vel non, Liuprandi legem que est « Nam qui super alium ambulaverit » (Liutpr. 20) partim rumpit, in qua homicida super alium ambulando omnem substantiam iubetur amittere. Unde hoc capitulum Lotharii capitulo quod est « De homicidio » (Loth. 92) partim rumpitur et predicta Liuprandi lex ab eo affirmatur.

11. Capitulum hoc Caroli capitula (Karol. M. 51. 58) que sunt « Ut nullus quislibet missus noster », « Ut comites pleniter iustitiam » confirmat.

12. Homo denarialis id est inpans. — § 2. Per agnationem descendentes secundum Wilihelmum, secundum vero alios laterales tantum hic oportet intelligi. — § 3. Capitulum hoc, ut antiqui iudices dicebant, rumpit Rotharis legem que est « Si libertus, qui fulfreal factus est, filios dereliquerit » (Roth. 225); sed qualiter dicebant eam ruptam esse et qualiter salvanda est, retro dictum est.

13 (14). Instituimus, ut, sicut domnus rex Karolus commendavit de illis monachis qui de Francia vel de aliis locis venerunt et eorum monasteria dimiserunt, ut praesentaliter illis partibus revertantur ad monasteria, et nemo ex vobis ipsos secum detineat (*C*. 13 — 23 = *Capit*. *Pipp*. *a*. 787, *c*. 2 — 4, 6 — 9, 11 — 14: *Legg*. *I*, 70, 71).

14 (15). De presbiteris qui de alia provincia veniunt, ut nullus eos debeat recipere sine dimissorio episcopi sui, de cuius parochia est.

15 (16). De episcopis abbatibus comitibus seu vassis dominicis vel reliquis hominibus, qui ad palatium veniunt aut inde vadunt vel ubicumque per regnum nostrum pergunt, ut non praesumant ipsi aut homines eorum alicui homini suam causam tollere vel suum laboratum, in tantum si non comparaverint, aut ipse homo per suam spontaneam voluntatem eis non dederit. Et quando hybernum tempus fuerit, nullus debeat mansionem vetare ad ipsos iterantes, in tantum quod ipsi iniuste nullam causam tollant. Et si aliquis hoc facere praesumpserit, tam seniores quamque et vassalli, et ipse homo ibidem ad eos proclamaverit, tunc volumus, ut praesentaliter ipse qui hoc fecerit hoc quod ad ipsum hominem tulerit ei secundum legem emendet. Et si evenerit, quod ei ipsa causa ibidem secundum legem praesentaliter emendata non fuerit et ad palatium exinde proclamatio venerit, tunc volumus, ut ipse qui hoc malum fecit contra ipsum hominem qui proclamavit secundum suam legem emendet et insuper ad palatium bannum nostrum componat, pro eo quod super bannum nostrum hoc facere ausus fuit.

16 (17). Stetit nobis de hominibus libellariis, ut nullus comes nec iuniores eorum eos amplius distringant nec inquietent, nisi sicut in tempore Longobardorum fuit consuetudo.

17 (18). Placuit nobis de aecclesiis baptismalibus, ut in omnibus ita debeant esse ordinatae et conservatae, quomodo domnus Karolus commendavit et in suo kapitulari continetur.

18 (19). Et hoc instituimus, ut emunitates a iam dicto domno nostro

---

14. Capitulum cum Caroli capitulis (Karol. M. 6. 62) quae sunt « Ut nulli liceat alterius clericum recipere », « Ut nemo alterius clericum » concordat.

15. Retroposita Caroli capitula (Karol. M. 11. 113) quae sunt « De truste facienda: nemo presumat », « Ut missis nostris discurrentibus », qualiter ab hoc capitulo rumpantur et affirmentur, retro dictum est. — § 2. Capitulum hoc, dicens: « et si hoc evenerit quod ei ipsa causa ibidem secundum legem presentaliter emendata non fuerit, ad placitum exinde proclamatio » et cetera, dat intelligi, quod bannum non datur, nisi lis ante potestatem afferatur.

17. Capitulum hoc Caroli capitula (Karol. M. 60. 61) quae sunt « Precipimus etiam comitibus nostris », « Et vobis episcopis qui in omnibus nonas et decimas » confirmat.

18. Capitulum hoc Caroli capitulum quod est « Si quis in emunitate » (Karol. M. 101) confirmat.

firmatae in omnibus conservatae esse debeant, sicut est iussio ipsius domni nostri Karoli regis.

19 (20). Consideravimus, ut viae, et portus vel pontes infra regnum nostrum in omnibus pleniter emendatae esse debeant per illa loca ubi antea semper fuit consuetudo. Nam per alia loca super ipsa flumina nullatenus portus esse debent.

20 (21). Stetit nobis, ut missos nostros, unum monachum et alium capellanum, direxissemus infra regnum nostrum ad previdendum et inquirendum per monasteria virorum ac puellarum, quae sub sancta regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio aut qualiter est vita vel conversatio eorum, et quomodo unumquodque monasterium de rebus habere videtur unde vivere possit.

21 (22). Placuit nobis, ut nullus comes nec eorum iuniores nullatenus praesumant alicui homini sua testimonia tollere aut abstrahere, sed permittant ei habere sua testimonia qui ea potest conquirere atque rogare. Et si aliquis contra hoc facere praesumpserit, nostra est voluntas, ut ipse in nostram veniat praesentiam et ibidem exinde talem accipiat sententiam, quomodo nostra fuerit voluntas ad iudicandum.

22 (23). Stetit nobis de illis hominibus liberis Longobardis, ut licentiam habeant se commendandi ubi voluerint, sicut a tempore Longobardorum fecerunt, in tantum ut suo comiti faciant rationabilia quae debent.

23 (24). Ut nullus alteri praesumat res suas aut aliam causam sine iudicio tollere aut invadere: et qui hoc facere praesumpserit, ad partem nostram exinde bannum nostrum componat.

24 (25). Ut quicumque senodochia habet, si ita pauperes pascere voluerit et consilium facere, quomodo ab antea fuit, habeat ipsa senodochia et regat ordinabiliter. Et si hoc facere noluerit, ipsa dimittat:

---

21. Hoc capitulum in partem rumpit capitulum iam dictum Caroli quod est « Ut testes ad testimonium premio non conducantur » (Karol. M. 50) quia hic precipitur: « sed permittat ei habere sua testimonia que potest conquirere » id est cum pretio habere. Sed ita salvari potest ut retro dictum est.

23. Capitulum hoc ideo dixit: « res suas », quia ipse cui abstracte sunt eas tenebat, et ideo dixit, ipsas res ipsius esse. Etenim res ipsius qui invadit, illum bannum tamen iuxta hoc capitulum componere debet, quia aliene res appellantur, et ipsius qui eas possidet esse tamdiu intelliguntur quandiu exinde per iudicium expulsus fuerit, sicut potest videri in capitulo Widonis quod est « De cartis vero interdiximus » (Wid. 5); quando enim ipsum capitulum Widonis dixit: « antequam auctor cartule vindicet eam legali et iudiciali diffinitione », declaravit, quod ipsius proprie erant qui dictus erat res invadere. — § 2. Notandum est quoque, quod tollere dicitur quantum ad res mobiles, invadere quantum ad immobiles.

24. Pipini capitulum quod est « Monasteria virorum » (Pip. 3) ab hoc capitulo partim affirmatur, ut retro dictum est.

et per tales homines inantea sint gubernata cum consilio proprii episcopi, qualiter Deo et nobis exinde placeat (*c.* 24 — 39 = *Capit. Pipp. post. a.* 787 *data*, *c.* 1 — 13, 15 — 17: *Legg. I*, 46, 47).

25 (26). De aecclesiis baptismalibus, ut nullatenus laici homines eas tenere debeant, sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatae. Neque illic pagenses neglegentiam habeant de hoc quod ibidem facere debent: et ut illi sacerdotes eas sic regant, quomodo ordo canonicus exposcit.

26 (27). De advocatis sacerdotum: volumus, ut pro aecclesiastico honore et pro illorum reverentia advocatos habeant.

27 (28. 29). De diversis generationibus hominum qui in Italia commanent: volumus, ut, ubicumque culpa contigerit unde faida crescere potest pro satisfactione hominis illius contra quem culpavit, secundum ipsius legem cui neglegentiam commiserit emendet. De statu vero ingenuitatis aut aliis querelis unusquisque homo secundum suam legem se ipsum defendat.

28 (30). De compositionibus quae ad palatium pertinent: si comites ipsas causas commoverint ad requirendum, illi tertiam partem ad eorum percipiant opus, duas vero ad palatium: et si per suorum neglegentiam remanserint, et missus dominicus ipsas causas cepit requirere, tunc volumus ut ipsi comites illam tertiam partem non habeant, sed cum integritate ad palatium veniat.

29 (31). De monasteriis et senodochiis quae per diversos comitatus esse videntur et regalia sunt: quicumque ea habere voluerint, per beneficium domni regis habeant.

30 (32). De rebus forfactis quae per diversos comitatus sunt volumus ut ad palatium pertineant.

31 (33). Si cui res in elemosina datae sunt, et ipse mortuus fuerit antequam eas dispenset, tunc missus dominicus una cum episcopo pa-

---

25. Capitulum hoc dicens: « neque illi pagenses neglegentiam habeant de hoc quod ibidem facere debent » primum Pipini capitulum confirmat.

26. Hoc capitulum a Lodoyci capitulo quod est « Omnibus igitur episcopis » (Lud. P. 56) et a Lotharii capitulo quod est « Ut episcopi universique sacerdotes » (Loth. 101) confirmatur.

27. Capitulum hoc Rotharis legem quae est « Omnes waregangi » (Roth. 368) partim rumpit ut retro dictum est; sed salvari potest ut retro diximus. — § 2. Capitulum hoc, dicens: « secundum ipsius legem cui commisit neglegentiam emendet », Caroli capitulum quod est « Sicut consuetudo » (Karol. M. 143) confirmat quia ibi legitur: « et quando componunt, iuxta legem cui malum fecerint componant ».

28. Capitulum hoc dicens: « illi tertiam partem ad eorum percipiant opus » Liuprandi legem quae est « Si quis gastaldius vel actor » (Liutpr. 58) partim affirmat in hoc quod dicit: « habeat ipse gastaldius de compositione quam actor debet componere partem tertiam », cum gastaldius ibi sit positus tam pro comite quam pro gastaldio, ut retro ostensum est.

rochiae ipsius consideret, qualiter in domni regis mercede ipsa elemosina fiat facta, et infra 30 noctes adimpleta esse debeat.

32 (34). De filia cuius pater per manum erogatoris omnes servos suos iussit fieri liberos, quia contra legem esse videtur, instituimus ut ipsa filia in tertiam portionem de praefatis rebus iterum introire possit.

33 (35). Placuit inserere, ubi lex deest praecellat consuetudo, et nulla consuetudo superponatur legi.

34 (36). Placuit nobis etiam, ut sicut quacumque femina potestatem habet per comiatum viri sui res suas vendere, ita habeat potestatem donare.

35 (37). De mancipiis palatii nostri et aecclesiarum nostrarum: nolumus mundium recipere sed nostra mancipia habere.

36 (38). Placuit nobis ut illos liberos homines comites nostri ad eorum opus in servitio non opprimant, et quicumque hoc fecerit, secundum iudicium quod statutum habemus emendet.

37 (39). Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum praeceptum de curte palatii nostri illos aldiones recipiant.

38 (40). De fugitivis qui in partes Beneventi et Spoleti sive Romaniae vel Pentapolis confugium faciunt, ut reddantur et sint reversi ad propria loca.

39 (41). Sicut consuetudo fuit sigillos et epistolas prehendere (Cf. Rach. Brev. cap. 1) et vias vel portus custodire, ita nunc sit factum.

40 (42). Ut nullus ad mallum vel placitum infra patriam arma, id est scutum et lanceam, portet (*Cap.* 40—42 = *Cap. a Karol. data a.* 806 ? *c.* 1—3: *Legg. I*, 146).

---

32. Capitulum hoc Liuprandi legem que est « De eo qui filiam in capillo » (Liutpr. 64) corroborat. — § 2. Non est intelligendum, ut, si novem servi per manum erogatoris liberi dimissi sunt, quod tres omnino in servitio applicare filia valeat ; sed de unoquoque tertiam partem pretii accipiat ab eo qui eos manumisit et ipsi in libertate permaneant. — § 3. Capitulum hoc ideo dixit : « iterum introire possit », quia iuxta predictam Liuprandi legem, que est « De eo qui filiam in capillo » (Liutpr. 64) in tertiam partem rerum patris intraverat, et iuxta hoc capitulum iterum intrat : vel ideo dixit : « iterum intrat », quia iuxta Astulfi legem que est « Cognovimus multotiens perfidos homines cum voluntate » (Ast. 3) ab ipsa tertia parte expulsa erat, sed iuxta hoc capitulum eam recuperaverat.

34. Capitulum hoc Liuprandi legem, que est « Si qua mulier res suas consentiente viro suo » (Liutpr. 22) commemorat a Guidonis capitulo quod est « Concedimus enim ut sicut mulieres cum viris suis » (Wid. 8) corroboratum.

35. Qualiter hoc capitulum rumpat Liuprandi legem quae est « Si aldius cuiuscumque aldiam alienam » (Liutp. 125) retro dictum est.

36. In hoc capitulo legitur : « secundum iudicium omne quod tulerit emendet », id est secundum eorum legem.

40. Capitulum hoc, a Lotharii capitulo quod est « Collecta ad malum faciendum » (Loth. 55) affirmatum, Caroli capitulum quod est « De armis infra patriam » (Karol. M. 20) confirmat.

41 (43). Quicumque post missam sancti Iohannis baptistae latroni mansionem dederit, si Francus est, cum 12 similibus Francis iuret, quod latronem eum fuisse nesciret, licet pater eius sit aut frater vel propinquus. Si hoc iurare non potuerit et ab alio convictus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro et infidelis iudicetur; quia qui latro est, infidelis est noster et regno Francorum, et qui illum suscepit similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset et tamen nescit firmiter, aut iuret solus quod numquam eum audisset, nec per veritatem nec per mendacium, latronem esse, aut sit paratus, si ille postea de latrocinio convictus fuerit, ut similiter dannetur.

Petre France, te appellat Martinus, quod tu dedisti mansionem ad Marcoardum latronem qui habebat sibi furata tanta mobilia, quae valebant solidos 100. — De torto me appellasti. — Si dixerit: « ego nesciebam quod fuisset latro », iuret.

Petre, te appellat Martinus, quod tu audivisti quod Iohannes erat latro. — Audivi et nescio firmiter.

Petre te appellat Martinus, quod ipse appellavit te, quod tu dedisti mansionem ad Marcoardum latronem qui habebat sibi furata tanta mobilia, quae valebant solidos 100, et iurasti, quod nesciebas quod fuisset latro; et ipse appellavit te, quod tu habebas auditum quod ipse erat latro; et dixisti, quod audivisti et non sapuisti firmiter, et fuisti paratus. Modo habet ipse latro sibi emendatum furtum et habet oculum perditum, et lex commendat, quod tu debes similem poenam sustinere.

42 (44). Ut nullus comparet caballum bovem iumentum vel alias

---

41. Hoc capitulum in parte rumpit Caroli capitulum quod est « De latrone forbannito » (Karol. M. 47) quia hac lege liber homo qui latronem forbannitum in hospitio susceperit 15 solidos fit culpabilis, hic vero legitur: « qui latronem in hospitio susceperit quasi latro et infidelis iudicetur ». — § 2. Dicebant quidam, capitulum istud Salichum tantum esse ideo quia dicit: « Si Salicus est ». Sed male dicunt, quia Pipinus ideo dixit hoc, quia Salici per usum iurabant cum septem, et noluit, ut re ista iurarent cum septem, sed cum 11. Capitulum istud generaliter incipit loqui, et ut de Salico voluit, ita de aliis, ut similiter iurarent. — § 3. Secundum quosdam capitulum Caroli quod est « De latronibus » (Karol. M. 44) ab isto frangebatur, quia pro primo furto non amittet oculum sed secundum regis voluntatem iudicabitur, quia omnis latro iuxta hoc capitulum est infidelis et infidelis secundum regis voluntatem iudicabitur per Lodoyci capitulum quod est « Si quis proprium nostrum quod in vestitura » (Lud. P. 26). Sed male dicebant, quia infidelis ille « fecit sacramentum fidelitatis irritum ». — § 4. Plures sunt qui dicunt, istud capitulum precepisse hominem periurare eo quod dicat: « si autem audivit, quod latro fuisset, iuret solus, quod nunquam audisset », sicut dicit Rotharis (12): « si in concilio fuerit, aut purificet se de ipso conscilio aut componat solidos 20 ». — § 5. Capitulum hoc, dicens: « aut iuret solus », Rotharis legem quae est « Si qualiscumque causa inter homines liberos » (Roth. 359) partim rumpit, in qua appellatus iurare cum 12 precipitur. — § 6. Hoc capitulum, dicens: « aut sit paratus, ut similiter dampnetur, si ille postea de latrocinio convinctus fuerit », debemus intelligere de latrocinio postea perpetrato, quando eum in hospitio suscepit.

res, nisi illum hominem cognoscat qui ei vendidit, vel de quo pago est vel ubi manet aut quis est eius senior.

43 (45). Si quis periurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat nisi manum perdat. Et si ille qui prius illud sacramentum iurat de illo periurio probatus fuerit, et aliquis de suis iuratoribus dixerit, quod nesciens se ibidem periurasset, aut hoc apud iudicium Dei approbet verum esse, aut similiter manum perdat. De cuius causa periurium fecerit, sicut lex loci illius ubi periurium factum est a longo tempore fuit, de eorum precio emendare studeat *(C.* 43. 44. = *Capit. Haristall. a.* 779 *forma gloss. c.* 10. 11: *Legg. I,* 37).

44 (*Karol. M.* 65). De furto vel de minoribus causis instituimus, si ille homo cuius causa iurata fuerit dicere voluerit, quod ille qui iuravit se sciente periuravit, campo aut cruce contendat. Et si ille qui iuravit victus fuerit, quod se sciens periurasset, suprascriptae sententiae subiaceat. Et si ille qui crimina imposuerit alium periurium non approbaverit, legem suam contra quem periuratum esse dixit persolvat. De maioribus vero causis lex quam a longo tempore habuerunt observetur.

45 (*Karol. M.* 151). Ut de eo qui se periuraverit, postquam poenitentiam egerit, inculpabilis esse videatur (*Incertae originis*).

[CAPITULA LUDOVICI PII].

1. Si quis in aliena patria, ubi vel propter beneficium vel propter aliam quamlibet occasionem conversari solet, de qualibet causa fuerit interpellatus, ibi secundum suam legem iustitiam faciat et cum ta-

---

1. Hoc capitulum rumpit et affirmat Romanam legem. Affirmat de criminibus, quia, ubi solitus est conversari, ibi iustitiam faciat; dicit enim lex Romana (Cf. Cod. III, 15, 1), ut, quicumque de crimine pulsatus fuerit.. .., nulla differentia posita, utrum ibi sit solitus conversari vel non. Rumpit de contractibus, quia non appellavit eum domi neque ubi res sua est posita neque ubi contractum fecit, ut lex Romana precipit, si noluerit, sed in aliena patria, in qua conversari est solitus. Rumpit quoque Longobardam legem quae ostendit (Liutpr. 26. 27), quemlibet Longobardum nisi ante suum iudicem iustitiam debere facere, affirmat etiam per contrarium intellectum, quia Longobardus non faciet iustitiam ante extraneum iudicem si voluerit nisi conversari sit solitus. — § 2. Si aliquis emerit servum in aliena patria, et cartula inde facta fuerit, postea, eo revertente in eadem patria, heredes vendentis illum eundem servum ab illo repetierint, et ille cartulam venditionis a patre factam ostenderit, et falsa ab illis vocabitur, dubitatur, si cum his sacramentalibus, « quales ibi secum habere potuerit », iurare debeat, sed per capitulum Widonis quod est « De cartis » (Wid. 6),

libus, quales in eadem regione vel provintia secum habere potuerit. coniuratoribus legitimum sacramentum iuret, excepto si quis eum de statu suo vel de hereditate quam ei pater suus moriens dereliquit appellaverit: de his duobus liceat illi sacramentum in patria sua, id est in legitimo loco, sacramentum iurandum offerre, et is qui cum eo litigat, si velit, sequatur illum in patriam suam ad recipiendum ipsum sacramentum. Ipse tamen prius in eodem loco ubi est interpellatus satisfaciat tam comiti et iudicibus quamque adversario suo testes perducendum, quod rem quam ei quaerit pater suus illi dereliquit (*C.* 1. 2. = *Hludowici capitul. a.* 814 *vel* 815 *datum*, *c.* 2. 3: *Legg. I*, 84. 85).

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — Non tibi respondeo, quia ego sum de Roma. — Tu soles hic conversari propter beneficium. — Tunc comes inquirat, si solet conversari; et si comes vel noluerit vel non potuerit inquirere, tunc appellator probet, solitum esse eum hic conversari, et respondeat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus, aut tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris, et si me secutus fueris in patriam, ubi natus fui, respondebo tibi et satisfaciam legaliter. — Non debes tu hoc dicere, quia haec terra non pertinet tibi ha-

---

quia ibi legitur: « ut ostensor cartule valeat cartam veram et idoneam affirmare cum sex suis propinquis, et septimus sit ille, et quinque aliis quales voluerit, liberis tamen ». Huic tamen ita obicitur: legitur enim in capitulo « De cartis »: « secundum quod legitime iurare valeat », et actenus « legitime » iurare valebat cum talibus sacramentalibus quales habere poterat. Sed male dicis quia, si dicis: « cum talibus iuret quales habere potest », propter « legitime » dicam tibi, Romanum secundum Romanam legem iurare, quod usque modo iurabat legitime cum tribus testibus; et si eorum carta falsa vocabitur, cum tribus testibus illos iurare dicam. Et si dixeris michi: ita volo, quia capitulum istud, scilicet « De cartis », tantum est Longobardum, male dices, secundum quod in eodem capitulo dicturi sumus. — § 3. Capitulum hoc dicit: si controversia erit de statu vel de hereditate, quod debet offerre sacramentum deferendo testes quod pater eius sibi dereliquisset, cum in aliena patria interpellatus est. Modo vero, si aliquis aliquem appellaret de terra, et alter dixerit: « tibi respondere non debeo, quia pater eam michi dereliquit, et lex precipit, te debere sequi in patriam meam », cum facta fuerint quae supradicta sunt, actore autem veniente in patria illius, reus ibi testimonia detulerit, et actor contrarios dabit per capitulum Lodoyci quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15), et pugna victa fuerit ab actore vel a reo, quaeritur, quid inde esse debeat? Si reus vicerit, clarefactum erit, quod pater suus ei dereliquit; tunc actor appellat illum in eadem patria, quid patri pertinuerit. Et si actor vicerit, clarum est, reum periurum esse: debet ammittere manum per capitulum Pipini quod est « Si quis periurium fecerit » (Pipin. 43), et revertatur in actoris patriam unde venit, et ibi sit contentio, qui ad eum pertineat. Et si testes habere non potuerit, periurus est, et similiter in actoris patriam revertatur. — § 4. Si aliquis homo in aliena patria conversari solitus est, et aliquis eum appellavit, quod malo ordine de una petia de terra eum disvestisset, debet ibi pugna fieri; sed si terra ibi sita est, ibi duellum fiat, sin autem, apud suum iudicem revertatur. — § 5. Quod in hoc capitulo legitur, ut, si aliquis in aliena

bere per successionem patris tui. — Et ita probet; si vero probare non potuerit, sequatur illum in patria sua cum tali securitate per sacramentum, quod ille appellatus perducet sibi testes illic, quod illa terra pertineat recte sibi ex hereditate patris sui. Si vero probare non potuerit, tunc widrigild manus pro periurio tribuat, et revertatur ad priorem locum ubi appellatio prius fuit — similiter sit de statu, citra securitatem — et ibi res prius incepta lege finiatur.

2. Ut omnis solutio atque compositio, quae in lege Salicha continetur, intra Franciam per duodecim denarios solidus componatur: excepto ubi contentio inter Saxones et Frixones orta fuerit, ibi volumus, ut 40 denariorum quantitatem solidus habeat, quem aut Saxo aut Frixo ad partem Salicham, Francis cum eo litigantibus, solvere debeat, et ita sicut supra scriptum est componatur.

3 (18). Si duo testimonia de qualibet re testimoniaverint et inter se discordaverint, tunc comes eligat unum ex una parte et alium ex alia parte, ut illi duo discernant cum scutis et fustibus. Nam si flebiliores fuerint ipsi testes, tunc ad crucem examinentur. Nam si maioris aetatis sunt, quod non possint ad crucem stare, tunc mittant filios aut parentes aut qualemcumque hominem qui pro eis hoc contendant. Et ille qui de ipsa falsitate convictus fuerit dextram manum perdat (*Hludov. capitul. a.* 816, *c.* 1: *Legg. I*, 195).

---

patria de libertate sua fuerit interpellatus, liceat ei sacramentum in patria sua offerre, non est intelligendum, ut hoc sacramentum fiat, si appellator potuerit probare, quod ipse suus servus est; quia non est legitimum sacramentum, donec clarefactum fuerit, quia appellator minime probare potest suum servum esse. — § 6. Hoc capitulum precipit, ut cum talibus coniuratoribus, quales habere potuerit, legitimum iuret sacramentum. Sed non est ideo intelligendum, ut, si liberos sacramentales habere non potuerit, quod servos habere possit; quia in capitulo Lodoyci quod est « De liberis hominibus qui proprium non habent » (Lud. P. 64) sic legitur: « coniuratores tantum aliorum liberorum hominum ideo esse possunt, quia sunt liberi ». — § 7. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu fecisti iniuriam ad Mariam suam mundoaldam. — Non tibi respondeo, quia ego sum de Roma. — Tu soles hic conversari propter beneficium. — Tunc comes inquirat, si solet conversari; et si comes vel noluerit vel non potuerit inquirere, tunc appellator probet, solitum esse hic conversari, et respondeat. — § 8. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu es suus servus aut tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris, et si me secutus fueris in patriam ubi natus fui, respondebo tibi et satisfaciam legaliter. — Non debes tu hoc dicere, quia hec terra non pertinet tibi per successionem patris tui. — Et ita probet; si vero probare non potuerit, sequatur illum in patria sua cum tali securitate, id est per sacramentum, quod ille appellatus producet sibi testes illic, quod illa terra pertineat recte sibi ex hereditate patris sui. Et appellationes tali ordine fiebant secundum Walcausam.

2. Hoc capitulum in parte rumpit capitulum Caroli « De omnibus debitis solvendis » (Karol. M. 76), quia hic legitur, ut per 40 denariorum solidos omnem compositionem Saxo vel Frixo ad partem Sallicham persolvant, illic vero legitur, ut omnes compositiones, quas Saxo aut Frixo partem Sallicham componere debet, per 12 denariorum solidos componantur, excepto homicidio.

3. Capitulum hoc Lodoyci capitulo quod est « Si quis cum altero » (Lud. P. 15) affirmatur.

4 (5). Primum omnium placuit nobis, ut cartulae obligationis quae factae sunt de singulis hominibus, qui se et uxores et filios vel filias in servitio tradiderunt, ubi inventae fuerint, frangantur; et sint liberi sicut primitus fuerunt (*Capit. Karol. M. a.* 781, *c.* 1: *Legg. I*, 241).

5 (6). Si quis per cartulam ingenuus dimissus est et a quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suae libertatis proferat et in sua libertate perseveret. Si vero legitimus auctor defuerit, testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant quando liber dimissus fuerit, se defendere permittatur. Si vero testes defuerint, cum duabus aliis cartis quae eiusdem cangellarii manu firmatae sunt vel scriptae suam cartam, quae tertia est, veram et legitimam esse confirmet. Cangellarius tamen talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus fuisset et acceptus. Si vero qui interpellatus fuerit nec auctorem nec testimonia nec cartarum collationem ostendere potuerit, ipse qui eum interpellavit secundum legem ipsam cartam falsam esse faciat et servum suum conquirat. Si vero interpellator aut auctore aut testimonio aut cartarum collatione victus fuerit, et hoc quod voluit efficere non potuerit, multam quae in ipsa ingenuitatis cartula continetur cogatur exsolvere (*Incertae originis. Legg. I*, 196, *c.* 1).

6 (9. 10). Si quis ex levi causa aut sine causa hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint et unus alterum in aecclesia fugerit et ibi se defendendo eum interfecerit, si huius facti testes non habuerit, cum 12 iuratoribus legitimis per sacramentum affirmet, quod se defendendo eum interfecisset, et posthaec 600 solidos ad partem ipsius aecclesiae quam illo homicidio polluerat componat et insuper bannum nostrum solvere cogatur; is vero qui interfectus est absque compositione iaceat: ac deinde interfector secundum canonicum iudicium congruam facinori quod admisit poenitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, iudicio

---

5. Capitulum hoc in parte ruptum est a capitulo Widonis « De cartis etiam vel quibuscumque scriptionibus » (Wid. 6), quia si carta falsa clamata fuerit, non secundum istud capitulum vera clarefacta fuerit, sed secundum ipsum. — § 2. Capitulum hoc cum Caroli capitulo se concordat, ut retro dictum est, quod est « Si quis per cartam ingenuitatis » (Karol. M. 106). — § 3. Capitulum hoc, eo quod hic legitur: « mulctam que in ipsa carta continetur, exsolvere cogatur », a quibusdam dicebatur tantum esse Salicum, cum hodie non ponatur mulcta in carta ingenuitatis, nisi in carta Sallicha. Sed male dicebant, quia, licet hodie nisi in predicta carta multa non ponatur, tamen intelligendum est generale, quia de qualibet ingenuitatis carta loquitur; etenim tunc temporis quando hoc capitulum factum fuit in qualibet carta ingenuitatis mulcta ponebatur.

6. Hoc capitulum, dicens: « 600 solidos », ruptum est a Lotharii capitulo quod est « Si quis ex levi causa » (Loth. 58), quia aliam penam sustinere non debet ipse qui alium in ecclesia interfecit nisi ipsam quam predictum Lotharii capitulum precipit.

aquae ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset: et si manus eius exusta fuerit, interficiatur; si autem non fuerit, tunc dominus eius, iuxta quod widrigild illius est, ad aecclesiam persolvat aut eum, si voluerit, eidem aecclesiae tradat. De aecclesiastico et fiscalino et beneficiario servo volumus, ut pro una vice widrigild eius pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Haereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio aecclesiae, cuius porta reliquiis sanctorum consecrata est, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur; si vero porta aecclesiae non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, sicut componi debet quod in emunitate violata committitur (*C.* 6 — 27 = *Capitul. legibus add. a.* 817, *c.* 1-21: *Legg. I*, 210, *seqq.*).

7 (7. 8). Sanguinis effusio in aecclesiis facta cum furore, si in presbitero fuerit, in triplo componatur: duas partes eidem presbitero, tertiam pro fredo ad aecclesiam, et insuper bannum nostrum componat. Similiter de diacono iuxta compositionem eius in triplo cum banno nostro componatur. De subdiaconibus similiter secundum suam compositionem in triplo persolvatur. Et de unoquoque ordine clericorum secundum suam compositionem in triplo componatur et bannum nostrum. Similiter et de ictu sine sanguinis effusione de unoquoque ordine clericorum secundum suam compositionem in triplo componatur et bannum nostrum. Et qui non habet unde ad aecclesiam persolvat, tradat se in servitium eiusdem aecclesiae, usque dum totum debitum persolvat.

8 (11). De viduis et pupillis et pauperibus, ut, quandocumque in mallum venerint ante comitem, primo eorum causae audiantur et diffiniantur. Et si testes per se ad causas suas quaerendas habere non potuerint vel legem nescierint, comes illos vel illas adiuvet dando eis talem hominem, qui eorum rationem teneat vel pro eis loquatur.

9 (12). Qui viduam inter primos 30 dies viduitatis suae vel invitam

---

7. Sanguinis effusio hodie, ideo quia omnis ordo ecclesiarum secundum legem Romanam vivit (Lud. P. 53), extimabitur iniuria primum secundum Romanam legem, postea in triplo persolvitur, sicut hic precipitur. — § 2. Si ipse qui clericum in ecclesia plagaverit, unde compositionem faciat, non habuerit, primum in servitio clerici tradi debet (Cf. Liutpr. 151) et, postquam ei serviendo omne debitum persolverit, ecclesie tradi debet. Quod satis in hoc capitulo declaratur: quia, quando in servitio ecclesiae per hoc capitulum tradebatur, ad clericum compositionem fecerat, sicut potest videri cum dicitur: « duas partes eidem presbitero, tertiam pro fredo ad ecclesiam ».

9. In hoc capitulo legitur: « legem suam ei componat », id est 300 solidos, si vidua Longobarda

vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum id est 60 solidos in triplo componat. Et si invitam eam duxerit, legem suam ei componat, illam vero ulterius non attingat.

10 (13). Qui hominem publicam poenitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat et widrigild eius ad proximos parentes persolvat.

11 (14). Si quis res suas pro salute animae suae ad aliquem venerabilem locum vel ad propinquos suos aut cuilibet alteri tradere voluerit, et eo tempore infra ipsum comitatum fuerit in quo res illae positae sunt, legitimam traditionem facere studeat. Et si eodem tempore quo res illas tradere vult extra eundem comitatum fuerit, id est sive in exercitu sive in palatio sive in alio quolibet loco, adhibeat sibi de suis pagensibus vel de aliis qui eadem lege vivant qua ipse vivit testes idoneos; et si illos habere non potuerit, tunc de aliis quales ibi meliores invenire potuerit, et coram eis rerum suarum traditionem faciat et fideiussori investituram donet, ut ei qui illam traditionem accepit investituram faciat. Et postquam haec traditio ita facta fuerit, heredes illius nullam de praedictis rebus valeant facere repetitionem. Insuper et ipse fideiussor faciat eidem vestituram, ne heredi ulla occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuit, non ei hoc sit impedimento, sed co-

---

est, veluti Liuprandi lege que est « Si quis rapuerit qualemcumque feminam » (Liutpr. 30) precipitur. Si autem vidua Romana est, raptor omnem suam substantiam perdat, femina vero ipsam substantiam habeat, si ipsa non consenserit (Cf. Cod. IX, 13).

10. Quando hoc capitulum dixit: « bannum nostrum in triplo componat », noluit ut iste homicida omnem substantiam perderet, et sic in parte rumpit Liuprandi legem que est « Si quis liber homo se defendendo » (Liutpr. 20). Sed capitulum Lotharii quod est « De homicidio unde lex » (Loth. 92) in hoc rumpit capitulum et affirmat predictam Liuprandi legem.

11. In hoc capitulo legitur: « legitimam traditionem facere studeat », id est vadat super terram et eum inde investiat, sicut in lege Romanorum precipitur, et in presentia testium fiat. — § 2. Quando hoc capitulum precipit, ut, si ille qui res suas tradiderit extra eundem comitatum fuerit, investituram donet fideiussori, sine dubio declaravit, ut, si in suo comitatu esset, per semet ipsum super terram ambulare debeat eumque inde investire. — § 3. In hoc capitulo precipitur, « ut coheredes eius eam legem cum ipsa ecclesia de predicta hereditate habeant, quam cum illo coherede suo habere debuerunt. Et hoc observetur usque ad legitimos annos ». Si frater aut nepos suam partem ecclesie tradiderit et coheres eius eam partem per extimationem ad ecclesiam tribuerit, si contentio exinde postea venerit, dicat ecclesia possessionem 40 annorum simul cum extimatione, sicut debet dicere ipse qui ipsam terram ecclesie tradidit. Si autem hec terra divisa fuerit intra ecclesiam et coheredem, nulla computatio annorum interveniat, sed semper sortes stent et adequatio percurrat, quia inter fratres seu nepotes nulla annorum curricula conputentur, nisi de rebus indivisis. Si autem alius parens suam portionem ecclesie dederit, dicat ecclesia possessionem triginta annorum, si Longobardus fuerit qui tradiderit; si autem Romanus fuerit, dicat ecclesia usucapionem de annis 10 vel de 20, quia illic legitur: « coheres ipsam legem cum ipsa ecclesia habeat, quam cum illo coherede suo habere debuerit », id est, ut ecclesia dicat possessionem, sicut debuit dicere ipse, qui predictam rem ecclesie tradidit.

heres eius, si sponte noluerit, aut per comitem aut per missum eius distringatur ut divisionem cum illo faciat ad quem defunctus hereditatem suam voluit pervenire. Et si cuilibet aecclesiae eam tradere rogavit, coheres eius eam legem cum illa aecclesia de predicta hereditate habeat, quam cum alio coherede suo habere debuit. Et hoc observetur erga patrem et filium et nepotem usque ad annos legitimos: postea ipsae res ad emunitatem ipsius aecclesiae redeant.

12 (15). Quicumque hominem aut ex levi causa aut sine causa interfecerit, widrigild eius his ad quos ille legibus pertinet, componat. Ipse vero propter talem praesumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit, res suas tamen non amittat.

13 (16). In compositione widrigild volumus ut ea dentur quae in lege continentur, excepto accipitrem et spatam: quia propter illa duo aliquotiens periurium comittitur, quando maioris pretii quam illa sint esse iurantur.

14 (17). Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri eius aut ei

---

12. Hoc capitulum partim rumpit Liuprandi legem que est « Si quis liber homo se defendendo » (Liutpr. 20), iubentem ut homicida super alium ambulans hominem substantiam suam ammittat. Sed capitulo Lotharii quod est « De homicidio unde lex pro simplicitate » (Loth. 92) inde rumpit hoc capitulum, et predictam legem Liuprandi affirmat.

14. Hoc capitulum in parte rumpit capitulum Caroli quod est « De disponsatis puellis » (Karol. M. 122) quia illic legitur, ut sponsa reddatur sponso, et hic precipitur, ut patri reddatur. Sed capitula Lotharii (Loth. 84. 105) que incipiunt « Si quis sponsam alienam ipsa non consentiente » « De raptoribus vero » rumpunt hoc capitulum et predictum Caroli capitulum confirmant. Sed si quis ita legit hoc capitulum, videlicet ut dicat: « si quis alienam sponsam aut patri eius aut ei qui legibus defensor eius esse debet rapuerit, eam reddat » et cetera, nec rumpit predictum Caroli capitulum nec a predictis rumpitur capitulis. — § 2. Quod in hoc capitulo: « cum sua lege eam reddat », ad Rotharis legem quae est « Si quis puellam aut viduam sponsatam alterius rapuerit, sit culpabilis solidos 900 » (Roth. 191) referri putandum est. — § 3. Si pater vel alius defensor raptori semotim de unaquaque re compositionem quaesierit, similiter debet comes singulariter de unaquaque re freda nostra ab eo raptore requirere, et sine dubio hoc capitulum declarat istud cum dicit: « et quicquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat ». — § 4. Quod hic habetur: « secundum legem reddat », ita convenit intelligi, scilicet ut in nonum eam reddat, veluti Liuprandi lex que est « Si quis porcos » (Liutpr. 150) de re malo ordine abstracta loquitur. — § 5. Quod dictum est: nichil querere voluerit », ita exponitur: id est nichil querere potuerit, quia si « noluerit » proprie exponeretur, iam daret intelligi quod defensor eius, predictum raptum perpetrari consentiens, compositionem apud raptorem valeret exigere, quod iniquum esset. — § 6. Item quod hic scriptum est: « ab eo exactari faciat », secundum quosdam ita ponitur, videlicet ut dicatur: « ab eo, id est defensore, exactari faciat »; secundum vero alios: « ab eo, id est a raptore, exactari faciat » dicitur. — § 7. « Sponso vero legem suam componat » ita oportet intelligi, videlicet ut defensor componat suam legem id est duplam penam sponso, ut sua lex precipit que habetur in Rothare id est « Si pater filiam suam aut frater sororem suam vel aliquis » (Roth. 192); sed si sponsa que rapitur vidua fuerit, non ei duplam penam sed solam penam iuxta Liuprandi legem que est « Quicumque homo sub regni nostri dicione » (Liutpr. 15) defensor est compositurus. — § 8. Quod in hoc continetur capitulo: « aut in presentiam nostram comes eum venire faciat », dupliciter legitur. Quidam enim dicunt: comes eum, id est defensorem, venire faciat; alii autem: comes eum, id est raptorem, venire faciat. — § 9. Illud quoque quod sequitur: « et illam ei habere non liceat » dupliciter legitur. Dicitur enim: et illam ei, id est raptori, habere non liceat, quasi dicat, non liceat raptori eam in matrimonium ducere; vel aliter: et illam ei, id est defensori, habere non liceat,

qui legibus eius defensor esse debet cum sua lege eam reddat, et quicquid cum ea tulerit semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor eius perpetrare consenserit et ideo raptori nichil quaerere voluerit, comes singulariter de unaquaque re freda nostra ab eo exactare faciat; sponso vero legem suam componat et insuper bannum nostrum id est 60 solidos persolvat, aut in praesentiam nostram comes eum venire faciat, et quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat et illam feminam ei habere non liceat.

15 (3). Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, et testes contra eum per iudicium producti fuerint: si ille falsos eos esse suspicaverit, liceat ei alios testes quos meliores potuerit contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambae partes testium inter se ita dissenserint, ut nullatenus una pars alteri credere velit, eligantur duo ex ipsis, id est ex utraque parte unus, qui cum scutis et fustibus in campo decertent, utra pars falsitatem utra veritatem suo testimonio sequatur.

---

quod est dicere, nunquam amplius habeat eam sub mundio. Notandum est quoque, quod pars illorum qui dicunt: comes eum, id est raptorem, venire faciat, preposterato ordine hoc capitulum legit; legit enim illa prius hanc litteram que est: « aut in presentiam nostram comes eum venire faciat » et cetera, quam legat: « si hoc defensor eius perpetrari consenserit ».

15. In hoc capitulo legitur: « et testes per iudicium producti fuerint »; id est, ut veniant ipsi qui interfuerunt, si de wadia vel de alia convenientia intentio fuerit, veluti Liuprandi lex quae est « Si qualiscumque causa inter conlibertos aut parentes » (Liutpr. 8) et prima Rachis lex declarant, alios non posse adhiberi testes, nisi qui in convenientia fuerint; et separati veniant, ut in Caroli capitulo (Karol. M. 21) precipitur. Et si de alia causa intentio fuerit, veluti de probanda libertate seu servitio vel plaga vel homicidio seu et de quolibet maleficio, non requirantur testes qui interfuerunt, sed de ipso comitatu, sicut in hoc capitulo et in Caroli capitulis habetur, veluti in « De periuriis ut caveantur » (Karol. M. 21). — § 2. Hoc capitulum in parte rumpit leges Liuprandi (Liutpr. 8. 15) « Si qualiscumque causa inter conlibertos » et « Quicumque homo sub regni nostri dicione », et primam legem Rachis; quia illic legitur, ut in eorum testimonio ambe partes credant, et hic precipitur, ut ei liceat alios testes quos meliores potuerit contra eos opponere qui producti sunt. Sed ita salvari possunt, ut retro dictum est. — § 3. Quando hoc capitulum dixit: « dextra manus ei amputetur; caeteri redimant suas manus », declaravit, ut testimonium duorum nichil valeat; ideo in parte rumpit iam dictam Liuprandi legem quae est « Quicumque homo sub regni nostri dicione » (Liutpr. 15) Sed ita salvari potest ut retro dictum est. Et Liuprandi lex quae est « Si quis testimonium falsum » (Liutpr. 62) in parte rumpitur ab hoc capitulo, quia illic legitur, ut medietas widrigild prebeatur regi et medietas cuius causa fuerit, et hic precipitur, ut due partes ei contra quem testati sunt, tertia pro freda solvatur. — § 4. Caroli capitulum quod est « Ut episcopi abbates et comites » (Karol. M. 42) partim ab hoc capitulo rumpitur, ut retro dictum est; sed qualiter ab hoc capitulo rumpatur et salvetur, retro dictum est. — § 5. Per hoc capitulum possumus videre, si utraque parte seculare negotium vel altera parte seculare et altera ecclesiasticum fuerit, et testes producti fuerint, et testimonia data fuerint, quod se postea pacificare non possunt; quia, quando capitulum dicit, ut ecclesiae tantum inter se possent pacificare post data testimonia, bene claret, alios pacificare non posse. — § 6. Capitulum hoc ideo dixit: « et ibi legitimus terminus de eorum intentionibus imponatur », quia, si Longobardus est, dabitur ei spatium iuxta Rotharis legem quae est « Si quis alii pro quacumque causa wadiam et fideiussorem » (Roth. 362) usque ad 12 noctes, si Romanus, usque ad 20. — § 7. Ut quilibet iudex hac arte rudis ad huius artis notitiam magis promoveatur, quaedam appellatio constituatur et quod hic a magistris solet dici describatur. — Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu sponsasti sibi Mariam tuam

Et camphioni qui convictus fuerit propter periurium quod ante pugnam commisit dextra manus amputetur. Ceteri vero eiusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant: cuius compositionis duae partes ei contra quem testati sunt dentur, tertia pro fredo solvatur. Et in seculari quidem causa huiuscemodi testium diversitas campo comprobatur; in aecclesiasticis autem causis, ubi de una parte seculare de altera vero aecclesiasticum negotium est, idem modus observetur. Ubi vero ex utraque parte aecclesiasticum fuerit negotium, rectores earundem ecclesiarum, si se familiariter pacificare voluerint, licentiam habeant; si autem de huiuscemodi pacificatione inter eos conveniri non possit, tunc advocàti eorum in mallum publicum ad praesentiam comitis veniant, et ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur. Testes vero de qualibet causa non aliunde quaerantur nisi de ipso comitatu, in quo res illae unde causa agitur positae sunt; quia non est credibile, ut de statu hominis vel de possessione cuiuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat

---

filiam et dedisti eam alteri ad coniugium ante duos annos; unde tuo iudici presentialiter conqueritur, ut exinde ei iustitiam facias. — Non sponsavi tibi filiam meam. — Potes sibi probare? — Possum. — Da wadiam de probare: tu, da wadiam de placito, si potes, et de contra. — Sed iuxta quas leges hoc fieri debeat, non est postponendum: per legem igitur Rotharis que est « Si quis res suas ab alio in exercitu » (Roth. 25) et per Liuprandi legem que est « Si quis causam habuerit » (Liutpr. 25) et per legem Rachis que est « Cognovimus enim » (Rach. 6) et per Pipini capitulum quod est « De universali quidem populo » (Pipin. 7) ipsi iudici suo conqueritur, ut ei iustitiam faciat. In illis enim legibus optime declaratur, quemlibet causam suam debere iudici suo dicere, ut ei iustitiam faciat. Comes vero per Caroli capitulum quod est « Ut comites pleniter iustitiam diligant » (Karol. M. 58), ei iustitiam deberet facere. Per capitulum autem Octonis quod est « Cotidie contra leges agitur » (Ott. III, cap. unic.) iudex causam cuiuslibet potest agere. Wadia de probare datur per legem Rotharis quae est « Si quis alii wadiam et fideiussorem de sacramento dederit » (Roth. 361), quia, qui dat wadiam de probare, dat wadiam de sacramento, cum testes iurare debeant. Wadia de contra datur per hoc capitulum, quia hic legitur: « liceat ei alios testes quos meliores potuerit contra eos opponere ». Data wadia de probare, probator post wadimonium habeat inducias, si necessitas fuerit, si Longobardus est, 12 noctes per Rotharis legem quae est « Si quis alii pro quacumque causa wadia et fideiussorem » (Roth. 362) ceteri vero secundum suam legem, veluti Romanus 20 dies habeat indutias. Et cum venerit dies probandi, iudex debet rememorare causam illam per primam Rachis legem hoc modo: Domne comes, tali die appellavit Petrum Martinus, quod Petrus spopondit filiam suam sibi, et Petrus negavit, se sponsavisse sibi filiam suam, et Martinus dedit wadimonium de probare, et modo est paratus cum testibus et testium laudatoribus. Laudatores testium habere debet Liuprandi lege que est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8) et per capitulum Caroli quod est « Volumus etiam atque iubemus, ut comites et eorum iudices » (Karol. M. 66). Predicta enim lex, dicens: « testes vero ipsi tales sint, ut eorum opinio in bonis precellat operibus et quorum fides ammittatur, id est quibus princeps aut iudex credere possint », et predictum capitulum, dicens: « sed tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses », declarat, testes laudatores habere debere. Et cum testibus et laudatoribus adstantibus ibi interrogetur adversarius, antequam testes laudantur, si vult aliquem testium criminari. Criminari eum potest, si voluerit, per capitulum Lotharii quod est « Si quis aliquem de aliquo mallaverit » (Loth. 78) quia ibi legitur: « crimina vero, si super eum imponere voluerit pro dilatanda iusticia, probare cogatur ». Si dixerit: « nolo », tunc interrogetur unusquisque laudatorum, quid sapiat de testibus; et tunc unus dicat ita: « hoc sapio, quod Paulus et Iohannes et Albertus liberi homines sunt, et widrigild habent, vel in auro vel alodio et aliis rebus, et testimo-

quam per illos qui viciniores sunt. Si tamen contentio quae inter eos orta est in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat ei de vicina centena adiacentis comitatus ad causam suam testes habere.

Petre, te appellat Martinus, quod tu sponsasti sibi Mariam tuam filiam et dedisti eam alteri ad coniugium ante duos annos (Roth. 178). — *Non sponsavi tibi meam filiam.* — *Potes sibi probare?* — *Possum.* — *Da vadia de probare; et tu, da vadia, si potes, de placito* — *et de contra. Et tunc probator post vadimonium habeat inducias, si necessitas fuerit: si Longobardus est, 12 noctes* (Roth. 362), *ceteri vero secundum suam legem. Et cum venerit dies probandi, dic: Domne comes, tali die Martinus appellavit Petrum, quod Petrus spopondit sibi filiam suam; et Petrus negavit, se sponsavisse sibi filiam suam; et Martinus dedit vadimonium de probare, et modo est paratus cum testibus et testium laudatoribus. Tunc testibus et laudatoribus adstantibus ibi interrogetur adversarius, antequam testes laudentur, si vult aliquem testium criminari; si dixerit:*

---

nium bene possunt dare »: ceteri vero similiter dicant. Testes liberos esse dicit per primam Rachis legem, que dicit: « stantia que ante tres liberos homines fit stare debet », et per Lotharii capitula (Loth. 64. 78) que sunt « De liberis hominibus qui proprium non habent », « Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio », que optime declarant, testes liberos esse debere; widrigild eos habere dicit per Lotharii capitulum quod est « Ut in testimonium non recipiantur » (Loth. 27); « testimonium bene possunt dare » dicitur tantum per usum. — Testes deinde separentur per Caroli capitula (Karol. M. 21. 50) que sunt « De periuriis ut caveantur » « Ut testes », et separatim tam a iudice quam a comite per Caroli capitulum quod est « Volumus etiam atque iubemus, ut comites et eorum iudices » (Karol. M. 66) inquirantur, quid inde sapiant. — Et testimonium uniuscuiusque testis separatim scribatur iuxta Novellarum legem que est « Si testes producti fuerint » et cetera (Iulian. Nov. 83, 4). Et si dicat unusquisque testis de una parte : « hoc sapio et illic fui, quod Petrus sponsavit Mariam filiam suam ad Dominicum » per Novellarum legem constitutionum que est « Nullius testimonium » et cetera (Iulian. Nov 83, 1), et per Liuprandi legem que est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8). De una parte, si inter se dissenserint, illorum testimonium non recipiatur, sed per usum ille cuius testes fuerint litem debet perdere et unusquisque testium illorum pro redemptione manus widrigild debet componere: si vero non dissenserint, scribatur eorum testimonium, ut supra diximus. Tunc adversarius interrogetur, si illi testes nec boni nec veri sint nec receptibiles, vel si habeat meliores quos velit contra illos opponere? Si dixerit: « illi testes nec boni nec veri sunt nec receptibiles, et ego habeo meliores quos velim contra eos opponere », tunc eius testes separati et laudati, ut supra diximus, producantur; et unusquisque testis ex alia parte dicat: « hoc sapio, quod Petrus non sponsavit filiam suam Mariam ad Dominicum ». Et ita ut nullus eorum iuret, eligat unum ex una parte et ex altera alterum comes, ut pugnetur; et antequam bellum suscipiant, iuret uterque: « illud testimonium, quod ego, Paulus et Iohannes et Albertus dedimus, verum testimonium ». Et camphioni cadenti dextra manus incidatur, ceteri vero eiusdem partis testes manum redimant; conductor iuxta Liuprandi legem que est « Si quis testimonium falsum contra quemcumque » (Liutpr. 62) widrigild suum tribuat. Si vero adversarius dixerit: « illi testes boni et veri sunt et receptibiles, nec ego habeo meliores testes quos velim contra eos opponere », firmatur res ita, et iurent testes, unusquisque ita: « hoc sapio et illic fui, quod Petrus sponsavit Mariam filiam suam ad Dominicum, si Deus ». — Conductor hoc: « quod Paulus et Iohannes et Albertus iuraverunt, verum iuraverunt, si Deus ». Sacramentum hoc conductoris sit per exemplum legis Liuprandi que est « Si qualiscumque causa inter conlibertos » (Liutpr. 8). Sed secundum valentes non sit nisi pro testimonio testium stantie. Et facta probatione res vincatur et pena secundum malum solvatur.

« nolo », tunc interrogetur unusquisque laudatorum, quid sapiat de testibus. Et tunc unus dicat ita: « hoc sapio, quod Paulus et Iohannes et Albertus liberi homines sunt, et suum widrigild habent, vel in puro alodio, vel alodio et aliis rebus, et testimonium bene possunt dare ». Ceteri duo similiter dicant. Et testimonium uniuscuiusque testis separatim scribatur. Et sic dicat unusquisque testis de una parte; hoc sapio, et illic fui ego, quod Petrus sponsavit Mariam suam filiam ad Dominicum ». Tunc adversarius interrogetur, si illi testes nec boni nec veri sunt et receptibiles, vel si habet meliores, quos velit contra illos opponere. Si dixerit: « illi testes nec boni nec veri sunt nec receptibiles, et ego habeo meliores quos velim contra eos opponere », tunc eius testes separati et laudati, ut superius diximus, producantur; et unusquisque testis ex alia parte dicat: « hoc sapio quod Petrus non sponsavit Mariam suam filiam ad Martinum ». Et ita ut nullus eorum iuret, eligat unum ex una parte et ex altera alium comes, ut pugnent; et antequam bellum incipiant, iuret uterque: « illud testimonium, quod ego, Paulus et Iohannes et Albertus dedimus, verum testimonium dedimus ». Et camphioni cadenti dextra manus incidatur, ceteri vero eius partis testes manus unusquisque redimat; conductor widrigild suum tribuat. Si vero adversarius dixerit: « illi testes boni et veri sunt et receptibiles, nec ego habeo meliores testes quos velim contra eos opponere », firmatur res ita, et iurent testes, unusquisque ita: « hoc sapio et illic fui ego, quod Petrus sponsavit Mariam suam filiam ad Martinum, si Deus ». Conductor hoc: « quod Paulus et Iohannes et Albertus iuraverunt, verum iuraverunt, si Deus ». Et sacramentum hoc conductoris fit per legem « Si qualiscumque » (Liutpr. 8). *Sed secundum valentes non sit, nisi pro testimonio testium stantiae. Et facta probatione res vincatur, et poena secundumm alum solvatur.*

16 (20). Si cuiuscumque hominis proprietas ob crimen aliquod ab

---

16. Capitulum hoc a Lotharii corroboratur capitulo quod est « De hominibus qui in alienam potestatem mobilem suum » (Loth. 25) dicente: « si vero venire contempserit, secundum capitulare domni ac genitoris nostri de eorum rebus agatur ». — § 2. Si alicuius hominis res in banno fuerint missae et ipse res ipsas vendiderit, antequam annus et dies transierit, non est intelligendum, ut venditio valeat vel alia alienatio, quia hic precipitur, ut post anni spatium et diei fisco societur, si venire distulerit. — § 3. Seniores, comes hoc dicit Petrus, quod, postquam ille tenuit placitum in hoc comitatu, iam per plures vices venit reclamatio de Martino de scachis de furto et de alia malitia, unde ipse per plures vices sibi mandavit per missum et epistolas, ut ad placitum suum veniret et iustitiam faceret illis, qui super se reclamarent, et ipse venire noluit. Propter hoc sit vobis notum, quod ipse vult omnes suas proprietates in bannum mittere. — Dicitis vos ita, domne comes? — Dico. — Per istum fustem et istum guantonem mitto omnes res de Martino in banno. — Praecipite fieri notitiam. — § 4. Domne comes, hoc dicit Martinus, quod audivit dicere, quod vos

eo commissum in bannum fuerit missa et ille re cognita iusticiam facere venire distulerit annoque ac die in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non adquirat, sed ipsa fisco nostro societur. Debitum vero, quod is cuius ea fuit solvere debuit, per comitem ac ministros eius iuxta aestimationem damni de rebus mobilibus quae in eadem proprietate inventae fuerint his quibus debitor ipse fuit exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non suffecerit, de immobilibus suppleatur, et quod superfuerit, sicut dictum est, fiscus noster possideat; si nichil super compositionem remanere potuerit, totum in illa expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium suum divisum habuit, convocet eos comes et cum eis legitimam divisionem faciat, et tunc, sicut iam dictum est, partem eius fisco nostro addicat et compositionem de ea proprietate iuxta modum superius comprehensum his ad quos illa legibus pertinet exsolvat. Quod si non de aliis rebus, sed de ipsa proprietate quae in bannum missa fuit ac per hoc in nostra potestate redacta est, fuerit interpellatus, comes, in cuius ministerio eam esse constiterit, hoc ad noticiam nostram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quae secundum supradictum modum in nostrum dominium redacta est, per praeceptum nostrae auctoritatis in illius hominis potestatem qui eam quaerebat, si suam esse debet, faciamus pervenire. Et si eam quicumque ad suam proprietatem pertraxerit, liceat ei per suum sacramentum habere: et si exinde postea convictus fuerit, dextra manus eius amputetur.

Seniores, hoc dicit comes, quod, postquam ille tenuit placitum in

---

misistis omnes res suas in bannum propter hoc, quod per plures vices venit ad vos de illo reclamatio de furto et de alia malitia; et vos per plures vices mandastis, quod ad vestrum placitum veniret et illis faceret iustitiam, et ille venire noluit; et non sunt nisi tres menses: et modo est paratus in vestra presentia reclamantibus de se iustitiam facere, vestramque postulat misericordiam, ut res suas de banno abstrahatis. — Tunc per usum det wadimonium comiti, ut faciat legem reclamantibus. Et post comes dicat: « per istum fustem et istum guantonem tollo omnes res eius de banno ». — Precipite fieri notitiam. — § 5. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod tu tenes terram sibi malo ordine in tali loco ad partem publicam, unde ipse advocatus est. — Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris, et ad partem pubblicam quid pertinet? — Tue res fuerunt misse in bannum, et ecce cartula notitie. — Falsa est ipsa notitia. — Tunc qui falsam notitiam vocat interrogetur, quomodo vult ut clarefacta fiat. Si responderit: « vel per capitulum Widonis vel per bellum », sit ut dicturi sumus (Wid. 6. Ott. I, 1). Si dixerit: « ecce notitiam, quando meae res fuerunt tractae de banno », tunc advocatus aut dicat falsam notitiam aut taceat. Et si falsam dixerit, sic sit ut dicturi sumus. Si dixerit: « ego non feci illud quod in notitia legitur », probet advocatus; et si non potuerit, ipse iuret. Si dixerit: « non est michi notum », probet advocatus. Si dixerit: « non est transactus annus », iudices videant in notitia. Si dixerit: « non me distuli venire per totum annum », probet advocatus; et si non potuerit, ipse iuret. In omnibus istis probationibus, si dare adversarius contra voluerit, sit ut superius (Lud. P. 15) diximus. — § 6. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes ei malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est, et ecce preceptum quod fecit michi imperator. — Quid pertinuit ad imperatorem? — Mee res fuerunt miss-

isto comitatu, iam per plures vices venit reclamatio ad se de Martino de Fabiis de furto et de alia malitia, unde ipse plures per vices sibi mandavit missos et epistolas, ut ad placitum suum veniret et iustitiam faceret illis, qui supra se reclamarent, et ipse venire noluit. Propter hoc sit vobis cognitum, quod ipse vult omnes suas proprietates mittere in bannum. — Dicitis vos ita, domne comes? — Sic dico. Per istum fustem et istum wantonem mitto omnes res de Martino in banno. — Praecipite fieri notitiam.

Contraria: Domne comes, hoc dicit Martinus, quod ipse audivit dicere, quod vos misistis omnes suas res in banno propter hoc, quod per plures vices venit reclamatio de illo ad vos de furto et de alia malitia; et vos plures vices ei mandastis, quod ad vestrum placitum veniret et illis iustitiam faceret, et ille venire noluit; et non sunt nisi tres menses: et modo est paratus in vestra praesentia ad faciendam iusticiam omnibus qui se reclamant super se, et vult, quod vos propter Deum, et animam regis mittatis suas res foras de banno. — Tunc per usum dat vadimonium comiti, ut faciat legem reclamantibus. Et post comes dicit: « per istum fustem et istum wantum tollo omnes res eius de banno ». — Precipite fieri notitiam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco ad partem publicam, unde ipse est advocatus. — Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris, et ad partem publicam quid pertinet? — Tuae res fuerunt missae in bannum, et ecce cartula notitiae. — Falsa est ipsa notitia. — Tunc

---

in bannum per crimen. Et tibi quid pertinuerunt, antequam tue res fuissent misse in bannum? — Per successionem mei patris. — Potes tu probare, quod, postquam imperator tibi dedit, quia imperator infra hoc quod tuae res fuerunt missae in bannum, et quod pater tuus per 30 annos habeatis terram ipsam possessam? — Possum. — Da wadimonium de probare, et tu, da wadimonium de placito et contra, si potes. — Et sic dicat unisquisque testis ex una parte: « hoc sapio, quod ipse Martinus, postquam imperator sibi dedit, et quod imperator et infra hoc quod Martini res fuerunt misse in bannum, et quod Martinus, antequam suae res fuissent misse in bannum, et quod pater suus per 30 annos habuerint ipsam terram possessam ». Et unusquisque testis ex alia parte dicat: « hoc sapio, quia Iohannes fuit investitus ad proprium de ipsa petia de terra infra illos 30 annos ». Ita tamen, ut sint laudati, et iurent, et omnis res vadat ut superius diximus. — § 7. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Imperator michi fecit preceptum de ipsa terra. — Et quid pertinuit ad imperatorem? — Res de Petro fuerunt misse in bannum. — Quid pertinuerunt ad Petrum? — Per successionem sui patris. — Potes tu probare, quod tu, postquam imperator tibi dedit, quod imperator infra hoc, quod res de Petro fuerunt misse in bannum, quod Petrus, antequam sue res fuissent misse in bannum, et quod pater eius per 30 annos possessam habeatis? — Si responderit: « possum », probet et habeat. Si vero adversarius dare contra voluerit, det, et sit ut superius diximus. Si vero responderit: « non possum probare », tunc interrogetur adversarius, si potuerit probare, se fuisse investitum de illa terra infra 30 annos ad proprium. Si vero dixerit: « non », tunc ille alter iuret cum suis sacramentalibus, suam possessionem esse.

qui notitiam vocat falsam interrogetur, quomodo vult ut clarefacta fiat. Si responderit: « vel per capitulum Widonis vel per bellum », sit ut dicturi sumus (Wid. 6. Ott. I, 1). *Si dixerit: « ecce notitiam, quomodo meae res fuerunt tractae de banno », tunc advocatus aut dicat falsam notitiam, aut taceat. Et si falsam dixerit, sit ut dicturi sumus. Si dixerit: « ego non feci ipsum malum quod legitur in notitia », probet advocatus; et si non potuerit ipse iuret. Si dixerit: « non michi fuit cognitum », probet advocatus. Si dixerit: « non est transactus annus », iudices videant in notitia. Si dixerit: « non me distuli venire per totum annum », probet advocatus, et si non potuerit, ipse iuret. Et in omnibus istis probationibus, si dare adversarius contra voluerit, sit ut superius* (Lud. P. 15) *diximus.*

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est; et ecce praeceptum quod fecit michi imperator. — Quid pertinuit ad imperatorem? — Meae res fuerunt missae in bannum per crimen. — Et tibi quid pertinuerunt antea quam tuae res fuissent missae in bannum? — Per successionem mei patris. — Potes tu probare, quod tu, postquam imperator tibi dedit, quod imperator infra hoc quod tuae res fuerunt missae in bannum, et quod pater tuus per 30 annos habeatis terram ipsam possessam? — Possum. — Da vadimonium de probare, et tu, da vadimonium de placito, et contra, si potes. — Et sic dicat unusquisque testis ex una parte: « hoc sapio, quod ipse Martinus postquam imperator sibi dedit, et quod imperator infra hoc quod res Martini fuerunt missae in bannum, et quod Martinus antequam suae res fuissent missae in bannum, et quod pater suus per 30 annos habent possessam ipsam terram ». Et unusquisque testis ex alia parte dicat: « hoc sapio, quod Iohannes fuit investitus ad proprium de illa petia de terra infra illos 30 annos ». Ita tamen, ut sint laudati et iurent, et omnis res vadat, ut superius (Lud. P., 15) *diximus.*

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Imperator michi fecit preceptum de ipsa terra. — Et quid pertinuit ad imperatorem? — Res de Petro fuerunt missae in bannum. — Quid pertinuerunt ad Petrum? — Per successionem sui patris. — Potes tu probare, quod tu, postquam imperator tibi dedit, quod imperator infra hoc, quod res de Petro fuerunt missae in bannum, quod Petrus, antequam suae res fuissent missae in

bannum, et quod pater eius per 30 annos possessam habeatis? — Si responderit: « possum », probet et terram habeat. Si vero adversarius dare contra voluerit, det, et sit ut superius diximus. Si vero responderit: « non possum probare », tunc interrogetur adversarius, si potuerit probare, se fuisse investitum de illa terra infra 30 annos ad proprium. Si vero dixerit: « non », tunc ille alter iuret cum suis sacramentalibus, suam possessionem esse.

Et ita secundum quosdam est placitum.

17 (19). Si quis de statu suo id est de libertate vel de hereditate compellendus est, iuxta legis constitutionem manniatur: de ceteris vero causis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur sed per comitem banniatur. Et si post unam et alteram comitis ammonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus eius in bannum missis venire et iustitiam facere compellatur.

18 (21). Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commiserit, comes in cuius ministerio res perpetrata est et compositionem solvere et faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est aut ille qui homicidium commisit aut is qui compositionem suscipere debet, faciat illum qui ei contumax fuerit ad nostram praesentiam venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi castigetur, ut comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, et maius damnum inde non accrescat.

19 (22). Ibi sacramenta iuranda sunt, ubi antiquitus fuit consuetudo sacramenta arramire vel iurare, et ibi mallum habeant et ibi sacramenta iurent. Mallus tamen neque in aecclesia neque in atrio eius habeatur: minora vero placita comes sive intra suam potestatem vel ubi impetrare potuerit habeat.

20 (22). Volumus utique, ut domus a comite in loco ubi mallum

---

17. Hoc capitulum usque « de ceteris vero causis » tantum Sallichum, quod videtur per hoc quod dicit: « manniatur »; et dicens: « iuxta legis constitutionem » Caroli capitulum quod est « De mannire vero, nisi de ingenuitate » (Karol. M. 77) commemorat. — § 2. Quidam dicebant, si quis de contractu de qualibet re appellatus fuerit et iustitiam reddere noluerit, ut res ipsius in bannum mittatur per predictum capitulum. Sed male dicebant, quia predictum capitulum non loquitur nisi de crimine, sed iuxta capitulum non possumus dicere, ut pro omni re alicuius res in bannum mittatur, si iustitiam reddere noluit, ideo quod dicit: « si post unam et alteram comitis ammonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus eius in bannum missis venire ad iustitiam facere compellatur ». Sed he res non transactabuntur, nisi pro crimine in bannum misse sunt.

18. Capitulum hoc Lodoyci quod est « De nova moneta et falsa dicimus » (Lud. P. 38), dicens: « et de faydis pagandis », commemorat.

19. Hoc capitulum in parte rumpit Caroli capitula (Karol. M. 36. 118), que sunt « Omne sacramentum in ecclesia », « Ut placita publica vel secularia », ut retro dictum est.

tenere debet constituatur, ut propter calorem solis et pluviam publica utilitas non remaneat.

21 (23). Si quis liber homo de furto accusatus fuerit et res proprias habuerit, in mallo ad praesentiam comitis se adremiet; et si res non habuerit, fideiussorem donet, qui eum adramire et in placitum deduci faciat. Et liceat ei prima vice per sacramentum secundum legem se idoniare, si potuerit; et si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto et fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus eius pro eo emendet aut cum sacramento excuset, se tale furtum perpetratum non habere, propter quod ad supplicium tradi debeat.

22 (24). Si quis litteras nostras dispexerit, id est tractorias quas propter missos recipiendos dirigimus, aut honorem quem habet amittat, aut in eo loco ubi praedictos missos suscipere debuit tamdiu resideat et de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat, quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero epistolam nostram quocumque modo dispexerit, iussu nostro ad palatium veniat et iuxta nostram voluntatem congruam suae stulticiae castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis comitis hoc fecerit, honorem, qualemcumque habuerit, sive beneficium amittat: et si servus fuerit, nudus ad palum vapulet et caput eius tondeatur.

Petre, te appellat domnus noster imperator, quod tu habuisti suas litteras in dispectione, quas propter missos suos recipiendos tibi mittebat.

Petre, te appellat imperator aut eius advocatus, quod tu habuisti epistolam illius domni imperatoris in dispectione. — Non feci. — Ergo exdic te solus. — Poena est, ut aut honorem perdat, aut suscipiat legationem ex parte regis in loco, ubi praedictos missos suscipere debuit, aut ad satisfactionem animo eiusdem regis, aut ad palatium vadat, et iuxta voluntatem regis castigationem suscipiat, et ut in lege est.

23 (25). De iniustis toloneis et consuetudinibus, ut ubi tempore avi nostri Pipini consuetudo fuit toloneum dare, ibi et in futuro detur: nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ubi necesse

---

22 Lex Rachis, que est « Si quis Longobardus qualemcumque hominem » (Rach. 3) in parte rumpitur ab hoc capitulo, quia, si ipse Longobardus epistolam despexit, non per ipsam legem, sed per hoc capitulum penam sustinebit; sed ita salvari potest, ut retro dictum est. — § 2. Capitulum Lodoyci quod est « De nova moneta et falsa diximus et de despectu litterarum » (Lud. P. 38) hoc capitulum commemorat.

non est fluvium aliquem transmeare ad pontem, vel ubi navis per mediam aquam aut sub ponte perrexerit et ad ripam non appropinquaverit, neque ibi aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulterius toloneum non detur. Et nemo cogatur ad pontem ire, ubi iuxta pontem aquam transmeare potest. Et qui ulterius in talibus locis vel de his qui ad palatium sive in hostem pergunt toloneum exactaverit, cum sua lege ipsum toloneum reddat et nostrum bannum id est 60 solidos componat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu malo ordine tulisti sibi solidos 6 toloneum illic, ubi non fuit rectum aut antiqua consuetudo, aut quod sibi pergenti ad palatium, vel in hostem, toloneum abstulisti 10 solidos. — De torto. — Da sibi vadimonium, si te recordatus fueris, ut ei illud toloneum secundum suam legem emendes, sin autem, ut te exdicas secundum tuam legem.

Cuius placiti sacramenta sunt, appellatoris: « de hoc quod te appellavi, de torto te non appellavi me sciente, si Deus »; rei: « de hoc quod tu me appellasti, de torto me appellasti, si Deus ». — Poena est extra toloneum cum sua lege banni solutura.

24 (26). Quicumque liber homo denarium et merum et bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est 60 solidos, componat. Si vero aecclesiastici servi aut comitum vel vassallorum nostrorum hoc facere praesumpserint, 60 ictus accipiant; aut si magister eorum aut advocatus, qui liber est, eos vel comitis vel missi nostri iussu praesentare noluerit, praedictum bannum, 60 solidos, componat.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu noluisti recipere denarium merum et bene pensantem.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Iohannes servus ecclesiae sancti Syri, unde tu es advocatus, aut servus tuus noluit recipere denarium merum et bene pensantem.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu noluisti praesentare ad iussum comitis servum ecclesiae sancti Syri, unde tu es advocatus, qui noluit recipere denarium merum et bene pensantem.

25 (27). De falsa moneta iubemus, ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus eius amputetur. Et qui hoc consenserit, si liber est, 60 solidos componat, si servus, 60 ictus accipiat.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu battisti falsam monetam, aut consensisti.

26 (28). Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quaerenti reddiderit sine nostra iussione, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicumque scienter illud per malum ingenium adquirere temptaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis quod nobis promisit irritum fecit, et ideo secundum nostram voluntatem et potestatem diiudicandus est.

27 (29). Si quis puerum invitis parentibus totonderit aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, aut ipsi puero vel puellae, si iam suae potestatis sunt, aut illi in cuius potestate fuerint. Illi vero potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant qualis eis placuerit.

Petre presbiter cum Iohanne tuo advocato, hoc te appellat Martinus Salichus, quod tu filium suum Iacobum puerum totondisti, aut Albergam puellam suam filiam se invito velasti. — De torto. — Da sibi vadimonium cum tuo advocato, si te recordatus fueris, ut emendes; sin autem, ut tuus advocatus exdicat te secundum tuam legem.

28 (30). Si mancipia de domino suo fugerint in alienam potestatem, ut propter hoc nullum praemium recipiat ille in cuius potestate inventa fuerint, pro eo quod ea reddiderit vel foras eiecerit. Et non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere nec foras eicere voluerit et legitimo domino ea contradixerit, et illa postea inde effugerint, secundum legem ea solvere cogatur (*C.* 28 — 33 = *Capit. per se scrib. a.* 817, *c.* 1. 2. 4 — 6. 8: *Legg. I*, 214. 215).

Petre, te appellat Martinus Longobardus, quod unum suum mancipium fugit in tuam potestatem, et tu noluisti illud sibi reddere nec a tua potestate illud foras eicere, et interea fugit de tua potestate et illud perdidit.

---

26. Quod in hoc capitulo habetur: « aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat », ita oportet intelligi, videlicet ut duplum sibi nonum componat, sicut Liuprandi lex precipit que est « Si quis gastaldius vel actor qui curtem regis » (Liutpr. 58).

27. Quod in hoc capitulo habetur: « legem suam in triplo componat », ad has Salice leges (Lex Sal. em. XXVI, 2. 3) que sunt « Si quis puerum crinitum totonderit sine voluntate parentum solidos 45 culpabilis iudicetur », « Si vero puellam velaverit, solidos 62 culpabilis iudicetur » referendum esse, non est dubium; et ideo capitulum tantum esse Salichum dicitur.

28. Capitulum hoc, pro eo quod mancipia reddiderit prohibens aliquod premium recipi, Rotharis legem que est « Si liber aut servus velit foris provinciam » (Roth. 264), Liuprandi legem quae est « Si servus fugax aut homo advena » (Liutpr. 43) partim rumpit, quia illic precipitur, ut duo solidi pro eo quod ea mancipia reddiderit dentur. — § 2. Capitulum hoc, dicens: « secundum legem ea solvere cogatur », Rotharis leges (Roth. 270. 271) que sunt « Si ille post quem mancipium alienum fugierit » « Si mancipium cuiuscumque in curtem regis confugium fecerit » corroborat.

29 (31). Quicumque terram tributariam unde tributum ad partem nostram exire solebat vel ad aecclesiam vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam suscepit tributum quod exinde solebat solvere omnimodis ad partem nostram solvat, nisi forte talem firmitatem habeat de parte nostra, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.

30 (32). Si quis terram censualem habuerit, quam antecessores sui ad aliquam aecclesiam vel ad villam nostram dederint, nullatenus eam secundum legem tenere potest, nisi ille voluerit ad cuius potestatem illa aecclesia vel illa villa pertinet, nisi forte filius eius aut nepos sit, qui eam tradidit, et ei eadem terra nostra ad tenendum placita sit. Sed in hac re considerandum est, utrum si ille qui eam tenet dives aut pauper sit, et utrum aliud beneficium habeat vel etiam proprium. Et qui eorum neutrum habuerit, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto dispolietur ut in egestatem incidat: aut talem censum inde persolvat, qualis ei fuerit constitutus, vel portionem inde aliquam in beneficio accipiat, unde se sustentare valeat.

31 (*Lud. P.* 33 *et Loth.* 42). De nonis et decimis considerandum est, ut de frugibus terrae et animalium nutrimine persolvantur. De opere vero vel restauratione aecclesiarum comites et episcopi seu abbates una cum misso nostro quem ipsi sibi ad hoc elegerint considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiant ad operandum et restaurandum, quantum ipse de rebus aecclesiarum habere cognoscitur. Similiter et vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum aecclesiarum habent — vel unusquisque per se iuxta quantitatem quam ipse tenet, — aut, si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, iuxta aestimationem operis in argento persolvant, cum quo precio rector aecclesiae ad praedictam restaurationem operarios conducere et materiam emere possit. Et qui nonas et decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat et insuper bannum no-

---

30. Quod in hoc capitulo habetur: « nullatenus eam secundum legem tenere potest », ad nullam legem preter istam refertur: — § 2. Eo quod hic habetur: « et ei, scilicet filio vel nepoti, eadem terra nostra ad tenendum placitum sit », id est conventum, dicitur, quod si ille, ad potestatem cuius ecclesia vel villa illa pertinet, pepegisset alii parenti quam nepoti vel filio illius, qui eam dedit terram illi ad tenendum, tamen eam tenere non potest, nisi ei placuerit, ad cuius potestatem ecclesia aut villa pertinet.

31. Capitulum hoc cum Caroli capitulis (Karol. M. 61. 60) quae sunt « Et vos episcopi qui in omnibus nonas et decimas », « Precipimus etiam comitibus et omnibus fidelibus » et cum Pipini capitulis (Pipin. 1. 4) quae sunt « Ut ecclesias baptismales » « Ut de restauratione ecclesiarum » se concordat. Lotharii capitula (Loth. 43. 48) que sunt « De decimis ut dentur et dare nolentibus », « De decimis quas populus dare non vult » huic concordant capitulo.

strum solvat, ut ita castigatus caveat, ne saepius iterando beneficium amittat.

Petre, te appellat Martinus episcopus cum Iohanne suo advocato, quod tu habuisti neglegentiam dare decimam 10 modios grani ad ecclesiam sancti Syri, unde ipse est episcopus et ille est advocatus. — De torto me appellas. — Da sibi vadimonium, ut, si te recordatus fueris, ut emendes, sin autem, ut te excdicas. — Poena quidem est praeter decimae emendationem secundum legem banni solutura.

32 (35). Si cuiuslibet mancipia in villam nostram confugerint, actor eiusdem villae quaerenti domino ea non contradicat, sed statim ea foras de eadem villa eiciat: et si se putat ad ea repetenda iusticiam habere, petat et secundum legem adquirat. Si vero tempore domni Karoli genitoris nostri in villam illam confugerint, et dominus eius ea quaerat, actor eiusdem villae aut legitime ea contineat aut quaerenti domino reddat; et actor propter investituram domni Karoli genitoris nostri eadem mancipia contradicere non audeat, si illius propria esse cognoscitur.

33 (36). Volumus, ut missi nostri per singulas civitates una cum episcopo et comite et misso nostro vel nostros homines ibidem commanentes eligant, quorum cura sit, pontes per diversa loca emendare; et eos qui illos emendare debent ex nostra iussione ammoneant, ut unusquisque iuxta possibilitatem suam et quantitatem eos emendare studeat.

34 (37). De iniustis occasionibus et consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa et tolonea in media via, ubi nec aqua nec palus nec pons nec aliquid tale fuerit unde iuste census exigi possit, vel ubi naves sudtus pontes transire solent, sive in medio flumine ubi nullum est obstaculum, ut auferantur: antiquae autem ad nostram notitiam deferantur (*C.* 34 — 52 = *Capit. missor. a.* 817. *c.* 4. 1. 2. 5. 12 — 22. 24. 25. 23. 26. 8 : *Legg. I*, 216-218).

35 (38). Legatio omnium missorum nostrorum haec est. Primo ut, sicut iam aliis missis iniunctum fuit, iusticiam faciant de rebus et libertatibus iniuste ablatis. Et si episcopus aut abbas aut vicarius aut

---

33. Hoc capitulum cȯncordat se cum Pipini capitulo quod est « Ut de restauratione ecclesiarum » (Pip. 4). Lotharii capitulo quod est « De pontibus vero reliquis » (Loth. 42) hoc capitulum concordat.

34. Hoc capitulum concordat se cum Lodoyci capitulo quod est « De iniustis tholoneis et consuetudinibus » (Lud. P. 23) et Caroli capitulo quod est « Ut nullus cogatur ad pontem » (Karol. M. 53).

advocatus aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituatur. Si vero comes vel actor dominicus vel alter missus palatii nostri hoc perpetraverit et in nostra potestate redigerit, res diligenter investigata et descripta ad nostrum revertatur iudicium.

36 (38). Volumus autem de his libertatibus et rebus reddendis quae in nostra vestitura sunt, ut primum per optimos quosque inquirantur: et si per illos inveniri non possint, tunc per eos qui post illos in illa vicinia meliores sunt veritas inveniatur. Et si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere; et si discordaverint, secundum constitutionem a nobis promulgatam examinentur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti sibi iniuste investituram de uno suo servo vel bove aut caballo.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse stabat in sua libertate, et tu iniuste misisti eum in tuum servitium.

Petre, te appellat Martinus, quod tu stabas in suum servitium et iniuste te tulisti de suo servitio.

Petre, te appellat Martinus, quod pars publica, unde tu es advocatus, tulit sibi iniuste investituram de uno suo servo vel caballo. — Similiter fit appellatio de investitura terrae iniuste ablatae secundum quosdam; sed sunt quidam qui dicunt, hoc debere finiri « De investitura praedii » (Ott. I, 3). — *Si reus dixerit: « de torto me appellas », tunc fit inquisitio investiturae publicae per optimos viciniae. Et si per illos inveniri non possit, tunc per eos qui post illos in illa vicinia sunt meliores veritas inveniatur. Et si per illos invenitur, reddatur investitura per hanc legem, et offensa emendetur secundum legem illius cui malum fecit. Si vero inveniri non possit, tunc appellator probet, et adversarius publicus det* (scil. testes sec. Lud. 15) *contra si vult. Si vero probare non poluerit, aut rem perdat, vel ad aliam appellationem se volvat*

---

36. Hoc capitulum in parte rumpitur a capitulo Octonis quod est « De investitura predii » (Ott. 1, 3), quia, si intentio fuerit de investitura, non erit inquisitum per optimos, sicut hic legitur, sed per pugnam veritas declarabitur. — § 2. Quidam dicunt, capitulum istud non loqui de rebus immobilibus eo quod dicit: « de rebus et libertatibus iniuste ablatis », quia « auferre » et « tollere » semper dicitur de mobilibus, « invadere » autem de immobilibus. Sed male dicunt, quia « auferre » invenitur de re immobili, sicut dicit Liuprandus in sua lege: « Si quis gastaldius » (Liutpr. 58), quia ibi legitur: « si casam tributariam vel terram, silvam, vites vel prata ausus fuerit donare aut amplius quam iussio regis dare presumpserit, vel si requirere neglexerit quod per fraudem tultum est », et hic posuit: « tollere » de rebus immobilibus. — § 3. Quod in hoc capitulo habetur: « sicut iam aliis missis fuit iniunctum » ita exponitur, videlicet ut dicatur, iniunctum esse in solis verbis: vel dicatur, iniunctum esse legibus, veluti comitibus est iniunctum in Carolo, ubi dicit: « Ut comites pleniter iustitiam diligant » (Karol. M. 58).

secundum quosdam. — *Si vero privatus fuerit, qui investituram alteri tulit, non debet esse* *inquisitio* *per hoc capitulum sed* *probatio*, *vel ita ut perditor appellare voluerit, et post investitura emendetur bannumque solvatur* (Wid. 5). *Si vero probare voluerit vel non potuerit, excdicat se reus cum suis sacramentalibus.*

37 (39). De honore aecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper a nobis (*Lud. P.* 6) cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est.

38 (40). De nova moneta et falsa moneta et de dispectu litterarum nostrarum et de latronibus cohercendis et puniendis et de faidis pagandis et homicidiis prohibendis et de periuriis et falsis testibus compescendis: de his omnibus vel ceteris his similibus hoc quoque constituimus, ut omnibus annuntietur et in futuro observetur. Hoc volumus, ut missi nostri observent, ut quicquid de his causis vel simul vel singillatim emendare potuerint, emendent, et ea quae emendaverint diligenter scriptis notent; et hoc si peragere curent, quatenus iuste reprehendi a quoquam nullatenus possint; et quae facere debent aut possunt nullatenus praetermittant, immo caveant, ne, quod absit, aut gratia alicuius aut honoris aut timoris sive odii causa illud quod agere debent omittant, et summopere studeant, ut hoc quod per se efficere non possunt nobis notum faciant, et omnibus modis praevideant, ut per singula capitula tam verbis quam scriptis de omnibus quae illic peregerint nobis rationem reddere valeant.

39 (41). De placitis quidem quae liberi homines observare debent constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observentur; et nullus eos amplius placita observare compellet, nisi forte quislibet

---

38. Capitulum hoc, dicens: « de nova moneta », retro positum Lodoyci capitulum quod est « Quicumque liber homo denarium merum et bene pensantem » (Lud. P. 24) respexit; cum autem dixit: « de falsa moneta dicimus », respexit quoque Lodoyci capitulum retropositum quod est « De falsa moneta iubemus » (Lud. P. 25), et quando dixit: « et de dispectu litterarum nostrarum », retropositum Lodoyci capitulum respexisse dicitur quod est « Si quis litteras nostras dispexerit » (Lud. P. 22); quando vero dixit: « et de latronibus coercendis et puniendis », Caroli capitula (Karol. M. 67, 84) que sunt « Sed et hoc volumus, ut comites de latronibus », « Si quis latro de uno furto » commemorasse oportet intelligi; et quando dixit: « de faydis pagandis et homicidiis prohibendis », respexit Caroli capitula (Karol. M. 10. 21) que sunt « De eo qui periurium fecerit », « De periuriis ut caveantur » et capitulum Pipini quod est « Si quis periurium fecerit » (Pipin. 43) et Ludoyci capitula (Lud. P. 3. 15) que sunt « Si duo testimonia », « Si quis cum altero ». — § 2. In hoc capitulo legitur: « et ea que emendaverint diligenter scriptis notent »; per hoc preceptum ante missos regis notitia fieri dicitur.

39. Hoc capitulum Caroli capitula (Karol. M. 49. 68) quae sunt « Ut nullus alius de liberis hominibus », « Ut ante vicarios nulla criminalis actio » corroborat, a Lotharii capitulo quod est « De vicariis et centenariis qui magis propter cupiditatem » (Loth. 61) confirmatum.

aut accusatus fuerit aut alium accusaverit aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera vero placita quae centenarii tenent non alius venire iubeatur nisi qui aut litigat aut iudicat aut qui testificatur.

40 (42). Ut de debito quod ad opus nostrum fuerit wadiatum talis consideratio fiat: ut is qui ignoranter peccavit non totum secundum legem componere cogatur sed iuxta quod possibile visum fuerit; is vero qui tantum malum voluntarie peccavit totam legis compositionem cogatur exsolvere.

41 (43). Ut nullus ad palatium vel in hostem pergens vel de palatio vel de hoste rediens tributum quod transitorium vocatur solvere cogatur.

42 (44). Ut pontes publici qui per bannum fieri solebant anno praesenti in omni loco restaurentur.

43 (45). Ut clerici et monachi et servi fugitivi ad loca sua reverti iubeantur.

44] (46). Ut nullus episcopus nec abbas nec comes nec abbatissa centenarium comitis advocatum habeat.

45 (47). Ut vicarii et centenarii qui furones vel latrones celaverint vel defenderint secundum sibi datam sententiam iudicentur.

46 (48). Ut comites et vicarii et centenarii de constitutione legis ammoneantur, qua iubetur, ut propter iusticiam pervertendam munera nullus accipiat.

47 (49). De forestibus nostris, ut, ubicumque fuerint, diligentissime inquirantur, quomodo salvae sint et defensae. Et ut comitibus denuntietur, ne ullam forestem noviter instituant, et ubi noviter institutas sine nostra iussione invenerint, dimitti praecipiantur.

48 (50). Ut in illius comitis ministerio qui bene iustitias factas habet missi nostri diutius non morentur neque illuc multitudinem convenire faciant: sed ibi moras faciant, ubi iustitias vel minus vel neglegenter factas invenerint.

49 (51). Ut in illius comitis ministerio ibidem missi nostri placitum non teneant qui in aliquo missatico directus est, donec ipse fuerit reversus.

---

45. Hoc capitulum Caroli capitula (Karol. M. 85. 86) quae sunt « Si quis latronem morte dignum », « Si quis furem vel latronem » affirmat, quia hic legitur: « secundum sibi datam sententiam iudicentur ».

46. Hoc capitulum Caroli capitulum quod est « Ut nullus quislibet missus noster neque comes » (Karol. M. 51) commemorat.

48. Hoc capitulum Caroli capitulum quod est « Si comes in suo ministerio » (Karol. M. 18) commemorat.

50 (52). Ut ubicumque ipsi missi aut episcopum aut comitem aut abbatem vel alium quemlibet quocumque honore praeditum invenerint qui iusticiam facere noluit vel prohibuit, de ipsius rebus vivant. quamdiu in eo loco iustitiam facere debent.

51 (54). Ut missi nostri qui vel episcopi aut abbates aut comites sunt, usque quo infra sua iudiciaria vel terminum fuerint, nichil de aliorum coniectu accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri et ministeriales qui missi sunt, ubicumque venerint, coniectum accipiant.

52 (53). De observatione praeceptorum nostrorum et emunitatum. ut ita observetur sicut a nobis et ab antecessoribus nostris constitutum est.

53 (55). Ut omnis ordo aecclesiarum secundum legem Romanam vivat; et sic inquirantur et defendantur res aecclesiasticae, ut emphiteusis unde dannum aecclesiae paciuntur non observetur, sed secundum legem Romanam (*Cf. Iulian. nov.* 115, 67) destruatur et poena non solvatur (*Incertae originis*).

54 (57). Si servi per contumaciam collecta multitudine alicui vim intulerint, id est aut homicidium aut incendium vel qualiumcunque rerum direptiones fecerint, domini eorum quorum neglegentia hoc evenerit pro eo quod costringere noluerint, ut alia facere non auderent bannum nostrum id est 60 solidos solvere cogantur (*Capit. ap. Ansegisum IV*, 1. *quoque servatum*).

55 (58). Placuit nobis de illis hominibus qui se liberos per 30 annos esse dicunt, ut per hanc possessionem liberi non sint, nisi de ingenuo patre et matre nati sint, aut cartulam libertatis ostendant (*Inc. originis: cf. Baudi a Vesme edict. reg. Longob. p.* 200).

---

50. Hoc capitulum concordat se cum Caroli capitulo quod est « Si comes in suo ministerio » (Karol. M. 18).

52. Hoc capitulum affirmat in parte capitulum istius Lodoyci quod est « Si quis ex levi causa » (Lud. P. 6) et capitulum Pipini quod est « Et hoc instituimus » (Pipin. 18).

53. Hoc capitulum in parte rumpit capitulum Pipini quod est « Ut qui se reclamaverit » (Pipin. 6 et capitulum Caroli quod est « De episcopis et sacerdotibus occisis » (Karol. M. 142), quia ipsa declarant, ut episcopus, presbiter vel alius clericus suam legem propter honorem clericatus non ammittat, sed retineat. — § 2. Leges Liuprandi (Liutpr. 29, 75, 100) que sunt « De his feminis, que velamen » et « De religiosa femina », « Si qua mulier religionis velamen » partim ab hoc rampuntur capitulo, quia ipse femine secundum hoc capitulum Romane cives esse intelliguntur. Et ideo qui eas adulteravit vel in matrimonium sociavit non per ipsas leges set secundum Romanorum legem pene capitali subiaceat (Cf. Iulian. Nov. 115, 67).

55. Hoc capitulum in parte rumpit Caroli capitulum quod est « Ubicumque infra Italiam » (Karol. M. 87) et legem Grimoaldi quae est « De liberis hominibus » (Grim. 2) rumpit omnimodo, et Astulfi legem quae est « Si quiscumque homo pro bonitate sua » (Ast. 13), ut retro dictum est.

56. Omnibus igitur episcopis abbatibus cunctoque clero omnino praecipimus, vicedominos praepositos advocatos sive defensores bonos habere non malos non crudeles non cupidos non periuros non falsitatem amantes, sed Deum timentes et in omnibus iustitiam diligentes. De iudicibus autem vel centenariis atque tribunis seu vicariis dignum esse censuimus, ut si mali fuerint reperti de ministerio suo abiciantur (*Concil. Moguntin. a.* 813, *c.* 50).

57 (4). Constitutum est, ut nullus laicus crimen clericis audeat inferre. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. Nemo enim clericus vel diaconus aut presbiter propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante iudicem causam dicere praesumat. Quoniam omnis curia a cruore dicitur et immolatione simulacrorum. Et si quis clericus accusans clericum in curiam introierit, anathema suscipiat (*Concil. Roman. Pseudo-Silvestri Papae a.* 325, *can.* 2, 5).

[CAPITULA LOTHARII].

1. Si liber homo se ipsum ad servitium implicat pro aliquibus causis, si liberam feminam habuerit aut infantes, ipsi in eorum libertate permaneant. Et si ipsa mulier defuncta fuerit, et aliam liberam feminam sibi copulaverit servienti, ipsa in servitio permaneat (*C.* 1 — 12 = *Hlotharii memoria comitibus a.* 823 *data*, *c.* 1 — 12: *Legg. I*, 234, 235).

Maria cum Dominico tuo tutore, Petrus te appellat, quod es sua

---

56. Lotharii capitulum quod est « Ut episcopi universique sacerdotes » (Loth. 101) concordat se cum isto, istud etiam capitulum quod est « De advocatis, vicedominis » (Karol. M. 22), et cum Pipini capitulo quod est « De advocatis sacerdotum » (Pipin. 26).

1. Capitulum hoc a quibusdam dicitur Rotharis legem quae est « Si servus liberam mulierem » (Roth. 221) atque Liuprandi legem « Si mulier libera servum tulerit » (Liutpr. 24) corrumpere, quia hic legitur: « Si ipse liber homo in servitium implicatus aliam liberam feminam sibi servienti copulaverit, ipsa in servitio permaneat », nulla interposita differentia de anni spatio. Sed nullo modo ab hoc rumpuntur capitulo, quia ipse leges de tali servo loquuntur qui erat natus ex ancilla, et non de tali servo qui pro aliquibus causis se ipsum ad servitium adplicasset, ut hoc capitulum fecit; quia, cum ipse leges facte fuerunt, nondum preceptum erat, quod aliquis liber homo propter aliquas causas posset ad servitium implicari. Et etiamsi hoc capitulum dicatur predictas leges corrupisse, iam hoc capitulum partim ruptum esset exinde a subsequenti Lotharii capitulo « Si cuiuscumque servus liberam feminam » (Loth. 75), quia secundum ipsum capitulum nulla libera coniuncta servo precipitur fieri ancilla, nisi prius anni spatium. Et si quoque concederetur ipsum capitulum Lotharii quod est « Si cuiuscumque servus » hoc corrumpere, iam ipsum ab illo Lotharii capitulo « Si quis liber homo uxorem habens liberam » (Loth. 90) partim ruptum esset exinde et hoc ab eo id est a « Si quis homo uxorem habens » affirmatum esset.

ancilla et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Libera sum nascendo. — Hoc dico ego, quod tu te sciente sociasti te in coniugio cum Marcoardo meo servo, qui michi fuit traditus per crimen aut per debitum.

2. Si quis homo alienam uxorem adulteraverit, et secundum legem in manus ei traditi fuerint et postea coniuncti fuerint, partibus publicis recipiantur: et qui ipsos comparatos habuerit, pretium suum perdat.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu comparasti Marcoardum qui adulteravit mulierem Donismundam simul cum adultera, et postea fuerunt coniuncti. — Non placeat Deo ut hoc sit verum. — Da vadimonium, ut te exdicas aut emendes.

3. Volumus ut comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere.

4. Volumus de obligationibus, ut nullus homo nec per sacramentum nec per aliam obligationem adunationem faciat; et si hoc facere praesumpserit, tunc ille qui prius ipsum consilium inchoavit et hoc factum habet in exilium ab ipso comite in Corsicam mittatur et illi alii bannum componant. Et si talis fuerit, qui non habeat unde ipsum bannum componat, 60 ictus accipiat.

---

2. Capitulum, quando dixit: « secundum legem », respexit Liuprandi legem quae est « Si quis dixerit coniugi sue » (Liutpr. 129), quia ipsa lex, dicens: « fiat datus in manus parentis, nam non in manum mariti qui tale malum consensit », dat intelligi, quod in manu mariti debet dari, nisi maritus ipsum malum consensisset, et Rotharis legem quae est « Si quis de uxore sua alii crimen miserit » (Roth. 213). — § 2. Capitulum hoc, dicens: « et postea coniuncti fuerint, partibus publicis recipiantur, » a subsequenti Lotharii capitulo quod est « Si adultera » (Loth. 89) confirmatur, quia ibi legitur: « si eos coniunctos in eodem scelere habere repertus fuerit, ipsos fiscus adquirat ». — § 3. Petre, hoc te appellat Iohannes, qui est advocatus de parte publica, quod tu comparasti Marcoardum qui adulteravit mulierem D. simul cum adultera, et postea fuerunt coniuncti. — Respondet: non placeat Deo ut hoc sit verum. — Da vadimonium, ut te exdicas aut emendes.

4. Capitula Rotharis (Roth. 19. 249. 280) que sunt « Si quis pro iniuria sua vindicanda », « Si quis greges equarum », « Si pro quacumque causa homines rusticani » et legem Liuprandi que est « Si quis sine voluntate regis » (Liutpr. 34) et legem Rachis que est « Cognovimus enim » (Rach. 6) partim rumpit, quia, si adunationes que in legibus ipsis leguntur fuerint facte per obligationem, non iuxta ipsas leges sed iuxta hoc capitulum pena dabitur; sed salvari potest, ut retro dictum est. — § 2. Capitulum istius Lotharii « De conspirationibus » (Loth. 67) in parte capitulum istud rumpit, quia, si adunatio ista per sacramentum fuerit, non per hoc capitulum sed secundum ipsum pena imponitur. — § 3. Capitulum hoc a subsequenti Lotharii capitulo quod est « Collectam ad malum faciendum » (Loth. 55) partim rumpitur, quia, si hec adunatio per neglegentiam comitis evenerit vel inemendata remanserit, et auctor facti si fuerit prepositus aut advocatus sive sculdais vel qualibet dignitate preditus, post legalem emendationem in loco factam sub fideiussoribus in presentiam regis invitetur et non in Corsicam, nisi regi placuerit. Sed, ut quidam dicunt, rex convenientius non poterit eum iudicare, quam cum pena per predictam legem sibi inposita, id est quam si eum in Corsicam miserit, ut hic precipitur. — § 4. Petre, hoc te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Paulus fecit obligationem per conspirationem, et fuit in caput et tu fuisti cum illo.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu fecisti adunationem per obligationem, et fuisti in capite.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Paulus fecit adunationem per obligationem et fuit in capite, et tu fuisti cum ipso.

5. Volumus, ut cum collecta vel scutis in placitum comitis nullus praesumat venire; et qui praesumpserit, bannum componat.

6. De sanctimoniali femina statuimus, si adulterium fecerit et inventum fuerit, res quas habet fisco socientur: persona vero eius sit in potestate episcopi in cuius parochia est, ut in monasterium intromittatur.

7. Volumus ut episcopi abbates et abbatissae suos advocatos habeant et pleniter iustitiam faciant ante comitem suum.

8. De illis hominibus qui res suas alienaverint ubicumque, et super resident, distringat eos comes per scubias publicas sicut lex continet.

9 (10). Volumus ut episcopus una cum comite suo advocatum eligant.

10 (9). Placuit nobis de hominibus liberis, ut nichil eis superponatur, nisi sicut lex et rectitudo continet.

11. Volumus ut de scubiis quae ad utilitatem regni nostri pertinent preceptum emunitatum impedimentum non praestet sed adiutorium.

12. Ut cangellarii electi boni et veraces cartas publice conscribant ante comitem et scabinos et vicarios eius; et nullo modo hoc facere presumant de pecunia, antequam legitimum pretium detur.

---

5. Capitulum hoc Pipini capitulum quod est « Ut nullus ad mallum » (Pipin. 40) corroborat.

6. Capitulum hoc partim rumpit et partim affirmat Liuprandi legem quae est « De religiosa femina » (Liutpr. 75), iuxta quam femina erat in potestate regis cum omnibus suis, quia lex ipsa, dicens: « sic fiat sicut antea de religiosis », dicitur ita precepisse de persona quemammodum de pecunia.

7. Hoc capitulum in parte rumpit Caroli capitula (Karol. M. 42. 98) quae sunt « Ut episcopi abbates et potentiores », « Volumus primo ut neque abbas »; sed qualiter rumpantur et salvantur retro dictum est.

9. Quae electio fit hoc modo: Domne comes, hoc dicit Petrus episcopus, quod vult eligere Dominicum, ut fiat suus advocatus, et de episcopatu et quod habeat de hac ora inantea licentiam et potestatem de rebus ecclesiae appellationes facere et recipere et res ecclesiae per pugnam requirere et excutere, et quod fecit per se vel cum episcopo de rebus ecclesiae, permaneat stabile. — Dicis ita, episcope? — Dico. — Domne comes, precipite notitiam fieri.

10. In hoc capitulo legitur: « nisi sicut lex et rectitudo continet », id est ut faciant eos vias et pontes et tria generalia placita custodire.

12. Pecunia hic accipitur pro qualibet substantia, et ita legitur, videlicet ut dicamus: « et hoc nullo modo facere presumat de pecunia », id est de terra de domo de re mobili et de qualibet substantia, « antequam legitimum pretium detur », id est antequam illud pretium detur quod emptor dare pepigit. Et iuxta huius capituli preceptum dicitur: « habesne pretium iuxta cartulam ».

13. De cangellariis qui veraces electi sunt: ad homines infirmos veniant et secundum legem instrumenta cartarum conscribant et a testibus roborentur; et statim cum scripta cartula fuerit ostendatur ante episcopum comitem iudicem vel vicarios aut in plebe ut verax agnoscatur esse (*C.* 13. 14. *incertae originis, ad eandem fortasse memoriam pertinentia: Legg. I,* 235, *c.* 17. 18).

14. Ut mulieres Romanae quae viros habuerint Longobardos eis defunctis a lege virorum suorum sint solutae et ad suam revertantur legem, hoc statuentes, ut simili modo servetur in ceterarum natione mulierum.

15. Placuit nobis, ut, si pro quibuslibet culpis atque criminibus quaecumque persona totiens fuerit correpta, ut etiam excommunicatione episcopali pro contemptu digna habeatur, comitem suum episcopus sibi societ, et per amborum consensum huiuscemodi distringatur contemptor, ut iussioni episcopi sui obediens existat; si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis persolvat; quod si adhuc contumax perstiterit, tunc ab episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit, a comite vinculis constringatur, quousque nostrum is contemptor suscipiat iudicium. Si vero in talibus comes repertus fuerit noxius, per episcopum eius nobis nuncietur. Si autem vassallus noster in hac culpa lapsus fuerit, sicut supra per comitem distringatur. Quod si non audierit, nobis innotescatur antequam in vinculis mittatur (*C.* 15 — 21 = *Hlotharii capit. Olonnae a.* 825 *datum c.* 1 — 5. 8. 10: *Legg. I,* 248 *seq.*).

16. Volumus, ut omnimodis emunitates genitorum nostrorum seu nostrae pleniter ac iuste conserventur.

17. Volumus ut res quae a liberis personis locis Deo dicatis conferuntur, licet sibi usumfructum et ordinationem earundem rerum, si aliter sibi placuerit, reservent, si aliter eas non ordinaverint, ita maneant sicut prius datae fuerint.

---

15. Hoc capitulum rumpit capitulum Caroli quod est « Ut episcopi de incestuosis » (Karol. M. 51), ut retro dictum est. — § 2. Litigari potest, quod Lotharii capitulum quod est « Dictum est nobis, quod in quibusdam locis » (Loth. 104) partim hoc capitulum rumpit, quia illic precipitur, ut incestuosi pecuniam non dent sed penitentia mulctentur. Similiter litigari potest, quod primum Widonis capitulum partim hoc emendat capitulum, quia illic legitur: « nullum predonem raptorem vel incestuosum permittant morari in suis sedibus».

16. Hoc capitulum Caroli capitulum quod est « Si quis in emunitate » (Karol. M. 101) Pipinique capitulum quod est « Instituimus et hoc ut emunitates » (Pipin. 18) atque Lodoyci capitula (Lud. P. 6. 52) que sunt « Si quis ex levi causa », « De observatione preceptorum et emunitatum » commemorat.

17. Hoc capitulum in parte rumpit Caroli capitulum quod est « Si quis Longobardus » (Karol. M. 78) quia illic legitur: « non reservet sibi potestatem easdem res vendendi nec aliter alienandi »; sed ita salvari potest, ut retro dictum est.

18. Singulis episcopis abbatibus abbatissis duos concedimus advocatos, eosque, quamdiu advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus.

19. Prohibemus ut nemo usuram facere praesumat post episcopi sui contestationem. Quod si quis post eius interdictum facere praesumpserit, a comitibus, sicut supra de contemptoribus praecipimus, distringatur.

20. Praecipimus, ut singulae plebes secundum antiquam consuetudinem fiant restauratae. Quod si filii eiusdem aecclesiae eas restaurare noluerint, a ministris rei publicae distringantur, ut volentes nolentesque nostram observent praeceptionem.

21. De precariis quoque quae a rectoribus aecclesiarum inrationabiliter fiebant, se suosque successores poena gravi obligabant, ut facta ipsius nequirent dissolvere, praecipimus, ut nemo successor in antecessoris sui poena statuta sit obligatus: sed suae providentiae sit concessum, ut, si antecessor eius res aecclesiae inrationabiliter distribuit, ab eo ad ius aecclesiae tenendum revocetur.

22. Placuit nobis, ut liberi homines qui non propter paupertatem sed ob vitandum rei publicae utilitatem fraudulenter ac ingeniose res suas aecclesiis delegant easque denuo sub censu utendas recipiunt, ut, quousque ipsas res possident, hostes et reliquas publicas functiones faciant. Quod si iussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi comitibus permittimus per ipsas res, nostra non resistente emunitate, ut status et utilitas regni huiuscemodi adinventionibus non infirmetur (*C.* 22 — 34 = *Hlotarii capit. alterum Olonnae a.* 825 *datum, c.* 2 — 14: *Legg. I,* 251 *seq.*).

23. Volumus, ut similis mensura in laicali ordine de hac re servetur, videlicet ut, si quis alterius proprietatem qui hostem facere potest emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eique ad utendum eas dimiserit, si neglegens de hoste fuerit, per ipsas res a comite distringatur, ut in quocumque publica non minoretur utilitas.

24. Praecipimus de his fratribus qui in nostris et Romaniae finibus paternam seu maternam succedunt hereditatem, si contigerit, quod

---

18. Hoc capitulum partim rumpit Pipini capitulum quod est « Ut qui se reclamaverit super pontificem » (Pipin 6), quia ibi legitur: « ubicumque pontifex substantiam habuerit, advocatum habeat », hic vero duos habere conceditur.

19. Capitulum hoc dicens: « quod si quis post episcopi interdictum facere presumpserit a comitibus, sicut supra de contemptoribus precipimus, ut distringatur », supra positum capitulum quod est « Placuit nobis, ut si pro quibuslibet causis » (Loth. 15) commemorat.

20. Hoc capitulum concordat se cum Caroli capitulis quae sunt « Ut ecclesiae baptismales », « De restauratione ecclesiarum » (Pipin. 1. 4); et multa alia capitula (cf. Karol. M. 60. 61. Lud. P. 31) cum isto se concordant.

unus eorum aecclesiasticae militiae sit mancipatus, et idcirco is qui seculariter militare debuerat, ut se a defensione regni nostri subtrahat, in nostris finibus partem substantiae in portionem suscipere dissimulaverit, idcirco ut neque a comite distringi valeat: ubicumque comes suus eum invenerit, licentiam distringendi ei concedimus, ita ut primum fideiussorem donet, ut ad placitum suum veniat et bannum nostrum componat. Si vero fideiussorem non invenerit, tamdiu per comitem sub custodia teneatur, quousque aut fideiussorem inveniat aut bannum nostrum solutum habeat.

25 (26). De liberis hominibus, qui in alienam potestatem mobile suum transferunt, ut causatores eorum eos pignorare non possint, placet nobis, ut res eorum infiscentur, quousque venientes ad audiendam iustitiam faciant. Si vero venire contempserint, secundum capitulare domni ac genitoris nostri, de eorum rebus agatur: nam et de ipsis rebus habita aestimatione dannum quaesitori sarciatur. Qui vero illud mobile recepit, si hoc per sacramentum probare non potuerit, quod propter iustitiam alterius differendam illud non recepisset, bannum nostrum persolvat.

26. De fratribus namque, qui simul in paterna seu materna hereditate communiter vivunt, nolentes substantiam illorum dividere, ob occasionem ut unus eorum tantum in hostem vadat, volumus ut, si solus est, vadat; si autem duo sunt, similiter; si tres fuerint, unus remaneat; et si ultra tres numerus fratrum creverit, unus semper propter domesticam curam atque rerum communium excolentiam remaneat. Si vero inter eos aliqua fuerit orta intentio, quis eorum expeditionem facere debeat, prohibemus ut nemo illorum remaneat. In aetate quoque illorum lex propria servetur. Similiter et in nepotibus haec conditio teneatur.

27. Ut in testimonium non recipiantur de his capitulis, id est de libertate et de hereditate vel de proprietate in mancipiis et terris sive de homicidio et incendio, illi qui non habent, si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam facere possint.

28. Statuimus ut iuratores omnes singillatim iurent.

29. Ut quicumque sacramentum vel debitum ante solis occasum persolverit, securus inde sit.

---

27. Testem widrigild habere, istud precipit capitulum. Lotharii vero capitulum iubet habere alodium quod est « De liberis hominibus » (Loth. 64); sufficit tamen, eum inter alodium caeterasque res widrigild habere.

30 (29). Videtur nobis, ut, quicumque liber ingeniose in servitium se alicui tradiderit, is qui eum recepit hoc quod ille qui se in servitium tradidit in publico per antiquam consuetudinem facere debuit adimpleat.

31 (30). De his qui proprietates suas habent et spontanea voluntate alicui delegant, et postea fraudulenter ab alio aliquo ignoranti pretium de eisdem rebus venundantes suscipiunt, et is cui eaedem res prius traditae fuerint cognito negotio anno integro silens non contradixerit, sed propter illusionem tacens, ut emptorem illudere possit, si infra patriam anni spatium, ut dictum est, fuerit, prior traditio nichil ei valeat. Ille vero qui post primam traditionem res vendiderit, si vivens comprobatus fuerit hanc illusionem fecisse, bannum dominicum componat, id est 60 solidos, si vero bannum unde componat non habuerit, verberetur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam quam michi fecit Marcoardus, et quid tibi pertinet? — Per cartam quam michi fecit ipse Marcoardus. — Contra legem est, quia, postquam fecit michi unam traditionem, non potuit tibi facere aliam. — Hoc dico ego, quod tibi fuit cognitum, quando mihi vendidit, et tacuisti unum annum per illusionem. — Et probet. Si dixerit: « non fui infra patriam », probet ipse qui habet posteriorem cartam. Si dixerit ipse qui habet priorem cartam: « tibi fuit cognitum, quod michi erat vendita ipsa terra », probet.

32 (31). Quibuscumque per legem propter aliquam contentionem pugna fuerit iudicata, praeter de infidelitate, cum fustibus pugnent sicut in capitulari dominico prius constitutum fuit.

33 (32). De fugitivis praecipimus, ut ministri rei publicae a domino fugitivorum nichil accipiant, cum reddiderint eos.

34 (33). Videtur nobis de aldionibus, ut, sicut lex habet, ita fiat.

35 (34). Constitutum habemus, ut omnes qui sub speciali defensione donni apostolici seu nostra fuerint suscepti, impetrata inviolabiliter iusta utantur defensione. Quod si quis in quocumque hoc contemptor

---

31. Si quis rem a se traditam alii vendiderit, priorque emptor annum sub illusione tacuerit, potest venditor quidem a posteriore rem ipsam iuxta huius capituli sententiam acquirere, quandoquidem alii hoc ipsum amittatur; propter illusionem tamen bannum componere iubetur.

32. Caroli capitulum quod est « Mentio etenim » (Karol. M. 65) ab hoc commemoratur capitulo.

33. Rotharis lex « Si liber aut servus » (Roth. 264) et Liuprandi « De servo fugaci » (Liutpr. 43), in eo quod pro servo fugaci solidos 2 conponi precipiunt, ab hoc capitulo rumpuntur.

34. Grimoaldi lex « Si servus aut ancilla » (Grim. 1) ab hoc confirmatur capitulo.

violare praesumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. Nam et hic decernimus, ut domno apostolico in omnibus ipsi iustam observent obedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iustitiam faciendam. — In hoc capitulo fiat commemoratum de viduis et orphanis Theodori, Floronis et Sergii (*Cf. Einhard. Ann. a.* 821 *et* 823). (*C.* 35 — 41 = *Hlotharii constit. Romana a.* 824 *edita*, *c.* 1 — 3. 5. 6. 8. 9: *Legg. I*, 239 *seq.*).

36 (35). Ut depraedationes quae actenus fieri solebant, prohibemus ne fiant neque vivente neque defuncto pontifice. Si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia esse condempnandum. Quae autem retro actae sunt, placet nobis, ut per dispositionem nostram fiant legaliter emendatae.

37 (36). Volumus ut in electione pontificis nullus praesumat venire neque liber neque servus, qui aliquod impedimentum faciat, exceptis illis solummodo Romanis quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum patrum eligendi pontificem. Quod si quis contra hanc nostram iussionem facere praesumpserit, exilio tradatur.

38 (37). Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere, ut tali, quali professi fuerint vivere velle, vivant; illique denuncietur, quod hoc unusquisque sciat, tam duces quamque iudices vel reliquus populus. Quodsi in offensione sua contra eandem legem fecerit, eidem legi, quam profitetur, per dispositionem pontificis ac nostram subiacebit.

39 (38). De rebus ecclesiarum iniuste invasis, sub occasione quasi licentia accepta a pontifice, et de his, quae necdum redditae sunt et tamen fuerunt iniuste a potestate pontificum invasae, volumus ut per missos nostros fiant emendatae.

40 (39). Placuit nobis ut cuncti iudices sive hii qui cunctis praeesse debent, per quos iudicialis potestas in hac urbe Roma agi debet, in praesentiam nostram veniant, volentes numerum et nomina eorum scire et singulis de ministerio sibi credito ammonitionem facere.

41 (40). Novissime ammoneatur, ut omnis homo, sicut Dei gratiam

---

38. Quod in hoc capitulo legitur: « quodsi offensionem contra eandem legem fecerit » intelligendum est: si Romanus contra Romanum videtur lege committere; alioquin superius capitulum Pipini (Pipin. 27) quod legitur: « secundum cui commisit neglegentiam » et ab hoc rumpetur capitulo. — § 2. Non putandum est, Romanorum populum esse interrogandum ulterius, quandoquod Romana lege confessi sunt se vivere eo tempore.

39. Superiori Lodoyci capitulo quod est « Legatio missorum nostrorum » (Lud. P. 35) presens concordat capitulum.

et nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus obedientiam atque reverentiam huic pontifici.

42 (41). De pontibus vero vel reliquis similibus operibus, quae aecclesiastici per iustitiam et antiquam consuetudinem cum reliquo populo facere debent, hoc praecipimus, ut rector aecclesiae interpelletur et ei, secundum quod possibilitas fuerit, portio deputetur, et per alium exactorem aecclesiastici homines ad opera non compellentur. Si vero opus suum constituto die impletum non habuerit, liceat comiti pro poena propositi operis pignerare iuxta aestimationem vel quantitatem imperfecti operis, quousque perficiatur. Comes autem si neglexerit, a rege vel misso regis iudicandus est (*C.* 42. 43 = *Karol. M. capit. Mantuan. alterum a.* 787, *c.* 7. 8: *Legg. I*, 111).

43 (*Lud. P.* 31). De decimis, ut dentur, et dare nolentibus secundum quod anno praeterito denuntiatum est a ministris rei publicae exigantur: id est eligantur quattuor sive octo homines optimi, vel prout opus fuerit, de singulis plebibus iuxta quantitatem uniuscuiusque plebis, ut ipsi inter sacerdotes et plebem testes existant, ubi datae vel non datae fuerint. Hoc ideo tantos testes mittendos dicimus, ne ibi iuramentum aliquod faciendi necessitas contingat: non tamen ideo tantos testes mittendos dicimus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis praesentes esse pariter necesse sit, sed ut, dum pluribus committitur, minus gravetur; in duobus autem, si affuerint, sufficere credimus. Neglegentes autem a presbiteris ammoneantur aecclesiarum usque ad tertiam vicem, ut ipsam decimam dent; quod si contempserint, ab introitu aecclesiae prohibeantur; et si in hoc minime emendaverint, a ministris rei publicae districti singuli per caput sex solidos aecclesiae componant, et insuper decimam dare cogantur. Nam si iterum contemptores extiterint, tunc per publicam auctoritatem domus vel casae eorum wifentur, quousque pro ipsa decima sicut supra dictum est satisfaciant. Quod si denuo rebelles vel contradictores esse voluerint, et super ipsam wifam sua auctoritate intrare praesumpserint, tunc a ministris rei publicae in custodia mittantur, usque dum ad iudicium publicum perducantur, et ibi secundum legem ad comitem aut partem publicam componant: reliqua autem ut supradictum est decima, et 6 solidis contra aecclesiam satisfaciant.

44 (43). De his qui sine consensu episcopi presbiteros in aecclesiis

---

43. Non putandum est, hoc a sequenti « Dictum est nobis » (Loth. 104) ruptum esse capitulo, quandoquidem ut in capitulari ita et in canonibus scripta sunt proxima; sed utrorumque capitulorum pena mulctandus est contemptor.

suis constituunt vel de aecclesiis eiciunt et ab episcopo vel a quolibet misso dominico ammoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur et per fideiussores ad palatium nostrum venire iubeantur: et tunc nos decernamus, utrum nobis placeat, ut aut illum bannum persolvant aut aliam ariscadam sustineant (*C.* 44—48 = *Hludov. P. capit. Wormat. a.* 819, *c.* 1—3. 6. 7: *Legg. I*, 350. 351).

45 (44). De aecclesiis quae inter coheredes divisae sunt considerandum est, quatenus, si secundum providentiam et ammonitionem episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere, et honorare faciant; si autem hoc contradixerint, ut in episcopi potestate maneant, utrum eas ita consistere permittat aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium aecclesiae pertinentes ita divisae inventae fuerint, ut describantur et nobis nuncientur.

46 (45). De aecclesiis destructis ut episcopi et missi nostri inquisitionem faciant, utrum per neglegentiam aut per impossibilitatem destructae sint; et ubi per neglegentiam inventae fuerint, episcopali auctoritate emendare cogantur, qui eas debuerunt restaurare. Si vero per impossibilitatem contigerit, ut aut plures sint quam necesse sit, aut maioris magnitudinis, quam ut ex rebus ad easdem pertinentibus restaurari possint, episcopus modum inveniat, qualiter congrue emendari et consistere possint.

47 (46). Quicumque decimam abstrahit de aecclesia, ad quam per iustitiam eam dare debet, et eam praesumptuose vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram aecclesiam dederit, per comitem vel missum nostrum distringatur, ut eiusdem decimae quantitatem cum sua lege restituat.

48 (47). De decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, ut nec episcopum nec comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad nostram praesentiam venire compelletur; ceteri vero distringantur, ut inviti aecclesiae restituant quae voluntarie dare neglexerint.

49 (48). Ut missi nostri, ubicumque malos scabinos invenerint, eiciant et totius populi consensu in locum eorum bonos eligant; et cum electi fuerint, iurare faciant, ut se sciente iniuste iudicare non debeant (*C.* 49—57 = *Hludov. P. capit. missor. Wormat. a.* 829, *c.* 2—7. 10. 12. 14: *Legg. I*, 351 *seq.*).

---

46. A sequenti « De ecclesiis emendandis » (Loth. 65) affirmatur capitulo.

50 (49). Ut in omni comitatu hi qui meliores et veraciores inveniri possunt eligantur a missis nostris ad inquisitiones faciendas et rei veritatem dicendam, et ut adiutores comitum sint ad iustitias faciendas.

51 (50). Volumus ut, quicumque de scabinis deprehensus fuerit, quod propter munera aut amicitiam vel inimicitiam iniuste iudicasset, ut per fideiussorem missus ad nostram praesentiam venire compellatur; ceteris omnibus scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam iustum iudicium vendere praesumat.

52 (51). Ut ubicumque commutationes, tam tempore nostro quamque genitoris nostri, inlegitimae et inrationabiles atque inutiles aecclesiis Dei factae sunt, dissolvantur, et recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interiacet aut alia qualibet causa, quae rationabilis esse videtur, inventa fuerit, diligenter describatur et ad nostram notitiam perferatur.

53 (52). Quicumque comprobatus fuerit, quod se sciente testes in periurium duxisset, sub fideiussorem ad palatium nostrum venire compellatur, et ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

54. De his qui discordiis et contentionibus studere solent et in pace vivere nolunt et inde convicti fuerint similiter volumus, ut per fideiussores ad nostrum palatium veniant, et ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de talibus hominibus faciendum sit.

55 (53). Collectam ad malum faciendum fieri omnimodis prohibemus; et ubicumque huiusmodi praesumptiones factae fuerint, digna emendatione corrigantur: et si per negligentiam comitis vel factae sunt vel inemendatae remanserint, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctor vero huius facti, si fuerit praepositus aut advocatus sive sculdais vel qualibet alia dignitate praedita libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fideiussoribus ad nostram praesentiam veniat; multitudo vero, sive de liberis sive de servis sit, legitima emendatione mulctetur.

56 (55). Ut examen aquae frigidae, quod hactenus faciebant, a missis nostris omnibus interdicatur, ne ulterius fiat.

57 (56). Postquam comes et pagenses de qualibet expeditione hostili

---

55. Capitulum hoc dicens: « digna emendatione corrigatur », Lotharii capitulum quod est « Volumus de obligationibus » (Loth. 4) cunctasque leges de obligatione loquentes (Roth. 19. 279. 280. Liutpr. 133. 140) affirmat. Dicens vero: « si adunatio facta fuerit per neglegentiam comitis aut inemendata remanserit, et auctor facti qualibet dignitate preditus fuerit, in nostram presentiam veniat », predictum capitulum easdemque leges rùmpit, quia nec in Corsica mittetur, nec mortuus est, donec ad regis conspectum veniat.

reversi fuerint, ex eo die super 40 noctes sit bannum recisum, quod lingua teudisca dicimus eriliz, id est armorum depositio vocatur.

58 (57. 58). De homicidiis in ecclesiis vel in atriis earum commissis hoc observetur et teneatur, sicut in capitulare priori (Lud. P. 6) constitutum est. Si quis ex levi causa aut sine causa hominem in aecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint et unus alterum in aecclesiam fugerit et ibi se defendendo eum interfecerit, si huius facti testes non habuerit, cum 12 iuratoribus legitimis per sacramentum affirmet, quod se defendendo eum interfecisset. Et si ipse auctor commotae inter eos rixae extiterit, leudem interfecti et insuper bannum nostrum solvere cogatur et publicam agat poenitentiam. Si autem non ille qui alterum interfecit, sed is qui interfectus est eandem rixam commovit, absque compositione iaceat: et is qui eum interfecit secundum iudicium canonicum publicam agat poenitentiam. Si cuiuslibet proprius servus hoc commiserit, iudicio aquae ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus eius exusta fuerit, interficiatur; si autem non fuerit, publica poenitentia multetur. Nisi forte ipse auctor commotae inter eos rixae fuerit inventus: tunc dominus eius, iuxta quod widrigild illius est, ad aecclesiam persolvat aut eum, si voluerit, eidem aecclesiae tradat. De aecclesiastico et fiscalino et bene-

58. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu pro levi causa aut nulla patrem aut servum suum in ecclesia interfecisti. — Quodsi « defendendo interemisse forisque ecclesiam rixam commisisse » respondet, si probare nequierit, iuret secundum iussionem huius capituli. — § 2. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu rixe inter te et patrem vel servum suum commotae auctor fuisti — § 3. Quod hic habetur: « ex levi causa » intelligendum est, pro qua lex non iubet in ecclesia occidere. — § 4. Capitulum hoc volens, homicidam tantum penitentia plecti, si interfectus rixam commoverit, Lodoyci « Si quis ex levi causa » (Lud. P. 6) rumpit capitulum, in quo ecclesie solidi 600 partique publice bannum iubetur homicida componere. Lodoyci nullius utilitatis iam dictum capitulum, quandoquidem iuxta hoc tantum homicida mulctandus. — § 5. In eo quod hic habetur: « hoc observetur et teneatur sicut in priori capitulo institutum est », dictum usque ad « si foris vero rixati fuerint » corroborat, quod patet evidenter, cum in multis pro parte capitulis composuit sicut in Caroli declaratur « Qui subdiaconum » (Karol. M. 100) quod sequitur « Generaliter ammonemus ut capitula » (Karol. M. 139). — § 6. In eo quod hic legitur: « si huius facti testes non habuerit, cum 12 iuratoribus iuret », intelligi datur, exceptionem debere probari, quia, si cetere leges eam iurari noluissent sicut ista, sic et ille patenter inde preciperent. — § 7. Quandoquidem hic non precipitur, nisi de homicidio in ecclesia sponte vel a se defendente commisso, foris incepta rixa, claret profecto, quia, qui nolens in ecclesia occidet, mortis non debet subire sententiam, ut in hoc dicto patet: « iudicio aque ferventis examinetur; utrum hoc sponte an se defendendo fecisset ». Quicumque foris incepta rixa vel alium in ecclesia fugientem persecutus ibi occiderit, mori debet iuxta legis huius sententiam, quia non persecutor sed fugitivus homicida a mortis pena retrahitur. — § 8. Capitulum hoc, dicens: « hereditas homicide ad legitimos heredes perveniat ». Caroli capitulum quod est « De illis hominibus qui propter eorum culpas » (Karol. M. 45) et Liuprandi « Si liber homo se defendendo » (Liutpr. 20) partim rumpit. — § 9. Capitulum subsequens quod est « De homicidio unde lex » (Loth. 92), dicens: « si testes habere non potuerit, concedimus etiam, ut cum 12 iuratoribus iuret », aperte declarat, quia non de homicidio in ecclesia commisso sed de homicida cui iurare permissum erat loquitur.

ficiario servo volumus, ut pro una vice widrigild eius pro eo componatur, altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio aecclesiae, cuius porta reliquiis sanctorum est consecrata, huiuscemodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta aecclesiae non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur sicut componi debet quod in emunitate violata committitur (*C.* 58 — 64 = *Hludov. P. capit. leg. add. Wormat. a.* 829, *c.* 1. 2. 4 — 6: *Legg. I*, 353 *seq.*).

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Philippum suum patrem per levem causam in ecclesia sancti Syri. — De torto me appellas. — Si dixerit : « nos fuimus rixati foris, et ego fugi illum in ecclesiam et ibi occidi eum me defendendo », probet aut iuret.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fuisti auctor de rixa, quae fuit commota inter te et suum patrem, quem tu occidisti in ecclesia sancti Syri.

Petre, te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus occidit suum patrem sine causa in ecclesia sancti Syri. — De torto me appellas. — Si dixerit : « ipsi fuerunt rixati foris, et servus meus fugit in ecclesia, et ibi se defendendo occidit eum », tunc servus mittat manum in aquam ferventem.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de aecclesia sancti Syri, quod Donatus tuus servus fuit auctor rixae.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum per levem causam in atrio sancti Syri. — Occidi ego tuum patrem, sed non debeo mori, quia non fuit consecratum cum reliquiis sanctorum.

59 (103). Quicumque propter cupiditatem rerum patrem aut matrem aut fratrem aut sororem vel nepotem vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. Interfectoris vero hereditas in fiscum redigatur : ipse vero ordinante episcopo publicae poenitentiae detur.

60 (59). Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, et ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive vendiderit, et ipse homo

---

60. Pipini capitulum quod est « Ut vidue et orfani « (Pipin. 5), dicens : « et si tutor illarum aliquis esse noluerit, iudex prevideat hominem qui eorum causas audiat », rumpitur ab hoc capitulo precipiente, tutorem, si pro illo interpellatus fuerit, rationem reddere esse cogendum. — § 2. Capitulum hoc, dicens : « sicut de ceteris contemptoribus ita de eo agatur » supra capitulum quod est « Placuit nobis, ut, si pro quibuslibet » (Loth. 15) corroborat.

qui tunc easdem res comparatas habet per malum ingenium proprio filio suo aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti iustitiae tollendae causa tradiderit, volumus atque firmiter praecipimus, ut, si pater eiusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus fuerit, tunc legitimus eius propinquus qui iuste ei tutor ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compelletur. Similiter de aliis omnibus iustitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, quae ei per successionem parentum suorum legitime obvenire debet. Quod si quis hanc nostram iussionem contempserit vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primus invasit et iniuste vendidit necnon et emptor, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter ammiserint infra patriam emendare cogantur: et postea sicut contemptores iussionis nostrae (*Cf. Karol. M.* 91) sub fideiussoribus ad nostram praesentiam venire compellentur.

61 (60). De vicariis et centenariis, qui magis propter cupiditatem quam propter iustitiam faciendam saepissime placita tenent et exinde populum nimis affligunt, ita teneatur sicut in capitulari dommi Karoli continetur.

62 (61). Ut nullus ad placitum banniatur nisi qui causam suam quaerit aut si alter ei quaerere debet, exceptis scabinis 7 qui ad omnia placita esse debent.

63. De placitis quidem, quae liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est, videlicet ut in anno tria solummodo generalia placita observent, et nullus eos amplius placita observare compellet nisi forte quislibet aut accusatus fuerit aut alium accusaverit aut ad testimonium perhibendum vocati fuerint. Ad caetera vero placita, quae centenarii tenent, non alii venire iubeantur nisi qui aut litigat aut iudicat aut testificatur. Et quicumque huius constitutionis transgressor a missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum persolvat.

64 (62). De liberis hominibus qui proprium non habent sed in terra dominica resident, ut propter res alterius in testimonium non recipiantur; coniuratores tamen aliorum liberorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi vero qui proprium habent et tamen in terra dominica resident, ut propter hoc ad testimonium recipiantur, quia proprium habent.

65 (63). De aecclesiis emendandis volumus, ut ita conservetur, sicut in capitulari nostro continetur quod ad Olonnam fecimus, et, ubi in

uno loco plures sunt quam necesse sint, destruantur. Quod si forte in alio loco sit aecclesia constructa, quae tamen necessaria sit, et nichil dotis habuerit, volumus ut secundum iussionem domni ac genitoris nostri unus mansus cum duodecim bichariis de terra arabili ibi detur, et mancipia duo a liberis hominibus qui in eadem aecclesia officium Dei debent audire, ut sacerdotes ibi possint esse et divinus cultus fieri: quod si hoc populus facere noluerit, destruatur (*C.* 65 — 69 = *Hlotharii capit. Papiense a.* 832, *c.* 1. 5 — 7. 11: *Legg. I*, 360 *seq.*).

66 (64). De reclamatoribus vel causidicis, qui nec iudicium scabinorum adquiescere nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est in custodia recludantur, donec unum ex duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re reclamaverint et litteras detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia et cum ipsis litteris pariter ad palatium nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est.

67 (65). De conspirationibus, quicumque facere praesumpserint et per sacramentum quamcumque conspirationem firmaverint, triplici ratione iudicentur. Primo ut, ubicumque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur, adiutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur et nares sibi invicem precidant: ubi vero nichil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur et capillos sibi vicissim detundant. Si vero per dexteram aliquam conspirationem firmaverint, si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus, ut hoc per malum non fecissent, aut, si facere non potuerint, secundum suam legem componant, si vero servi sunt, flagellentur; ut de cetero in regno nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum nec sine sacramento.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu firmasti conspirationem per sacramentum et fuisti in capite, et est hoc malum factum per ipsam conspirationem.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Dominicus firmavit conspirationem per sacramentum et fuit in caput, et hoc est inde malum factum, et tu fuisti cum eo.

---

67. Superius « Volumus de obligationibus » (Loth. 4) et Rotharis (Roth. 19. 279. 280) « Si quis pro iniuria sua » et « Si servi per consilium », « Si pro quacumque causa homines » et Liuprandi « Si quis sine voluntate regis » (Liutpr. 34) et Rachis « Cognovimus enim » (Rach. 6) et Romanorum leges (Cf. Cod. IX, 8, 5) de adunatione loquentes ab hoc rumpuntur capitulo, quia, si sacramento aut dextra obnixa fuerit conspiratio, non illis sed hoc capitulo auctores et adiutores penam sustinebunt.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu firmasti conspirationem per dextram.

68 (66). De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hoc ut supra de liberis hominibus diximus, ne forte parentes eorum contra iustitiam fiant exheredati, et regale obsequium minuetur, et ipsi heredes propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur. Et ut saepius non fiant banniti ad placitum, nisi sicut in alio capitulare praecepimus, ita observetur.

69 (67). Decernimus ut, si quis aliter testes habere non potuerit, volumus ut per comitis iussionem quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem prolaturi publico conventu adducantur, ut per ipsos rei veritas cum iuramento valeat inquiri. Quodsi de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorum possit habere testes, antequam iurent fiat inquisitio facta. Quodsi omnes ad unam partem dixerint testimonium, iurent quod verum dixissent testimonium. Quodsi dissenserint, et quaedam pars testium unum praebuerit testimonium et alia alterum, tunc interrogentur, si audent per pugnam illorum testimonium approbare. Quodsi nulla pars alteri cesserit, iurent, et per pugnam probetur illorum testimonium. Quodsi una pars se subtraxerit, tunc pars illa quae ausa fuerit contendere recipiatur ad testimonium.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Ego habeo possessam ipsam terram per 30 annos. — Potes probare tuam possessionem? — Non possum, sed quaero, quod comes det michi tales homines, quia ipsi sciunt veritatem. — Et cum testes dati fuerint a comite, tunc laudati producantur, ut superius diximus (Lud. P. 15). *Si vero adversarius interrogetur de oppositione et ipse dixerit: « non possum, sed quaero a comite », sit similiter et sit bellum inter utrumque, ut superius diximus, si pars parti dissenserint. Si vero omnes consenserint, sit ut legitur in lege. Si vero unus a quinque, vel duo a quatuor dissenserint, tunc*

---

69. Testium probatio que alicui partium vel utrisque a comite datur multum differt ab aliis: quia, si testium ab utraque parte sine comitis iussu datorum quattuor vel quinque ex una parte et duo vel unus ex alia sunt, causa cadat is cuius testes dissenserint; testes vero a comite iussi, nisi omnes uni parti, vel tres uni et tres alteri parti consenserint, neutra pars causa cadere poterit.

testimonium quinque vel quatuor recipiatur. Quod a quibusdam aliter sentitur; dicunt enim, ut parti labenti alii subrogentur.

70 (*Kar. M.* 125). De feminis, quas defunctis viris lex Longobardorum (Liutpr. 99) prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare velumque suscipere, petierunt nostram licentiam, ut mox, dum divina pietas inspiraverit eas, indennes liceret suscipere. Nos autem considerantes, quia propter ipsam dilatationem multae etiam raptae intra idem spatium ad aliam partem distractae fuerant, ideo earum petitionem quam iustam censuimus suscepimus et eis ita fieri concedimus (*Hludov. II capit. pro lege tenend. Ticin. a.* 856, *c.* 1: *Legg. I*, 435).

71 (69). Ut nullus cangellarius pro ullo iudicato aut scripto aliquid amplius accipere audeat, nisi dimidiam libram argenti de maioribus scriptis, de minoribus autem infra dimidiam libram, quantum res assimilari possit et iudicibus rectum videtur, accipiat. De orphanis autem vel ceteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia comitis sit, ut nequaquam inde aliquid accipiat. Notarius autem hoc iurare debet, quod nullum scriptum falsum faciat nec in occulto aliquod scriptum faciat neo de uno comitatu in alio scribat, nisi per licentiam illius comitis, in cuius comitatu stare debet. Si vero necessitas itineris aliquem compulerit aut infirmitas gravis, secundum capitulare donni ac nostri genitoris (Lud. P. 11) faciat. Quodsi aliter fecerit, inanis et vacuus appareat (*Hlotharii capit. Pap. a.* 832, *c.* 13: *Legg. I*, 361).

72. De cartis quae a quibusdam personis falsae appellantur constituimus, ut, si notarius suprafuerit et testes, ipsi eas veras et idoneas faciant, et, si testes mortui fuerint et notarius supervixerit, cum 12 iuratoribus ipsam cartam veram et idoneam faciat (*Hludov. II cap. pro lege tenend. Ticin. a.* 856, *c.* 5: *Legg. I*, 436).

73 (70). Placuit nobis, ut haec capitula quae excerpsimus de capitulari bonae memoriae avi nostri Karoli ac genitoris nostri Lodoici imperatoris his omnibus sanctae Dei aecclesiae et nostris fidelibus in regno Italiae consistentibus pro lege teneantur et serventur. Et quicumque horum capitulorum contemptor extiterit, 60 solidos componat (*Hlothar. capit. Pap. a.* 832, *c.* 14: *Legg. I*, 362).

74 (71). Quicumque liber homo a comite suo ammonitus aut a ministris eius ad patriam defensandam ire neglexerit, et exercitus

74. In eo quod hic habetur: « capitali subiaceat sententie » a Widonis capitulo quod est: « Si igitur ex precepto » (Wid. 4) rumpitur, in quo widrigild componere iubetur.

supervenerit ad istius regni vastationem vel contrarietatem fidelium nostrorum, capitalem subiaceat sententiam. Similiter observandum est, si vocati fuerint audito inimicorum nostrorum adventu, et contigerit, quod hostis non supervenerit: hi qui vocati fuerint et venire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet (*Hlotharii, ut videtur, capit. incerti anni: Legg. I*, 233, *c.* 11).

75 (72). Ut si cuiuscumque servus liberam feminam sibi ea consentiente in coniugio copulaverit, et infra anni spatium secundum legem ad vindictam traditi non fuerint, sicut lex tales personas nostro fisco sociat, ita nostra liberalitate concedimus, ut in potestatem et in servitium domini illius cuius servus fuerit ambo revertantur (*C.* 75—77 = *Hlothar. constit. circa a.* 823 *data, c.* 1. 2 *init.* 3: *Legg. I*, 233, *c.* 12 *i. f.*).

Maria cum Dominico tuo tutore, te appellat Martinus, quod tu es sua ancilla et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Libera sum nascendo. — Hoc dico ego, quod tu te sciente sociasti te in coniugio cum Donato meo servo, et est transactus annus. — Probet aut taceat.

76 (74). Similiter concedere volumus cunctis liberis personis, ut nullus iudex publicus seu ministri publici eas contra legem audeant pignerare in bovibus, quia audivimus multa danna atque afflictiones propter hoc populum nostrum sustinere. Neque cogantur ad placita venire praeter ter in anno, sicut in capitulari continetur, exepto scabinis et causatoribus et testibus necessariis: quia omnia volumus auferre, ut populus noster pacifice sub nostro regimine vivere possit.

77 (73). Concedimus etiam gastaldiis nostris curtes nostras providentibus, si proprio eorum pretio res emerint aut quolibet iusto adtractu adquisierint, sicut lex illas ad nostram partem concedit, ita nos eas illis concedimus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint.

78 (75). Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio, et ille qui mallatus fuerit dixerit: « ideo ei respondere nolo quia servus alterius

---

75. Capitulum hoc, non de alia nisi de Longobarda femina et de cuiuscumque servo proloquens, Liuprandi legem, que est « Si qua mulier » (Liutpr. 24) partim corrumpit et reducit memorie.

76. Rotharis lex quae est « Si homo liber qui debitor est alias » (Roth. 251) ab hoc confirmatur capitulo.

77. Rotharis lex que est « Si gastaldius vel actor » (Roth. 376) ab hoc partim rumpitur capitulo.

78. In hoc capitulo non est intelligendum, ut ad servitutem appellatus dicere possit, se non responsurum, eo quod appellatorem suum vel alterius servum esse dicat, quod in subsequenti tertio capitulo (Loth. 80: cf. cap. 79 i. f.) liquet, in quo ad servitutem adpellatus libertatem suam iubetur

sit », aut si testimonia produxerit, et similiter dixerit, quod ea recipere non debeat, quia aliquis eorum servus sit alterius, nominet dominum eius et sic det wadiam de eo ad placitum adducendo; et posito placito, in quantum ire, ubi eum invenire credit, et reverti possit, ut iudices dixerint. Si in placito constituto dominum non adduxerit, praebeat sacramentum, quod pro nulla dilatione iustitiae eius hoc dixerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quod si iurare ausus non fuerit, quia pro occasione prolongandae iustitiae hoc dixerit, componat illi bannum nostrum et iustitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit, qui se dominum eius dicat, et illum quem de servitio appellavit replicare ad servitium non valuerit, tunc ille qui se dominum eius dixit bannum nostrum illi componat, eo quod pro conculcanda iustitia ingenium tale facere ausus fuit. Crimina vero, si super eum pro dilatanda iustitia imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, et iustitiam faciat et insuper bannum nostrum pro tanta calliditate componere cogatur (*C.* 78—80 = *Hludow. II capit. in leg. data a.* 855, *c.* 1-3: *Legg. I,* 436 *sq.*).

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum patrem. — Non tibi respondeo, quia tu es servus de Paulo de Cremona. — Da sibi vadimonium de illo domino ad placitum adducendum in Kalendis Marciis. — Et posito placito imminente dic: « Domne comes, hoc dicit Petrus, quod in tali die appellavit eum Martinus, quod ipse habebat occisum suum patrem, et ipse dixit, quod nolebat ei respondere, quia erat servus de Paulo de Cremona, et dedit vadia de adducendo dominum ad placitum, et ecce dominus ». — Si non potuerit adducere, iuret, quod per occasionem prolongandae iustitiae non dixit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsam terram possessam habeo per 30 annos. — Potes probare? — Sic possum. — Da vadia de probare. — Non recipiam ipsum testem, quia est servus de Dominico de Mediolano.

---

defendere: appellatorem servum suum vel alterius servum dicere non est libertatis defensio. — § 2. Quod hic habetur: « crimina vero, si super appellatorem vel testem pro dilatanda iustitia imponere voluerit », intelligunt quidam ea tantum crimina, quibus aliquis ignominiosus vel infamis dampnabatur, ut in Institutis quarti libri hac lege precipitur, in qua habetur: « ex quibusdam iudiciis dampnati ignominiosi fiunt » (Inst. IV, 16, 2). Sed convenientius est, appellatum dicere, appellatorem adversus se crimen commisisse gravius, quod in nono Codicis libro, « Qui accusare non possunt » titulo: « Prius est, ut criminibus que tibi graviora ab adversario obiciuntur, cedis atque vulneris, respondeas et tunc ex eventu cause iudex estimabit, an tibi permittendum sit eundem accusare, tametsi prior inscriptionem deposuisti » (Cod. IX, 1, 1).

— *Et sic fiat, ut dixi. Si dixerit, appellatorem vel testes esse periurum vel raptorem, probet aut emendet bannum.*

79 (76). Si forte quispiam aliquem mallaverit, et ille qui mallatus fuerit dixerit, eum suum servum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, iubemus ut praesentaliter se wadient ut ad primum vel secundum vel tercium placitum causam ipsam deliberent. Inter placitum et placitum sint dies quindecim; tertium vero quando comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies 15, sin autem in alio, sint dies 20, ne pro tali occasione eius iusticia prolongetur. Quod si in his tribus placitis ille qui quaerit venire neglexerit, excepto servitio regis aut inevitabili necessitate, et comes placitum habuerit, ille quoque alius ad suam libertatem probandam paratus fuerit, tunc comes ipsam causam finiat, veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra ille qui quaesierit facundiam de servitio illius dicendi non habeat, et insuper bannum nostrum illi componat ac iustitiam plenissimam faciat. Et sunt aliqui qui, dum alios in servitio mallant, et ipsi de sua libertate probanda wadiam dant, in tantum eos mutando placito lacerant, ut vix per suam paupertatem evadere possint: unde tertium capitulum addere placuit.

Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti sibi unam plagam in capite. — Non tibi respondeo, quia tu es servus meus. — Liber sum nascendo. — Potes probare tuam libertatem? — Sic possum. — Da vadia de probare, et tu da vadia de contra placito, si potes; et vadiate vos, ut ad primum vel ad secundum aut ad tertium placitum causam definiatis.

Domne comes, hoc dicit Petrus, quod in Kalendis Augusti appellavit Martinus, quod ipse fecit sibi unam plagam in capite; et ipse dixit, quod nolebat ei respondere, quia erat suus servus; et ipse dixit, quod erat liber nascendo, et dedit vadia de probare suam libertatem, et ipse dedit vadia de contra placito, et vadiaverunt, quod ad primum vel secundum vel tercium placitum causam diffinirent; et ipse fuit ad omnia tria placita, et ipse noluit venire. Modo est paratus in vestra praesentia ad diffiniendum placitum, sicut dedit vadia.

---

79. Dicens hoc capitulum: « praesentialiter se wadient, ut ad primum aut secundum vel tertium placitum causam deliberent » patefecit omnino causa casurum, si ad hec placita tria venire neglexerit. Unde patet, ad servitutem appellatum, qui libertatem probandi wadiam dederit, ita causa cadere, si ad placita tria venire neglexerit, sicut hic de appellatore precipitur.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Non tibi respondeo, quia ego appellavi te, quod tu habebas michi factam unam plagam in capite, et tu dixisti, quod ego eram tuus servus; et dedi vadia de probare meam libertatem, et tu dedisti vadia de contra, et vadiavimus quod ad primum vel ad secundum vel ad tertium placitum causam diffiniremus; et ego fui ad omnia tria placita, et tu neque ad unum, et comes recepit meos testes. — Non fuit quod tu dicis inter me et te, aut comes non habuit placitum. — Tunc ille qui appellatus est ad servitium, probet. Si dixerit ipse qui appellavit: « ego fui paratus ad unum placitum aut fui infirmus », probet. Sed melius est, ut dicat, quod non misit neglegentiam.

80 (77). Si vero aliquis alium ad servitium mallaverit, et ille qui mallatus fuerit wadiam de sua probanda libertate dederit, iubemus ut supra: ad primum aut ad secundum vel tertium placitum causam deliberent. Inter placitum et placitum sint dies 15; tertium vero, quando comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est; sin autem in alio, sint dies 20. Et si in his tribus placitis ipse qui quaerit venire contempserit, anteposito quod supra anteposuimus, et comes placitum habuerit, ille namque alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc comes ipsos testes recipiat et causam diffiniat, veluti si ipse qui quaerit praesens fuisset, et ultra ille qui quaesierit tacitus de servitio illius permaneat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es suus servus et malo ordine subtrahis te de suo servitio. — Liber sum nascendo. — Det vadia de probanda sua libertate, et dent vadia de finienda intentione ad primum vel secundum vel tertium placitum; et si alterutra persona non venerit, finiatur ut supra dictum est. Si vero appellatus probare suam libertatem non potuerit, tunc appellator

---

80. Quamquam hic habeatur: « et ipse wadiam ad probandam libertatem dederit », non tamen, ut cogendus sit, datur intelligi, quod in Codicis 7. libri exprimitur capitulo: « Ingenuum se contendendo nec probando non amittat libertatem » (Cod. VII, 14, 13). — § 2. Ad servitutem appellatus, quia donec ad placitum finiatur, est habendus pro libero, velut liber in placito obligationem facere non prohibetur, declarante Codicis 7. libri capitulo: « Lite ordinata in possessione libertatis is de cuius libertate agitur et queritur, constituitur liber, et interim pro libero habetur » (Cod. VII, 16, 14). — § 3. Si de impuberis servitute contigerit querimoniam fieri, donec quattuordecim sit annorum, placiti sunt dande inducie, 6. libri Codicis hoc dicente capitulo: « Si tibi ac filio tuo status controversia movetur » (Cod. VI, 17, 1), in quo sic habetur: « Servitutis vero questionem in tempus differri pubertatis ». Si vero servitutis appellator probandi wadimonium dederit, non has est habiturus inducias, que appellato ab hoc conceduntur capitulo, sed eas que in Rotharis iubentur lege « Si quis alii wadiam de sacramento dederit » (Roth. 362). Si autem alterius legis est, iuxta legem suam sunt concedende indutie.

approbet eum suum servum esse; et si non potuerit probare, tunc appellatus iuret suam libertatem.

81 (78). Volumus ut, si quaelibet persona in finibus regni nostri ignem in silvam convivare ausa fuerit, diligenter inquiratur; et si servus comprobatus fuerit hoc fecisse, aut dominus eius eum ad flagellandum et caput tondendum tradat, aut pro eo, quicquid dampnietatis fecit, emendare cogatur. Si quoque libera persona hoc fecisse probata fuerit, penitus emendare cogatur, et insuper bannum nostrum componat; et si non habuerit unde componat, flagelletur. Quodsi factum fuerit, per meliores loci illius inquiratur. Si in qualibet persona suspectio fuerit, si servus est, ad iuditium dominus eius mittat, aut ipse pro eo sacramentum faciat; quodsi libera persona fuerit, proprio sacramento se idoneum reddat (*C.* 81 — 82 *incertae originis*).

Petre, te appellat Martinus, quod tu convivasti focum in unam suam silvam, et habuit damnum 100 solidorum per ipsum focum, aut Marcoardus tuus servus.

82 (79). Auditum comperimus, in finibus Tusciae talia scripta esse prolata, quae absque mense et die mensis sunt: de quibus volumus, ut, si deinceps prolata fuerint, nullum habeant vigorem.

83 (80). De his personis, quae res suas ideo in alteram personam delegant, ut ad placitum venire non compellantur, ut mala quae facta habent non emendent: quodsi apparuerit ideo delegasse, ne iustitiam facerent, volumus, ut ipsae res in bannum mittantur, quousque illi qui eas habent auctorem ad placitum adducant et isdem malefactor iustitiam faciat (*Hludow. II, capit. incertae originis : Legg. I*, 388).

84 (81). Qui sponsam alienam ipsa non consentiente rapuerit, licet cum ea concubuerit, reddat ei eam cuius sponsa est, et is ducat eam, si velit, quia vim passa potius quam violata videtur; quodsi eam ducere noluerit, accipiat alteram feminam. Tamen si et ipsa nubere voluerit, excepto raptori, cui voluerit alteri legitime copuletur; raptor vero adulterii criminis reus teneatur. Quodsi ipsa consenserit, similiter ut raptor a nuptiis alterius prohibeatur, et is qui eam accepturus erat aliam qualem voluerit accipiat (*Incertae originis*).

85 (82). De liberis hominibus, qui super alterius terram resident et

---

83. Capitulum hoc, dicens de rebus in bannum trasactandis, non diffiniens terminum, patefecit a parte publica tenendas: alioqui cogetur nullo modo.

84. Lodoyci « Si quis sponsam alienam » (Lud. P. 14), patri sponsam reddi precipiens, ab hoc rumpitur capitulo; Caroli vero « De disponsatis puellis » (Karol. M. 122), sponso reddendam esse iubens, ab hoc confirmatur capitulo.

usque nunc a ministris rei publicae contra legem ad placita protrahebantur et ideo pignerabantur, constituimus, ut secundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et si quis eos contra hanc nostram auctoritatem et eorum legem pignerare aut distringere praesumpserit, patrono eorum omnia cum lege emendet et insuper pro ipsa praesumpione bannum nostrum componat (*Hludow. II, capit. pro leg. tenend. Ticin. a.* 856, *c.* 3: *Legg. I*, 435).

86 (83). Ut omnis episcopus abbas et comes, excepto infirmitate vel nostra iussione, nullam excusationem habeat, quin ad placitum missorum nostrorum veniat aut talem vicarium suum mittat, qui in omni causa pro illo rationem reddere possit (*Hludowic. P. capit. missor: a.* 817, *c.* 28: *Legg. I*, 218).

87 (84). Si quis episcopus aut propinquitatis affectu aut muneris ambitione aut causa amicitiae senodochia aut monasteria vel baptismales aecclesias suae aecclesiae pertinentes cuilibet per emphiteuseos contractus dederit, se suosque successores poena mulctandos conscripserit, potestatem talia mutandi rectoribus aecclesiarum absque poenae conscriptae solutione concedimus (*C.* 87 — 91 = *Hlotharii capit. per se scrib. a.* 823, *c.* 1—5: *Legg. I*, 235 *sq.*).

88 (85). Statutum est ut, si quis liber homo per consensum episcopi sui aecclesiam in sua construxerit proprietate, fontesque in eadem ab episcopo fuerint consecrati, ideo non perdat suam hereditatem. Sed si episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam transferat aecclesiam: ipsa vero a qua transfertur in constructoris maneat iure.

89 (86). Si quis adulter cum adultera comprehensus fuerit, et secundum edictum legis Longobardorum marito adulterae ambo ad vindictam traditi fuerint, si eos quispiam emerit eosque coniunctos in eodem scelere habere repertum fuerit, ipsos fiscus adquirat.

90 (87). Si quis liber homo uxorem habens liberam propter aliquod crimen aut debitum in servitio alterius se subdidit, eademque coniunx manere cum ipso voluerit, ipsorum procreatio quae de tali coniugio nata fuerit libertatis statum non amittat. Si vero ea defuncta secunda uxor et tamen libera tali se sciens iunxerit coniugio, liberi illorum servituti subdantur.

---

87. Lotharii capitulo « De precariis quoque » (Loth. 21) hoc concordat capitulum.

88. Romana lex (cf. Inst. II, 1, 7, 8), in eo quod neminem in proprio suo ecclesiam habere posse insinuat, ab hoc capitulo rumpitur.

89. Lotharii « Si quis homo alienam uxorem » (Loth. 2) et Liuprandi « Si quis dixerit coniugi suae » (Liutpr. 129) istud concordat.

91 (88). Statuimus ut, si femina vestem habens mutatam moecha deprehensa fuerit, non tradatur genitio, sicut usque modo, ne forte, quae prius cum uno, postmodum cum pluribus locum habeat moechandi: sed eius possessio fisco redigatur, et ipsa episcopali subiaceat iuditio.

92 (89). De homicidio, unde lex pro simplicitate probationem trium testium quaerit, et testes habere non potuerit, concedimus, ut cum 12 iuratoribus iuret et, ab eadem simplicitate absolutus, proprium non amittat (*Hludow. II, capit. pro leg. ten. Ticin. a.* 856, *c.* 4: *Legg. I*, 435).

93 (90). Sanctitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere presumat, ne Christi passio quae glorificata est cuiuslibet temeritate contemptui habeatur (*Hludow. P. capit. ecclesiast. a.* 817, *c.* 27: *Legg. 1*, 209).

94 (91). Ut terminum habeat unaquaque aecclesia, de quibus villis decimam recipiat (*Capit. apud Ansegisum quoque servatum, I*, 149).

95 (92). Nulli liceat excepto causa fornicationis adhibitam uxorem relinquere et deinde aliam copulare, alioquin transgressori priori convenit sociari coniugio. Sin autem vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine consensu episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore nolente aut altero eorum etiam pro tali re matrimonium non solvatur (*C.* 95. 96 = *Concilium Roman. a.* 826, *c.* 36. 37).

96 (93). Nulli liceat, uno tempore duas habere uxores, uxorem vero et concubinam: quia, cum domui non sit lucrum, animae fit detrimentum. Nam sicut Christus castam observat aecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugium.

97. Ut sponsam alterius nemo recipiat (*Karoli M. capit. eccl. a.* 789, *c.* 51: *Legg. I*, 62).

98 (94). De iudicibus inquiratur, si nobiles et sapientes et Deum

---

92. Capitulum hoc, superveniendo occidentem Longobardum res suas perdere iubens, Liuprandi legem « Si liber homo se defendendo » (Liutpr. 20) affirmat cunctasque leges eam rumpentes (Karol. M. 20. Pipin. 10. Lud. P. 10, 12, 18) rumpit.

93. Lodoyci « Si duo testimonia » (Lud. P. 3) et Caroli « Si auctor venerit » (Karol. M. 130) partim rumpuntur a capituli huius sententia.

95. Liuprandi lex que est « Si quis amodo inventus fuerit » (Liutpr. 120) feminam venumdari iubens, pluresque leges Romane propter fornicationis causam coniugium dissolvi concedentes ab hoc rumpuntur capitulo.

97. Rotharis lex, que est « Si quis puellam aut viduam » (Roth. 190), ex hoc quod dicit: « et mundium eius qualiter steterit faciat », ab hoc partim rumpitur capitulo.

98. Superioribus: « Omnibus igitur episcopis » (Lud. P. 56), « Notarius autem hoc iurare » (Loth. 71)

timentes constituti sunt: iurent, ut iuxta suorum intelligentiam rectum iudicent, et pro muneribus vel humana gratia iustitiam non pervertant nec differant, et quod iudicaverint, confirmare sua subscriptione non dissimulent. Ubi autem tales non sunt, a missis nostris constituantur et idem sacramentum facere cogantur. Quodsi viles personae et minus idoneae ad hoc constitutae sunt, reiciantur. Similiter et notarii legibus eruditi et bonae opinionis constituantur et iusiurandum praebeant, ut nullatenus falsitatem vel colludium scribant; et qui hoc fecisse praeterito tempore inventus fuerit, praesentaliter dampnetur (*Hlothar. capit. missor. a.* 832, *c.* 5: *Legg. I*, 438).

99 (*Lud. II*, *8*). De his coniunctionibus, quae secundum canones aut aedictum esse non possunt copulatae, placuit nobis, ut separentur ab invicem (*Ahist.*, 8 *init.*).

100 (95). Ut per triginta annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus aut mater illius ancilla fuit. Similiter de aldionibus (*Hlothar. capit. Pap. a.* 832, *c.* 12: *Legg. I*, 361).

101 (96). Ut episcopi diversique sacerdotes habeant advocatos. Quia episcopi et universi sacerdotes ad solam laudem Dei bonorumque operum actionem constituuntur, debet ergo unusquisque eorum tam pro aecclesiasticis causis quam etiam propriis actionibus suis, excepto publico videlicet crimine habere advocatum, non malae famae suspicatum sed bonae opinionis et laudabilis artis inventum, ne dum humana lucra attendunt, aeterna praemia perdant (*Concil. Roman. a.* 826, *c.* 19).

102 (97). De notariis qui cartulas recipiunt ad scribendum, si eas non scripserint aut si eas perdiderint, restaurent ipsas res cui ipsae cartulae esse debent. Et si negaverint, quod ipsae cartae eis traditae non fuissent, iurent cum suis sacramentalibus (*Incertae originis*).

103 (*Lud. II*, 2). De viduis et pupillis et orphanis coecis et claudis:

---

istud concordat capitulum. — § 2. Iudicem iudicium scripto oportet statuere, Codicis septimi libri dicente capitulo: « Statutis generalibus iussimus, ut universi iudices, quibus reddendi iuris in provinciis permisimus facultatem, cognitis causis, ultimas diffinitiones de scripti recitatione proferant. Huic addicimus, ut sententia, que dicta fuerit, cum scripta non esset, nec nomen quidem sententie habere mereatur, nec ad rescissionem perperam decretorum appellationis sollempnitas requiratur » (Cod. VII, 44, 3).

101. Superiori « Omnibus igitur episcopis » (Lud. P. 56) concordat huius capituli sententia. — § 2. De crimine publico, velut est adulterium homicidium ceteraque de quibus sancti precipiunt canones, episcopum presbiterum diaconum advocatum habere non expedit. Sed episcopus cum 12 episcopis, presbiter cum 12 presbiteris, diaconus cum 12 diaconibus, velut in canonibus legitur, se purificet.

tuitionem atque aminiculum imperciamus iuxta possibilitatem nostram vel vires, sicut in praecepto domni regis continetur (*Statuta Rhispacensia a.* 799 *edita*, *c.* 14: *cf. Legg. I*, 78).

104 (*Lud. II*, 1). Dictum est nobis, ut in quibusdam locis episcopi et comites ab incestuosis et his qui decimas non dant wadias accipiunt et a presbiteris quibusdam neglegentibus, et inter se pecunias dividunt: quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiae locus detur, et constituimus ut incestuosi iuxta canonicam sententiam poenitentia multentur. Qui vero decimam post tres ammonitiones et praedicationem sacerdotum dare neglexerit, excommunicetur. Iuramento vero eum constringi nolumus propter periculum periurii (*Capit. apud Ansegis. quoque servatum*, *II*, 37).

105 (*Lud. II*, 3). De raptoribus vero, antiquorum patrum statuta sequentes, hoc tenendum censuimus, ut si eas rapuerint, quae cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatae sunt, licet easdem corruperint, abstrahantur tamen ab ipsis et propriis sponsis reddantur: quae vero vel viduae sunt vel adhuc sponsae non fuerint et absque ipsarum et parentum voluntate rapiuntur, nichilominus parentibus vel propinquis restituantur et aliis si voluerint nubant; nam ipsis a quibus raptae sunt legitimae demum uxores nullatenus esse possunt. Ipsos autem raptores eisque auxilium praebentes, quamquam anathematizandos antiqui canones praecipiunt, in ultimo tamen constitutis, si devote postulaverint, sacrae communionis viaticum pro misericordia non denegamus. Quodsi aliquis de ordine clericali huiusmodi transgressor vel cooperator exstiterit, proprii gradus honore carebit (*C.* 105, 106 = *Synod. Ticin. a.* 850 *habit. c.* 10, 20: *cf. Legg. I*, 398, 402).

106 (102). Comperimus, quod ab his qui secundum mundanam legem

---

104. Dicitur a quibusdam, in eo quod incestuosus hic penitentiae tantum subicitur, in superiori vero « Placuit nobis, ut si pro quibuslibet culpis » (Loth. 15) litigari excommunicarique precipitur, illud ab hoc rumpi capitulo.

105. Lodoyci capitulum « Si quis sponsam alienam » (Lud. P. 14), sponsam patri reddi iubens, ab hoc rumpitur capitulo, Caroli vero « De disponsatis puellis » (Karol. M. 122) roboratur, sponso reddendam esse precipiens. — § 2. Rotharis « Si quis violento nomine », « Si quis rapuerit puellam aut viduam » (Roth. 187. 191), mundium de rapta posse fieri precipientes leges, ab hoc rumpuntur capitulo precipiente, de raptore raptaque nullum fieri posse coniugium. — § 3. Non putandum est, Codicis noni libri capitulum: « Raptores virginum » (Cod. IX, 13) ab hoc rumpi capitulo, quamquam raptor illic interfici, hic vero anathematizari iubeatur. Sed intelligendum est, ut prius anathematizentur, sicut hic precipitur, postea vero interficiantur, velut illic iubetur.

106. Non intelligendum est Liuprandi « Continet autem » (Liutpr. 119) et Rotharis « Si quis mundium puelle » (Roth. 197) ab isto rumpi capitulo precipiente, ut imperatori notificetur ipseque pupillo vel vidue alium tutorem instituat, quandoquidem canonum hoc est capitulum.

viduarum et orphanorum tutelas sibi vendicant, non solum negleguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur: quibus ecclesiastica solicitudine succurrendum esse censemus. Et si huiusmodi oppressores ab episcopi ammonicione corrigi voluerint, gradulandum his est; sin autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum est clementissimo imperatori, quatinus ipse efficacem tutorem tribuat, ut et illi remuneratio reddatur a Deo, et de inutili silentio sacerdotalis ordo non dannetur.

107 (98). De incestis coniunctionibus hoc praecipimus, ut nullus deinceps propinquam nec quam propinquus habuit uxorem ducat (*Incertae originis*).

[CAPITULA WIDONIS].

1. Placuit nobis etiam summopere statuere, ut episcopi et comites uniti sint in suis parochiis et comitatibus pro pace et salvatione in omnibus honoribus suis habitantibus, ita ut nullum praedonem raptorem vel incestum permittat morari in suis sedibus vel concessis honoribus; et si intellexerint, ex alia parte per eorum terminos velle aut debere transire exteros ad istius regni vastationem, obviam eis missos communitorios dirigant, ut pacifice sine praeda per eorum transeant terram; vendere autem eis quae necessaria sunt faciant, non plus carum sed secundum usum et consuetudinem terrae. Si vero noluerint adquiescere sed praedas et rapinas exercuerint, quicquid alteri rapuerint, legaliter cum banno nostro ab episcopo et comite eiusdem loci emendare cogantur: quodsi exequi noluerint, statim ab episcopo excommunicentur. Postea vero si contigerit, ut comes loci populusque terrae super ipsos praedones venerint et eos impedierint et fuerint mortui, neque faida inde crescat neque compositio aliquando requiratur pro his qui ibidem occubuerint. Et si comes eiusdem loci hoc adimplere neglexerit, proprio honore privetur; et si oportuerit et necesse fuerit, ut in suo auxilio vicinum advocet comitem, et ille se

---

1. Martine comes, hoc te appellat Iohannes partis publice advocatus, quod tu, sciens exteros regni ad devastationem venire, commonitorios cum episcopo tuo nuntios, ut pacifice venirent, eis mittere neglexisti. — § 2. Martine comes, hoc te appellat Iohannes comes, quod, exteris ad regni devastationem venientibus, invitatus ab eo, ut sibi contra eos succurreres, ei succurrere neglexisti. — § 3. Caroli « Volumus ut episcopi et comites », « Sed et hoc volumus ut comites » (Karol. M. 59. 67.) hoc concordat capitulum.

substraxerit, similiter proprio privetur honore et insuper 30 libras argenti comiti persolvat (*C.* 1 — 9 = *Widonis capit. a.* 891 *editum: Legg. I*, 556 *sqq.*).

2. Quicumque igitur ex laicali ordine, tam liberi quamque servi homines, in comitatu commanentes a proprio comite vel a publica parte, id est ab eis qui rem publicam agunt, ammoniti fuerint, si se subtraxerint ab adiutorio sui comitis et eum non adiuvaverint infra ipsum comitatum contra praedones supervenientes in suo comitatu, tertiam partem liberi ex suis mobilibus componant, servi autem 60 ictus accipiant; si tamen probatum fuerit, quod eis denuntiatum fuisset.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti suum patrem. — Non occidi, quod per legem emendare debeam.

Petre comes, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu intellexisti, quod extranei homines debeant transire ad vastationem istius regni, et habuisti neglegentiam de transmittere cum tuo episcopo obviam eis missos communitorios, ut pacifice transirent per vestram terram.

Petre comes, te appellat Martinus comes, quod ipse invitavit te, quod tu adiuvasses eum de extraneis, qui veniebant vastare suum comitatum, et tu te subtraxisti.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu fuisti ammonitus a tuo comite, quod tu adiuvares eum infra comitatum contra supervenientes praedones, et te subtraxisti.

3. Neque comes neque loco positus neque sculdasius ab arimannis suis aliquid per vim exigat praeter quod legibus constitutum est; sed neque per suam forciam in mansionem arimanni sui applicet aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si vero de praedictis personis publicis hoc irritum fecerit, honore proprio sive ministerio privetur et secundum legem emendet.

Petre comes, te appellat Martinus tuus arimannus, quod tu albergasti per virtutem in casam suam et tulisti sibi per virtutem unum porcum qui valebat solidos 10. — De torto me appellas. — Da sibi vadimonium, ut, si te recordatus fueris, ut emendes: si non, ut te exdicas.

Cuius placiti sacramenta sunt, appellatoris: « de hoc unde te appellavi, me sciente de torto te non appellavi, si Deus »; appellati: « de hoc unde tu me appellasti, de torto me appellasti, si Deus ». Poena est appellatoris quidem: decima pars litis aliquando; et appellati victi: semper ut honore aut ministerio privetur, ut bannum persolvat et secundum legem appellatoris emendet malum.

4. Si igitur ex praecepto imperiali comes loci ad defensionem patriae suae suos arimannos hostiliter properare monuerit, aut per se aut per suum missum, et aliquis eorum remanserit, exceptis his quos episcopus in sua elegerit necessitate aut comes dimittere voluerit, nisi, aliquis sunnis et ceteris impedimentis quae legibus continentur detentus fuerit, widrigild suum componat. Et hoc nullus comitum aut publicus potestatem habeat exigendi, nisi cum misso de palatio imperatoris.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod comes tuus per praeceptum imperiale ammonuit te, quod hostiliter pergeres ad defensionem patriae et ad casam remansisti. — Non placeat Deo. — Tunc appellatus det vadium, ut si se recordatus fuerit ut emendet, sin autem, quod se excdicat.

Cuius placiti sacramenta sunt ita, ut advocatus non iuret, sed tantum appellatus: « comes meus per praeceptum imperiale non ammonuit me, nec per se nec per suos missos, ut hostiliter pergerem ad defensionem patriae, si Deus », aut: « ego ad casam non remansi, si Deus ». — Poena quidem est, ut widrigild suum tribuat.

5. De cartis vero interdicimus: nemini liceat alienas res praesum-

---

5. Si quis terram alienam invaserit et alii vendiderit, et emptor sciens esse invasam se intromiserit, et ipse cui fuerit invasa eum voluerit appellare, sic dicat: Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes ei terram in tali loco malo ordine. — Respondet: non est verum, quia ipsa terra mea propria est per cartam quam Dominicus michi fecit. — Illa carta nichil michi nocet, quia ipse michi eam invasit et tu sciens esse invasam emisti. — Respondet Petrus: non est verum, quod tibi invasisset. — Tunc probet Martino Petrus, Dominicum sibi invasisse. — Probatione peracta Petrus respondeat: licet invasisset, tamen perdere non debeo, quia eum invasisse ignorabam. — Secundum quosdam probare debet, quod se sciente ab invasore non emit, sed secundum melius sentientes Martinus probare debet Petro, quod se sciente emit ab invasore. Et si probare potuerit, tunc Petrus rem amittat, et insuper bannum componat, et adversus suum venditorem de duplo carte agere non possit. Et si probare non potuerit, tunc Petrus iuret, quod se sciente ab invasore non emisset, deinde reddat possessionem Dominico, Dominicus vero Martino iuxta Lodoyci capitulum « Legatio missorum nostrorum hec est » (Lud. P. 35), quia ibi legitur, quod res iniuste ablate restituantur quibus iniuste auferuntur. — Postea sit placitum inter Dominicum et Martinum, et si Dominicus legaliter adquirere potuerit, reddat Petro; si vero adquirere non potuerit, duplum quod in carta legitur Petro det, et insuper bannum componat iuxta Pipini legem que est « Ut nullus alteri presumat » (Pipin. 23) et cetera. — § 2. Aliter: si quis terram alienam invaserit et alii vendiderit, et ipse emptor se non intromiserit, emptor sic eum inde appellet: Rainalde, hoc te appellat Anselmus, quod tu tenes ei terram in tali loco malo ordine. — Respondet: hec terra mea propria est, et tibi quid pertinet ad requirendum? — Bene, quia ecce carta, quam Albertus fecit michi. — Dicat Rainaldus Anselmo: vis stare auctoris loco vel vis auctorem dare? — Auctoris loco stare volo. — Non potes, quia in hoc quod hec lex dicit, quod non deberes te intromittere, antequam auctor carte vendicet legaliter, ostendit, quod auctorem dare debes. — Igitur det Anselmus Albertum auctorem et sit placitum inter Rainaldum et Albertum; et tunc, si Albertus eam legaliter adquirere potuerit, Anselmus eam habebit; sed si adquirere non potuerit, det Anselmo duplum carte et insuper bannum componat. — § 3. Notandum est, quod hec lex de primo invasore Romanam legem debilitat et legem Longobardam affirmat; de secundo vero invasore legem Romanam affirmat et Longobardam infirmat. Hec lex de primo invasore in hoc legem Romanam debilitat, quod precipit in hoctavo Codicis titulo de tertio capitulo: « Si quis in tantam pervenerit audaciam » (Cod. VIII, 4, 7),

ptive invadere occasione cartulae ab eo factae, qui vestituram legitimam non habens dignoscitur invasisse; sed si quis adquisitor extiterit, non antea invadere alienas res, vel ecclesiae vel cuiuspiam hominis, praesumat, antequam auctor cartulae legali et iudiciali diffinitione eas vendicet: et tunc demum cui vult liberam tradendi habeat facultatem. Et si quis ipsas sine lege invaserit, non solum ipsas res amittat, sed insuper bannum nostrum componat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est. — Quid tibi pertinet? — Ecce carta, quam michi fecit Dominicus. — Ipsa carta nichil michi nocet, quia ipse qui fecit tibi ipsam cartulam michi invasit ipsam terram. — Probet ipse qui appellavit, et ipse qui tenet perdat terram et emendet bannum. Si vero appellator probare non potuerit, nisi falsaret, aut adversa probatione superatus

---

et manifeste denotat, invasorem sue rei proprietatem amittere, aliene rei ipsam restituere et alia tantumdem de suo proprio componere. Et hec lex primum invasorem propter invasionem non facit proprietatem ammittere, immo per invasionem dat ei licentiam requirendi proprietatem legali et iudiciali diffinitione: unde Longobardam legem in Rothare affirmat, ubi dicit: « Si quis exaraverit campum alienum » (Roth. 355); nam in hoc quod ipsa lex dicit: « si non potuerit suum probare, pro presumptione 6 solidos componat », ostendit, si potuerit suum probare, quod propter invasionem non debet ammittere nec compositionem facere, et alias (Roth. 151. Liutpr. 45. 46) quam plures, id est: « Si quis molinum in terra aliena » et « Si quis fossatum » et « Si sepem ». De secundo vero invasore, in hoc quod hec lex dicit, quod propter invasionem non solum rem ammittat sed insuper bannum componat, affirmat Romanam legem que pro sola invasione facit proprietatem ammittere, sive invasor primus sit vel secundus, et rumpit predictas leges edicti ab hac eadem lege de primo invasore affirmatas, in hoc quod non faciunt invasores, quicumque sit aut primus aut secundus, proprietatem ammittere, si legaliter rem potuerint conquirere, immo per intellectum concedunt. — § 4. Item si quis terram alienam invaserit et alii non tradiderit, sed sibi tenuerit, queritur, quid debeat inde fieri? Antiqui dicebant, quod hec lex nichil inde preciperet, ideoque iuxta Romanam legem, que omnium est generalis, hoc esse diffiniendum censebant, que iubet invasorem proprietatem ammittere (Cod. VIII, 4, 7). Sed male dicebant; quia, cum hec lex invasori concedit legali et iudiciali diffinitione adquirere, cum alii vendiderit, multo melius, cum sibi retinuerit. Ad hoc quidam contra dicebant dicentes: non per argumentum tibi credimus, nisi specialem legem ostendas. Quibus dici potest: si argumento credere non vultis, legem specialem habeatis, quia in hoc quod hec lex dicit, quod invasor primus post invasionem rei rem acquirere potest diffinitione legali, respexit legem Lodoyci que est « Legatio missorum nostrorum » (Lud. P. 35) et cetera, que ostendit, invasorem propter invasionem rem non ammittere, sive teneat sive vendat, si legaliter poterit acquirere, ubi dicit (Lud. P. 36): « Volumus autem de his libertatibus et rebus reddendis, quae in nostra investitura sunt, ut primum, id est ante restitutionem investiture, per optimos quosque rei veritas proprietatis inquiratur », scilicet cui ipsa proprietas pertinuerat vel non: per quod dat intelligi, quod de privatis intelligere debemus, quod rei veritas post restitutionem, id est postquam in possessionem fuerit missus, inquiratur. — § 5. Item si quis terram alienam invaserit et alii vendiderit, et ipse emptor, sive sciat invasam esse sive non, se intromiserit sed alii vendiderit, et ipse secundus emptor se intromiserit, sive sciat fuisse invasam sive non, tamen perdere non debet; quia hec lex alium non facit perdere nisi illum, qui emit a presumptivo invasore et scit, terram fuisse invasam. Sed tamen invasori investitura reddatur, et ipse reddat eam cui invasit, et placitum sit inter invasorem et illum cui invasa fuerit iuxta Lodoyci legem quae est « Legatio missorum nostrorum » et cetera (Lud. P. 35): et si ipse voluerit legaliter eam acquirere et potuerit, ei reddat a quo investituram acceperat; et si acquirere non potuerit, det ei duplum carte, quod

fuerit, refutet terram et camphioni ex parte eius dextra manus amputetur; ceteri vero ex parte eius manus suas redimant (Lud. P. 15); *ipse widrigild tribuat.*

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris, et quid tibi pertinet? — Ecce carta quam michi fecit Marcoardus. — Vis dare auctorem, an vis stare loco auctoris? — In loco auctoris volo stare. — Non debes tu stare in loco auctoris, quia ipse qui tibi vendidit invasit michi ipsam terram. — Et ita probet, si vero probare non potuerit, nisi falsaverit cartam, rem perdat, bannum persolvat. At si probare voluerit, et adversa probatione superatus fuerit, terram perdat, bannum solvat; camphio eius manu curtetur, ceteri falsi testes manum redimant, et ipse qui duxit falsos widrigild tribuat.

---

duplum ei promiserat, cum ipse ea vendiderat. — § 6. Item si quis terram alienam invaserit et alii vendiderit, et ipse emptor alii vendiderit et ipse secundus tertio, et ipse tertius quarto: etiamsi centum sint, omnes invasores dicuntur, ut dicit lex Lotharii que est « Quicumque rem alienam cuilibet vendiderit » et cetera (Loth. 60), ubi dicit: « is vero qui easdem res invasit primum et iniuste vendidit necnon et emptor, hoc quod fraudulenter ammiserit, infra patriam emendare cogantur », et insupra fruges, sicut lex ipsorum est, et bannum componat et insuper rem. — § 7. Item dicebant antiqui, hanc legem tantum loqui de duobus Longobardis in hoc quod lex dicit: « quod auctor cartule legali et iudiciali diffinitione eas vendicet » post invasionem, cum nullus preter Longobardum rem possit adquirere post invasionem. Sed male dicebant; quia hec lex generaliter de omnibus loquitur, qued videri potest in hoc quod dicit: « non antea invadere alienam rem ecclesiae vel cuiuspiam hominis liberi presumat ». Nam in hoc quod dicit de ecclesia, cum iam ecclesia ad legem Romanam vivebat iuxta Lodoyci capitulum quod est « Omnis ordo » (Lud. P. 53), per similitudinem ecclesie et per hoc quod dicit: « cuiuspiam hominis », universaliter intelligere possumus de omni genere hominum liberorum. — § 8. In hoc quod lex dicit: « nemini liceat res alienas presumptive invadere » et inferius dicit: « quod invasor legali et iudiciali diffinitione eas acquirere potest », ostendit, quod, licet res proprie sint invasoris, tamen eas vocat « alienas », idcirco quia alius eas possidet; per quod possumus videre, quod nos debemus intelligere, in lege Pipini que est « Nullus alteri presumat res suas tollere aut invadere » et cetera (Pip. 23) referendum esse « res suas » ad « alteri » non ad « nullus ». — § 9. Notandum est quoque, quia in hoc quod hec lex dicit, illum qui terram invadit et alii vendidit vendicare illi cui vendidit, multo melius, si eam invaserit et sua propria fuisset et alii vendiderit, sibi defendere debet. Hoc argumentum ab hac lege non est colligendum, cum hec lex in alio casu non loquatur, nisi quando terram invadit et alii vendidit. — § 10. In hoc quod hec lex dicit, quod auctor carte « tunc demum cui vult habeat liberam tradendi facultatem », dicunt quidam, quod ostendat, nullum habere liberam facultatem tradendi terram suam, nisi in eiusdem terre fuerit p o s s e s s i o n e. Sed male dicunt, quia hec lex vel ideo dicit: « tunc demum habeat liberam tradendi facultatem », quando habet liberam facultatem tradendi ius et actionem suam, sicut lex Romana precipit, sed ideo dixit: « tunc demum habeat liberam facultatem tradendi », quia tunc tantum ipse invasor post adquisitionem liberam habet facultatem emptorem mittendi in possessionem. — § 11. Item in hoc quod dicit: « tunc demum cui vult » dicebant antiqui, quod invasor post adquisitionem non est constrictus eam reddere cui vendiderit, sed cuilibet tradere potest. Sed male dicebant; quia « vult » non est hic positum in sua propria significatione, immo pro « potest » scilicet: « tradat cui potest », id est cui ante adquisitionem vendiderat. Petenti exemplum, ubi « vult » invenitur pro « potest », detur eius in Liuprando, ubi dicit: « Si quis puellam ante 12 annos » (Liutpr. 12), in hoc quod ipsa lex dicit inferius: « nubat cui voluerit », scilicet cui potuerit.

6. De cartis etiam vel quibuscumque scriptionibus quae a quibusdam personis falsae appellantur statuimus, si notarius vixerit et testes, ut idem notarius cum legitimis sacramentalibus 12 simul et cum ipsis testibus qui in eadem carta scripti sunt ipsam cartam veram et idoneam faciat; similiter et cartae ostensor cum 12 sacramentalibus, sicut legitime iurare valeat, ipsam cartam veram et idoneam faciat. Interpellator autem primum iuret, quod se sciente nichil aliud nisi verissimam et in omnibus iustam rationem exquirat. Si autem notarius se subtraxerit et cartulam suo scriptam nomine idoneam minime confirmare potuerit, nulla redemptio ei concedatur, sed manum propriam amittat: et ostensor ipsius post rerum amissionem widrigild suum componat. Et si notarius defuerit et testes supervixerint, ipse ostensor cartulae cum ipsis testibus et cum 12 sacramentalibus, sex suis propinquis et ipse sit septimus, et quinque aliis idoneis, ostensis primum duabus aliis cartis manus collatione ab eodem notario descriptis, ipsam tertiam cartam per sacramentum veram et idoneam faciat.

---

6. Carta debemus intelligere de maioribus, scriptiones de minoribus. — § 2. Cartarum alie sunt, quarum anteriores vocant falsas posteriores, alie sunt, quarum posteriores vocant falsas anteriores. Que vocant falsas posteriores non sunt nisi quinque: secundum legem tres et secundum usum due. — § 3. Prima que est per legem, vocans posteriorem falsam, est talis ut dicit lex Liuprandi que est « Si quis alii cautionem fecerit » (Liutpr. 66). Nam ibi legitur: quod, si quis hoc ordine res suas debitori suo obligaverit, ut, si infra constitutum terminum debitum non persolvat, transacto termino de rebus suis, quascumque invenerit, accipiat, et, si eo modo obligaverit, infra constitutum terminum omnes res suas alii vendiderit et debitum non persolverit, et ipse cui vendiderit se intromiserit, et ille qui hanc accepit obligationem, cum scilicet emptorem appellavit, sic dicens: Martine, hoc te appellat Iohannes, quod tu tenes ei terram in tali loco malo ordine. — Respondet: non est verum, hec terra mea propria est, et tibi quid pertinet ad requirendum? — Respondet: inde quia ecce carta cautionis, quam michi Petrus fecit. — Respondet: illa carta cautionis nichil michi nocet, quia ecce carta venditionis quam Petrus michi fecit infra terminum positum, quam cartam predicta lex confirmat. — Ad quod Iohannes respondet sic dicens: carta venditionis, quam ostendis, falsa est. Hic videri potest, quod anterior vocat posteriorem falsam; ideo scilicet, quia, si posterior vera fuerit, anterior nichil valebit; sed si falsam probare potuerit, anterior valebit. — § 4. Secunda que est per legem, vocans posteriorem falsam, est talis ut Lodoyci capitulum, quod est « Si cuiuscumque hominis proprietas » (Lud. P. 16), quia ibi legitur: si proprietas cuiuslibet ob crimen aliquod in bannum fuerit missa et inde notitia fuerit facta, et ipse cuius fuerit proprietas in bannum missa infra annum ad comitem venerit et iustitiam fecerit, et comes eius proprietatem foras bannum miserit et exinde notitiam fecerit, et ipsam notitiam non recuperavit, qua eius proprietas in bannum fuerit missa, et postea comes vel quialibet eius minister eam repererit et comes per advocatum suum eum de eadem proprietate appellavit sic dicens: Robberte, hoc te appellat Refredus advocatus partis publice, quod tu tenes parti publicae, unde ipse est advocatus, terram in tali loco malo ordine. — Respondet Robbertus: hec terra mea propria est per successionem parentum meorum, et parti publice quid pertinet ad requirendum? — Respondet: bene, quia ecce notitiam quam michi fecit, que manifestat, illam in bannum fuisse missam ob crimen quod fecisti. — Respondet: dicta illa notitia nil michi nocet, quia ecce notitia, qua legitur, de banno postea fuit tracta. Hic anterior potest posteriorem falsam vocare, quia, si posterior in rei veritate esset facta, anterior non valeret. — § 5. Tertia, que est per legem, vocans posteriorem falsam talis est, ut dicit Lotharius in capitulo suo quod est « Volumus ut res que a liberis personis » (Loth. 17), quia ibi legitur, quod, si quis ad ecclesiam tradiderit et sibi usumfructum et ordinationem reservaverit apud se, et postea alii ecclesie eodem modo tradiderit et ipsa ecclesia se intromiserit: hic

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartulam quam michi fecit Marcoardus, et tibi quid pertinet? — Per cartulam quam michi fecit Marcoardus. — Ipse qui habet posteriorem cartulam dicat anteriorem falsam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum servum. — Ipse servus meus proprius est per cartulam quam tu michi fecisti. — Falsa est ipsa carta. — Vis ut clarefacta fiat per sacramenta? — Volo. — Da ei vadimonia de facere eam veram secundum capitulum Widonis. — Et terminus constituatur; et cum venerit terminus, dic: Donne comes, hoc dicit Petrus, quod in tali die appellavit eum Martinus, quod ipse tenebat sibi malo ordine Marcoardum suum servum; et ipse dixit, quod suus proprius erat per cartam quam sibi fecit, et ipse appellavit eam falsam, et ipse dedit vadium de facere veram secundum capitulum Widonis: modo est paratus ad implendum sicut

---

anterior secundum ordinem aliarum supradictarum vocat posteriorem falsam, quia, si posterior valet, anteriori noceret. — § 6. Prima, que est per usum, vocans posteriorem falsam, talis est, ut legitur in cartulario (n. 10), hoc modo scilicet, quodsi quis res suas in manus sacerdotis tradidit, et ipse sacerdos per breve receptorium hoc modo eas res ordinaverit, ut ipse usumfructum ex eis rebus, quandiu vixerit, habeat, et insuper easdem res pro anima sua iudicandi seu donandi sive vendendi vel quolibet modo alienandi licentiam habeat, et quantum post eius obitum indatum remanserit habeant heredes ipsius; et si alii aute mortem vendiderit vel alio modo alienaverit de rebus suis et cartam illi exinde fecerit, si aliqua intentio exinde orta fuerit, anterius breve receptorium potest posteriorem cartam falsam appellare, sicut supra legitur de aliis cartis; quia, si posterior carta in veritate facta esset, anterior carta, scilicet breve receptorium, non valeret quantum ad heredes. — § 7. Secunda, que est per usum, vocans posteriorem falsam, talis est, ut in cartulario continetur (n. 20), hoc modo scilicet, quod, si quis se reclamaverit ad comitem de aliquo, et ei comes mandaverit, ut ad iustitiam faciendam veniat, et iam non venerit, et ipse qui se reclamaverit a comite petierit, ut eum de illius rebus ad salvam querelam investiat, et super hoc petiit, ut bannum mittat, ut, si quis de suprascriptis rebus eum disvestisset, antequam ipse cuius res fuerit ad iustitiam faciendam veniret, ut solidos mille componeret, et ipse comes ad salvam querelam illo modo quod ipse petierit investituram fecit, et ipse de quo reclamavit ad iustitiam faciendam ante comitem venerit, et comes ei qui reclamationem fecit mandavit, ut veniret iustitiam suscipere, et ipse non venerit, et ipse qui ad iustitiam faciendam venerit a comite petierit, ut de rebus que primitus sue fuerint, ei investituram faceret, et ipse comes ei investituram fecerit et ipse intromisit: tunc qui accipit investituram ad salvam querelam potest posterius breve posterioris investiture falsum esse appellare, si contentio emerserit, sicut supra legitur de aliis cartulis. — § 8. His quinque casibus anteriores falsas appellare possunt posteriores, sed omnibus aliis modis posteriores vocant falsas anteriores: veluti si quis aliquod castrum pretiosum habet et sacerdoti cartam inde fecerit, et ille sacerdos taliter fecit ordinationem, ut ille qui sibi cartam fecit heredesque eius licentiam exinde habeant vendendi si voluerint et usufructum habendi sed nichil inde suis uxoribus dare possint, et si postea contigerit, quod ipse moritur et ipsa post mortem eius quartam de ipso castro cum aliis rebus quesierit sic dicens adversus ipsius heredes: Petre, hoc te appellat Alberga cum Alberto tutore suo, quod tu tenes sibi malo ordine quartam partem ipsius castri. — Respondent heredes: non facimus, quia tantum illud castrum nostrum proprium est, et tibi quid pertinet ad perquirendum? — Respondet: bene, quia ecce carta quarte, quam memoria meus michi fecit de omnibus rebus suis. — Respondet: illa carta nichil michi nocet, quia ecce iudicatum quod prius fecerat factum, ut nulla mulier ex illo castro quartam haberet. — Alberga

dedit vadium. — Dicis tu ita? — Sic dico. — Et tu recepisti ita vadium? — Sic feci. — Tunc fiant facta sacramenta ita; appellator iuret: « de hoc unde cartam hanc falsam appellavi, me sciente nichil aliud nisi verissimam et iustam rationem exquiro in omnibus modis, si Deus appellatus »: « haec carta vera et idonea est, si Deus »; notarius: « haec carta vera et idonea est, si Deus »; sacramentales: « quod ipse iuravit, verum iuravit, si Deus »; testis unus: « haec carta vera et idonea est, si Deus »; caeteri: « quod ipse iuravit, verum iuravit, si Deus ». — Si dixerit notarius, quod non scripsit ipsam cartam, aut testis dixerit, quod non fuit testis, probet ostensor, eam notarium scripsisse, et eos fuisse testes. Si vero probare non potuerit, iurent cum suis sacramentalibus, et quaeratur alter notarius et alius testis. At si se subtraxerit notarius, sit ut legitur in lege, et sit similiter, si se subtraxerit ostensor. Si dixerit ipse qui appellavit falsam cartam: « alius scripsit ipsam cartam », aut « alius fuit testis », probet. Poena vero im-

habens quartam portionem respondeat: illud iudicatum falsum est. Et ita posterior carta anteriorem cartam falsam appellat, quia, si anterior in veritate facta esset, posterior non valeret. — § 9. Item hoc ordine omnes posteriores carte preter supradictas vocant anteriores falsas. Iohannes, hoc dicit Martinus, quod tu tenes ei terram in tali loco malo ordine. — Respondet: hec terra mea propria est, quia ecce carta, quam Dominicus michi fecit. — Respondet: tua carta nichil valet, quia ecce anteriorem cartam, quam ipse Dominicus michi fecit. — Iohannes respondeat: « illa anterior carta falsa est », quia, si falsa probata fuerit, posterior valebit. — § 10. In hoc quod hec lex dicit: « que a quibusdam personis false appellantur », secundum Wilihelmum debemus intelligere per usum de his personis, que venerunt ad successionem illorum, quos appellati dicant de terra illa, unde est intentio, sibi cartam fecisse; secundum vero Ugonem in hoc quod « a quibusdam personis », debemus intelligere de illis personis, quibus interest cartam esse falsam. — § 11. In hoc quod hec lex inferius dicit: « ostensor ipsius carte post rerum amissionem widrigild suum componat » dicebant antiqui, quod, si quis esset ostensor scriptionis, licet illa scriptio probetur esse falsa, tamen ostensor non debet rem amittere neque widrigild componere, quia lex secundum illorum dictum non facit alium ostensorem rem ammittere, widrigild componere, nisi ostensorem carte. Sed errabant, quia mos est Longobarde legis, generaliter incipere et specialiter finire, et quod vult de speciali dicto, illud idem vult de generali. Cuius rei detur exemplum lex Rotharis que est « Si quis magistrum commacinum » (Roth. 145), quia in hoc quod ipsa lex generaliter incipit de domo et casa et inferius specialiter dicit: « quod si aliquis ex ipsis commacinis ex ipsa casa mortuus fuerit, quod non requiratur » eodem modo intelligendum est, quod, si mortuus fuerit ex domo, non debet requiri: et ad hunc modum debemus intelligere, quod licet hec lex dixisset, quod ostensor carte post rerum ammissionem widrigild debet componere, tamen eodem modo intelligendum est, si fuerit ostensor scriptionis. — § 12. Item per usum dicitur, quod, si carta falsa appellata fuerit et inducie placiti date fuerint, sicut leges (Roth. 362. Liutpr. 60) precipiunt, quod potestas eam sigillari debet et ab eo retineatur ne quid minuatur vel addatur interim quod carta idonea facta fuerit. Si fuerit Longobardus, indutias per 12 noctes habere debet, si Romanus 20 (Cf. Expos. ad Lud. P. 15, § 6). — § 13. In hoc quod hec lex dicit, quod notarius cum 12 iuratoribus debet cartam idoniare et ostensor similiter, queritur ut si idem fuerit ostensor et notarius, quomodo cartam idoniare debeat? Sunt enim quidam, qui dicunt, quod in hoc, quod ipse est notarius, debet iurare cum 12; alii vero dicunt, quod tantum cum 12 iurare debet. Et hac ratione, quia, cum hec lex facit notarium iurare cum 12 et ostensorem similiter, debemus intelligere, quod persona notarii diversa erat a persona ostensoris. — § 14. Dubitabant quidam, quomodo hoc fieri posset, ut idem esset notarius et ostensor? Quod leviter videri potest: velut si notarius venerit ad successionem illius cuius cartam fecit,

minet falsatori, si sibi satisfactum fuerit, et rem refutet, et secundum obligationem cartulae emendet — si ipse fecit, vel si est eius heredes, qui eam fecit, vel bonorum possessor — ostensori. Si uterque, id est notarius et ostensor, se subtraxerit, notarii manu abscisa, testibus widrigild mulctatis, ipse ostensor rem amittat, widrigild tribuat. Et si est rogator falsae cartulae testis, widrigild tribuat bannumque persolvat, si est appellatus. Si vero alteruter, vel notarius vel ostensor, se subtraxerit, tunc sapientia iudicis videatur, quis eorum sit melior et verus, ut eius sententia precellat; et malus et mendax, constrictus potestate et boni sententia convictus, aut in sententiam veri vadat, aut bono evadente, vel non, quod iustius videtur, malus et mendax suomet gladio feriatur. Similiter de testibus previdendum est.

7. Volumus praeterea atque sanctimus, ut si quis liber homo legitimae uxori suae, dum vixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit et filios duos vel plures habuerit, et unus ex ipsis vel

---

veluti si emerit illam terram unde cartam fecit ab illo cui illam cartam fecerat. — § 15. Si quis cartam venditionis de petia de terra alicui loco pignoris fecerit, et debitum infra constitutum terminum vel ad ipsum terminum creditori suo persolverit, et cartam illam non recuperaverit, et creditor eam apud se retinuerit et post, eum scilicet qui cartam ei fecerat, de predicta terra appellaverit et suprascriptam cartam ostenderit, tunc ipse qui falsam eam cartam fecerat appellare potest, non quod in veritate falsa sit — ipse enim rei veritate fecerat eam — sed hoc: quod ipse qui cartam fecerat prius iurat, quod se sciente nichil aliud nisi verissimam et iustam rationem exquirat in omnibus, bene iurat; et in hoc, quod ipse qui ostendit cartam iurat, quod sit vera et idonea, male iurat, quia idonea non est secundum promissionem, quam illi fecit, a quo cartam illam recepit, quia in ipsa promissione dictum est, si debitum infra constitutum vel ad constitutum terminum fuerit solutum, deinde vacua permaneat. Alia ratio, quare vacua sit; nam Codex dicit: postquam debitum fuerit solutum, quod carta inanis et vacua permaneat (Cf. Cod. IV, 9, 2. VIII, 43, 25). — § 16. Item si alicuius carta falsa appellata fuerit et ostensor eiusdem carte notarium ad eam purificandam duxerit, et ipse notarius habens eum odio, vel pro aliquo colludio, quod fecisset cum alio ex hoc ut ipse ostensor rem eam ammittat, cartam illam sciens esse veram falsam esse dixit, ideoque aliquis inferet sibi: « ergo tu manum perdere debes, quia cartam falsam scripsisti », et illi volenti se exinde purificare concederetur iurare, quod se sciente cartam falsam non scripsisset, iurare quod posset et salvum faceret sacramentum, et ideo ostensor rem illam ammitteret. Quod iniustum apparet; quapropter bonorum iudicum decrevit clementia, ut, si notarius propter ostensoris inimicitiam esse falsam, vel pro alicuius causa conludii cum alio facta cartam falsam esse dixit, prius probet eam falsam esse, postea iuret, quod se sciente cartam falsam non scripsisset. Quod sacramentum fit secundum Lotharii capitulum quod est « Ut nullus cancellarius » (Loth. 71), in hoc quod dicit: « notarius iurare debet, quod se sciente nullum scriptum falsum faciat ». Ibi intelligendum est, quod si fuerit appellatus, quod se sciente falsam scripsisset, iurare debet se sciente falsam non scripsisse. Item si ostensor carte, quando ad cartam purificandam venit, ipsam falsam esse dixit et rem perdere et widrigild suum componere dixit, propter odium quod in notario habuit, ut ipse propter cartam falsam manum perdat: non ideo manum perdere debet, si se potuerit purificare, quod se sciente cartam falsam non scripsisset. — § 17. Item antiqui dicunt, quod hec lex tantum loqueretur de duobus Longobardis, ideo scilicet, quia hec lex dicit, quod « ostensor carte cum 12 suis iuratoribus sicut legitime iurare valeat, ut ipsam cartam veram et idoneam faciat », cum hec lex alium non facit iurare cum 12 preter Longobardum. Sed male dicunt, quia, si diceretur, quod hec lex tantum de duobus Longobardis loqueretur, ideo scilicet quia ostensorem facit iurare cum 12, eadem causa possumus dicere, quod capitulum Octonis id est « Si

duo mortui fuerint et filios vel filias reliquerit, aequaliter ipsas res quas usufructuario praedicta uxor habuerit filii defuncti cum patruis suis, sicut ceteram hereditatem ita ipsum usumfructum dividant.

8. Concedimus etiam, ut sicut mulieres cum viris suis venundare et donare res suas possunt, ita et commutare valeant ac familiam suam liberam facere.

9. Si quis iudicibus nostris in iudicio residentibus minas aut etiam convicia intulerit eosque verbis aut factis turpiter dehonestaverit, widrigild illi componat quem leserit. Si vero aliquis ex ipsis iudicibus nostris pro ipso iudicio falsidicos dixerit et pro ipsa intentione et causa quemlibet hominem interfecerit, quinquaginta libras auri optimi componat, medietatem primum heredibus interfecti iudicis et alteram medietatem camerae nostrae.

Petre, te appellat Martinus, iudex, quod tu minatus es ei, dum residebat in iudicio, aut tu eum conviciando cum verbis aut factis turpiter dehonestasti. — De torto me appellas. — Da sibi vadimonium, si te recordatus fueris, quod emendes; si non, ut te exdicas secundum tuam legem.

---

de prediis contentio » (Ott. I, 1) de duobus loquatur Longobardis, quia in hoc quod dicit: « sin aliter, secundum priora capitula determinentur » respicit ad hoc capitulum, ut purificatio carte secundum hoc fieret capitulum. Et si dixerint, re vera « Si de prediis » tantum de duobus loquitur Longobardis, sic inde possumus argumentari: non est verum; quia capitulum Octonis quod est « Quacumque lege, sive etiam Romana » (Ott. I, 9) ostendit, « Si de prediis » de omnibus universaliter loqui in hoc quod dicit: « omnia, ut in his capitulis per pugnam decrevimus observare, precipimus »; et hoc est, quod « Si de prediis » universaliter loquatur: cum « De cartis etiam » ab eo sit affirmatum, eodem modo « De cartis etiam » universaliter loquitur. — § 18. Item in hoc, quod hoc capitulum dicit, quod ostensor cartule, postquam falsa fuerit probata, rem debet ammittere et in hoc quod prologo Octonis legitur: « ut cartarum inscriptio que constabat ex prediis », di. do. (dicebant antiqui ?), quod hoc capitulum de carta predii loqueretur. Sed male di. (dicebant ?), quia hec lex generaliter incipit de omnibus cartis, licet in cartis predii videatur finire se specialiter, et licet Octonis prologus nominatim dicat tantum de cartis predii, tamen universaliter de omnibus intelligere voluit; quia legis usus est, generaliter incipere et specialiter finire. Et tamen universaliter est intelligendum, cuius dicti aliud subdatur exemplum ut in Rotharis lege « Si quis caballum aut quodlibet peculium » (Roth. 342); hec lex generaliter incepit de omnibus peculiis et specialiter se finivit in solo caballo; quod voluit de caballo, voluit de ceteris peculiis. — § 19. Item in hoc quod hoc capitulum dicit, quod ostensor post rerum ammissionem widrigild componeret, dicebant antiqui, quod de carta libertatis non loqueretur; ideo scilicet, quod, si carta falsa probaretur esse, servus conprobatus esset et ita non haberet unde widrigild componeretur, cum lex Romana dicat, quod servus nichil sui iuris habeat (Cf. Instit. II, 9, 3). Sed male dicebant, quia hec lex generaliter incipit de omnibus cartis, et licet se finiret in illis cartis, pro quibus comprobatis falsis ostensor rem debet ammittere et widrigild componere, tamen loquitur de libertatis cartis; quia, cum is widrigild non possit componere, tamen rem quam potest ammittat, libertatem scilicet. Et si hac causa non vis, ut de cartis libertatis dicat — ideo scilicet quod ille qui fuit probatus servus widrigild non possit componere — eadem causa dicere posses, quod hec lex non loqueretur de cartis predii alicuius liberi hominis pauperis, eo quod post probatam cartam falsam non haberet, unde widrigild componeret. — § 20. Item si alicuius carta falsa appellata fuerit, et ostensor notarii, qui in carta legitur, auctoritatem ducere voluerit, tunc notarius aut cogatur legitime iurare, cartam idoneam esse ac veram, aut iuret, quod numquam sibi tradita fuisset ad scribendum, ut legitur in Lotharii capitulo, quod est « De notariis qui cartas accipiunt ad scribendum » (Loth. 102).

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum patrem iudicem in iudicio. — Cuius placiti sacramenta sint, iudicis vel propinqui sui requirentis eius mortem ita: « de hoc quod ego te appellavi, me sciente de torto te non appellavi, si Deus ». Appellati: « de hoc unde tu me appellasti, de torto me appellasti, si Deus ». Sacramentales: « hoc quod ipse iuravit, verum iuravit, si Deus ». — Poena quidem est appellati, si confessus fuerit aut non fuerit ausus iurare, ut iudici widrigild suum tribuat, et bannum solvat; et propinquo et regis camerae 50 libras auri componat, et bannum tribuat potestati.

[CAPITULA OTTONIS I]

Antiquis est institutum temporibus, ut, si cartarum conscriptio, quae constabat ex praediis, falsa ab adversario diceretur, sacrosanctis evangeliis tactis veram esse ab ostensore probabatur sicque sibi predium deliberatione iudicum vendicabat. Qua ex re mos detesta-

— § 21. Item si testes fuerint advocati ad cartam idoneam faciendam et dixerint, se inde testes non esse, aut probent, quod numquam testes inde fuissent, aut cogantur idoneam facere. — § 22. Item in hoc quod hoc capitulum dicit: « si notarius fuerit mortuus, quod ostensor debet iurare cum testibus et cum 12 iuratoribus suis, ostensis primum duabus aliis cartis manu collatione ab eodem notario scriptis », dicebant antiqui, quod si ipse notarius alias cartas preter illam que falsa appellatur non scripsisset, vel si scripserit, reperiri tamen non possent: quod carta non possit idoniari. Sed male dicebant, quia hec lex non ideo dixit, ostensorem alias debere ostendere cartas ab eodem notario scriptas, quod ei vetaret cartam que sibi falsa appellatur alio modo idoniare, sed ideo dixit, ut ille qui superscriptas cartas habere potuerit eas ostendat. Alia ratio, quare male dicebant: quia si alius non valeret cartam idoniare, nisi qui alias cartas ad suam idoniandam ostenderet, eodem modo dicere possent, quod alius ostensor cartam idoniare non posset, nisi qui parentes habuerit, cum quibus legitime suam cartam idoniare valeret. Quod non est intelligendum, scilicet quod alius ostensor non possit suam idoniare cartam, nisi ille qui haberet parentes, quia hac occasione quam plures terram suam ammitterent. — § 23. Hic archiepiscopus Lanfrancus Bonifilio iudici questionem posuit sic dicens: si ostensor cartam sibi falsam appellatam idoniare voluerit, notarius et testes mortui fuerint, quomodo eam purificare debet? — Cui Bonifilius respondit: per usum ostensor carte cum 12 iuratoribus et cum duabus aliis cartis eam purificare debet. — Ad hoc Lanfrancus: habeturne alius usus in hac lege preter istum? — Bonifilius: non. — Lanfrancus: ergo hic usus contra legem est; et, quod sit contra legem, prologus Octonis declarat, ubi dicit: « Qua ex re mos detestabilis inprobusque in Italia non imitandus inolevit ». — Contra hoc vultu verécundo et inclinato capite recessit. Quod Wilihelmus non parvi ingenii sic determinavit: in hoc quod prologus Octonis dicit: « mos inprobus et detestandus inolevit » non respexit ad supradictum usum, sed ad hoc respexit, quod erant quidam cupidi alienorum ostendentes cartulas, scilicet factas de alienis rebus: dum eae falsae appellarentur, quia concessum erat eis per sacramentum defendere se, per periurium cupidi alienorum alterius bona adipiscebantur. Idcirco rex excellentissimus Octo ita statuit (Ott. I, 1), ut si ille qui cartam falsam appellaverit per pugnam declarare voluerit, sit ei licentia; sin aliter, ostensor per sacramentum defendat. — § 24. Item in hoc quod hec lex dicit: « post ammissionem rerum widrigild componat » debemus intelligere, quod si ostensor fuerit Longobardus, widrigild medietatem debet componere ei, contra quem cartam ostendit, et aliam medietatem regi, ut dicit lex Liuprandi que est « Si quis falsum testimonium » (Liutpr. 62); vel si Romanus et cuiuslibet nationis fuerit, totum widrigild componat.

bilis in Italia improbusque non imitandus inolevit, ut legum specie iureiurando adquirerent, qui Deum non timendo minime periurare formidarent. Tempore igitur quo piissimus rex Otto Romae unctionem suscepit imperii, residente in synodo summa et universali papa domno Iohanne terciodecimo ab Italiae proceribus est adclamatum, ut imperator sanctus mutata lege facinus indignum destrueret, per quod. si corpore quisquam dives fieret, anima periret et pauper in aeternum maneret. Iudicio itaque domni papae piissimique augusti expectatum est ad illam usque synodum, quae parva post intercapedine habita est Ravennae. Cumque ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur, ob quorundam procerum absentiam usque ad id tempus est expectatum, quo gloriosissimus augustus Otto rex et Otto gloriosus filius et Chuonradus Burgundiae rex Italiam properantes Veronae colloquium cum omnibus Italiae proceribus habuerunt. In hoc itaque. cum ab omnibus imperatoriae aures magnis questibus pulsarentur, ut mutata lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus cunctis et consentientibus legem huiusmodi secundum inferiora promulgavit capitula (*Praef. c.* 1 — 11 = *Ottonis I capit. a.* 967 *datum: Legg. II*, 32. sq.).

1. Si de prediis contentio emerserit, et utraque pars sive altera

---

1. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes ei in tali loco terram malo ordine. — Respondet. haec terra mea propria est, quia ecce cartam, quam Dominicus michi fecit. — Respondet: tua carta nichil valet, quia ecce carta quam ille Dominicus michi fecerat prius. — Respondet Petrus: tua carta falsa est. — § 2. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes ei terram in tali loco malo ordine. — Respondet: hec terra mea propria est, quia ecce carta quam michi Dominicus tuus avus fecit. — § 3. In hoc quod hoc capitulum tantum de prediis mentionem facit, oritur talis questio: si carta facta libellario nomine falsa appellatur, utrum per duellum diffiniri debeat, veluti de predii carta, vel non? Ad quod Wilihelmus respondit: inde bellum non fieri dicere est leve, quomodo vero fiat dicere, non est inane. Nunc quomodo non fiat, ponatur: veluti, si cuiuslibet ecclesie advocatus quemlibet appellaverit, scilicet quod ipse ad partem ecclesie terram malo ordine teneat, et appellatus respondet: « non malo ordine teneo, quia ecce libellum, quod ipsa terra michi ad tenendum est concessa ad partem illius ecclesie », licet advocatus hic dicat, factum esse libellum, non tamen debet esse duellum; quia capitulum hoc non in alio casu concedit pugnam fieri, nisi quando utraque pars sive altera predium sibi vendicare voluerit. Sed hic neutra pars sibi predium vendicat, cum utraque predium esse concedat ecclesie; per sacramentum ergo diffiniatur. — § 4. Hoc modo bellum fieri potest: si cuiuslibet ecclesie advocatus quemlibet appellavit, quod ad partem ecclesie unde ipse est advocatus terram malo ordine retineat, si appellatus dixerit, terram suam propriam esse per successionem suorum parentum, et advocatus dixerit: « non est verum, quia ecce libellum, quomodo tibi concessa est ad tenendum a parte ecclesie », et appellatus illum libellum falsum esse appellavit: per pugnam potest declarari, quia advocatus ad ecclesiam vult vendicare, et appellatus sibi. — § 5. Item hoc modo bellum inde fieri potest: si quis terram suam propriam, alienam esse existimans, libellario nomine a quolibet suscepit et cognita re censum inde postea persolvere noluerit, et ipse a quo libellum suscepit dixerit: « Petre, tu michi terram malo ordine tenes », et ipse dixerit: « mea propria est per successionem meorum parentum », et appellator dixerit: « non est verum, quia ecce libellum, quomodo tibi libellario nomine concessi », si appellatus libellum falsum esse dixerit, potest inde pugna fieri; quia in hoc quod ille qui libellum falsum appellaverit iuravit: « quod se sciente nichil nisi veram et iustissimam rationem exquirat

cartis seu scriptionibus praedium sibi vendicare voluerit, si ipse qui cartam falsam appellaverit per pugnam declarare voluerit, ut ita decernatur: sin aliter, secundum priora capitula determinetur edicimus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam, quam tu michi fecisti. — Falsa est ipsa carta. — Vis ei ardire? — Volo. — Vadiate pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam, quam michi fecit Dominicus. — Et ecce carta quam michi fecit ipse Dominicus. — Tunc qui habet anteriorem cartam dicat: « tua carta nichil michi impedit, quia contra legem est, quia postquam michi fecit unam traditionem, non potuit tibi facere alteram ». Tunc ipse qui habet posteriorem cartam dicat anteriorem falsam et faciat pugnam, si voluerit.

Sed secundum valentes ita:

Petre, te appellat Martinus, quod terra quae est in tali loco sua est, quam tu tenes sibique contradicis. — Quid ad te pertinet? — Tu michi eam vendidisti cum scripto. — Ostende scriptum. — Ecce.

---

in omnibus » (Wid. 6), licet libellus in veritate esset factus, bonum faciet sacramentum; in hoc quod adversarius iuravit, quod verus et idoneus sit libellus, falsum faciet sacramentum, licet in rei veritate factum fuisset. Dicit enim Codex in quarto libro: « Quicumque rem suam existimans esse alienam conduxerit, nichil sui iuris detrahit » (Cod. IV, 65, 20). — § 6. In hoc quod hec lex dicit, quod « utraque pars sive altera cartis sive scriptionibus predium sibi vendicare voluerit », dat intelligere, quod quialibet sola carta potest predium adquirere, licet non sit in possessione: et in hoc legem Romanam rumpit, que ostendit: « rerum dominium non posse adquiri, nisi usucapionibus et traditione » (Cod. II, 3, 20), id est si fuerit missus in possessionem. — § 7. In hoc quod hoc capitulum dicit: « sin aliter, secundum priora capitula determinentur edicimus » respexit Widonis capitulum quod est: « De cartis » (Wid. 6), et ideo Da. (Bagelardus?) precipit, quod eadem sacramenta, que fuerint in « De cartis etiam », ab ostensore et ab illo qui cartam falsam appellaverit in hoc fiant capitulo, cum carta appellata falsa per duellum certificari debet. Sed secundum Ugonem aliter iurabunt: nam ostensor secundum eum simpliciter iurabit, illam esse veram, appellator iurabit tantum, illam esse falsam. Hac ratione hoc dicens: quia, si illud sacramentum facerent, evenire posset, quod ambo bene iurarent, veluti si quis amico suo terram vendiderit et ei cartam inde fecerit, et emptor venditorem amicitie gratia in eiusdem terre possessionem dimiserit, et interim ambo mortui fuerint, et emptoris heres de suprascripta terra venditoris heredem appellaverit, et heres venditoris dixerit, illam terram suam propriam esse successione, et emptoris heres dixerit: « male dicis, quia ecce cartam, quam antecessor tuus patri meo fecit », et heres venditoris dixerit, illam cartam falsam esse, et ipse iuret: « in hoc quod appellavi falsam, me sciente non exquiro nisi verissimam et iustam rationem in omnibus », bene iurat, cum ita credit, et in hoc quod ille qui ostendit cartam dictam cartam veram esse et idoneam, similiter bene iurat, cum in rei veritate vera sit et idonea. Et hac de causa Ugo non laudat, sacramenta que leguntur in « De cartis » et in hoc fieri duello, quia per sacramentum nullus illorum caderet, cum uterque salvum sacramentum faciat secundum Ugonem. Sed secundum Wilihelmum faciant sacramenta, que in « De cartis etiam », et exinde ad pugnam tendant: Deus enim, qui est iustus iudex, iustitiam providebit (Cf. Psalm. 7, 12). — § 8. In hoc quod hec lex dicit: « quod si carta falsa appellata fuerit,

— Illud falsum est. — Vis ardire? — Volo. — Et tu, vis defendere? — Volo. — Vadiate pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod terra quae in tali loco est sua est quam tu tenes sibique contradicis. — Quid ad se pertinet? — Marcoardus, cuius erat, sibi scripto vendidit. — Hoc michi non nocet, quia prius michi scripto tradidit eam, et alteri eam post tradere non potuit. — Illud scriptum michi non nocet, quia falsum est. — Quomodo vis ut declaretur? — Per pugnam.

Cuius placiti sacramenta sunt ita, falsatoris: « De hoc quod ego appellavi, hanc cartam esse falsam, me sciente nichil aliud nisi verissimam et iustam rationem exquiro in omnibus modis »; ostensoris ita: « haec carta vera et idonea est, si Deus ». — Poena est utrique: falsatori victo, ut rem refutet, manum perdat aut redimat et secundum obligationem cartulae emendet, si ipse fecit vel

---

si actor ad pugnam declarare voluerit, ita decernatur », et in hoc quod inferiores leges dicunt (Ott. I, 8-10), quod nullus laycorum preter comitem, viduas, nisi quos iuvenilis aut decrepita etas aut infirmitas pugnare prohibuerit, pro se ad pugnam camphionem ponere potest, videtur, quod appellatus cogitur pro se pugnam facere, nisi comes fuerit vel infans et nisi fuerit in decrepita etate vel infirmus. Sed si quis hoc bellum evitare voluerit, hoc modo evitare potest. Veluti existimavit. appellatum se fore de terra: priusquam appellatio fiat, tradat eam per cartam in manum sacerdotis sine defensione, et postea accipiat cartam de eadem terra a predicto presbytero sub dupla defensione factam (Cf. Cartular. n. 3. 2.). Deinceps si inde appellatus fuerit, det predictum presbyterum auctorem, et si ipse presbyter interrogatus fuerit, quid ei pertinuerit, eam dare, sic respondere potest: « bene, quia ecce cartam, quam ille michi fecerat, quem prius appellasti ». — « Vis dare auctorem, vel in loco auctoris stare? » — Respondet presbyter: « stare in loco auctoris volo, cum namque auctorem dare non valeo, quia michi cartam sine defensione fecit ». — Item si dixerit eidem presbytero: « et illi, quid pertinuerit, tibi cartam facere? » respondeat presbyter: « bene, quia ecce cartam, quam pater tuus ei fecit » — « Falsa est ipsa carta ». — Et si ipse qui cartam falsam appellaverit ad pugnam declarare voluerit, ita decernatur, ut ipse presbyter det camphionem suum per capitulum Lotharii quod est « Ut episcopi universique sacerdotes » (Loth. 101) et per capitulum quod est « Laycorum vero » (Ott. I, 8), quia cum dicit: « laycorum vero nullum preter comitem advocatum habere permittimus », dat intelligere, quod clerici omnes advocatum habere debent. Et si ipse camphio convictus fuerit in duello, manum ammittat, si se sciente periurium fecerat, per legem Pipini que est « Si quis periurium fecerit » (Pipin. 43), aut redimat, si se nesciente fecerit, per legem Liuprandi que est « Si quis falsum testimonium » (Liutpr. 62), et ipse qui fuerit in possessione ammittat suprascriptam terram, et ostensor carte widrigild suum componat per Widonis capitulum quod est « De cartis etiam » (Wid. 6). — § 9. Si alicui terram a quo possidenti quialibet de ea controversiam posuerit et appellator possessori pro quolibet conventu finem exinde fecerit et penam posuerit (Cf. Cartular. n. 5. 19), si eum exinde causaverit, et deinde penam suprascriptam timens sub alio nomine eum exinde causa odii appellaverit, et appellatus dixerit: « non tibi respondere debeo, quia ecce finem, scilicet cartam refutationis, quam michi fecisti », si appellator dixerit, eam falsam esse, dicit Bonifilius, eam per pugnam declarari debere secundum hanc legem, si actor voluerit. — Contra quem Wilihelmus: « male dicis, quia lex ex illa carta falsa appellata non facit bellum fieri nisi de illa, postquam ostensor carte predium sibi vendicare voluerit; sed hic ostensor non vult per hanc cartam refutationis predium vendicare, sed aliis rationibus quas ipse habebat » — Bonifilius: « male dicis, quia hac refutationis carta potest predium adquiri in hoc quod per hanc cartam de duplo agere potest ». — Wilihelmus: « male dicis, quia donec probata fuerit, de duplo non potest, et, etiamsi vera probata fuerit, si de duplo agere noluerit, non cogitur, cum « nullus invitus agere vel accusare cogatur » (Cod. III, 7); igitur per pugnam, Bonifili, refutationis carta probari non debet, immo per sacramentum iuxta Widonis capitulum quod est: « De cartis etiam ».

est eius heres qui fecit aut successor; *et si cartulae certant inter se*, *et falsator fuit appellatus et est convictus*, *tunc rem refutet*, *manum perdat aut redimat*, *bannum persolvat*: *et etiam aliquando secundum obligationem cartae comprobatae emendet*, *si forte est heres eius qui eam fecit*; *ostensori victo; si est appellatus*, *rem perdat*, *widrigild tribuat*, *manum perdat*, *bannum persolvat ; si est appellator*, *rem refutet*, *suum widrigild tribuat*, *manum perdat. — Si vero falsator Longobardus noluerit*, *ut per bellum res agatur sed tantum per sacramentum lis finiatur*, *tunc fit*, *ut superius diximus in capitulo Widonis* (6).

2 (3). De aecclesiarum rebus, ut per advocatos fiat similiter, iubemus.

Petre, *te appellat Martinus*, *quod pars monasterii sancti Petri unde tu es advocatus tenet sibi terram malo ordine in tali loco. — Ipsa terra propria est de monasterio per cartam quam fecit pater tuus*, *et ecce carta. — Falsa est ipsa carta.*

Petre, *te appellat Martinus*, *quod pars monasterii sancti Petri unde tu es advocatus tenet sibi terram malo ordine in tali loco. — Ipsa terra propria est de monasterio per cartam quam fecit Paulus*, *et ecce carta*, *et tibi quid pertinet? — Per cartam quam michi fecit ipse Paulus. — Tunc qui habet anteriorem cartam dicat: « tua carta contra legem est*, *quia*, *postquam fecit michi unam traditionem*, *non potuit facere alteram ». — Tunc ipse qui habet posteriorem cartam dicat de anteriore: « falsa est ipsa carta ».*

Petre, *te appellat Martinus*, *quod pars monasterii sancti Petri unde tu es advocatus tenet malo ordine terram in tali loco ad partem aecclesiae sancti Syri unde ipse est advocatus. — Ipsa terra propria est de monasterio per cartam quam fecit Dominicus*, *et quid pertinet ad aecclesiam sancti Syri. — Per cartam quam fecit ipse Dominicus. — Ipse qui habet posteriorem cartam dicat anteriorem falsam. Tunc ille cuius carta falsa vocata est dicat: « quomodo vis ut clarefacta fiat? » Si adversarius responderit: « per pugnam »*, *interrogetur: « vis ei adardire*, *ut illa carta sit falsa? » — Volo. — Et tu*, *vis eam defendere? — Volo. — Vadiate pugnam. — Et quae vadimonia debent esse*, *tacita poena*, *cum fideiussoribus.*

2. In hoc quod hoc capitulum dicit: « similiter », possumus videre, quod respexit ad « Si de prediis contentio » (Ott. I, 1), in hoc quod ibi legitur: « ut utraque pars sive altera » et in hoc quod ibi legitur: « si actor ad pugnam declarare voluerit, ut ita decernatur » et in ceteris rationibus, que ibi dici possunt.

Cuius placiti sacramenta sunt: falsatoris vero, ut ponens cartam supra messale dicat: « de hoc quod ego appellavi, hanc cartam esse falsam, me sciente nichil aliud nisi verissimam et iustam rationem exquiro in omnibus modis, si Deus »; falsati ita quidem: « haec carta vera et idonea est, si Deus ». Poena imminet utrique: falsatori victo, ut rem refutet et secundum obligationem cartae persolvat, nisi aliquando, si intentio fuerit inter duas cartas, manum perdat aut redimat, et si est appellatus, bannum tribuat; falsato victo, ut rem amittat, widrigild suum componat, bannum solvat quando est appellatus. Si vero falsator voluerit, ut res per sacramentum finiatur, sit ut superius diximus.

3 (2). De investitura praedii si contentio fuerit, similiter ut per pugnam decernatur, edicimus.

Domne comes, hoc dicit Petrus, quod de terra quae iacet in tali loco investitus est ad proprium. Hoc dico ego, quod ego sum in-

---

3. In hoc quod capitulum indifferenter dicit, si fuerit litigium de investituris, sive possessor tenuisset per longum tempus sive non, quod debet per pugnam determinari, rumpit Rotharis legem, que est « Si quis comparaverit terram » (Roth. 227) in hoc quod dicit: « et 5 annos possederit » et inferius dicit: « nichil aliud faciat emptor nisi prebeat sacramentum secundum qualitatem pecunie », et rumpit legem Grimoaldi que est « Si quis per 30 annos » (Grim. 4) in hoc quod dicit: « post 30 annorum curricula pugna non perveniat, nisi cum suo sacramento se defendat », et rumpit Liuprandi legem que est [« Si quis cartam donationis » (Liutpr. 53) in hoc quod dicit]: « si per 30 annos aut super possessio fuerit, non habeat adversus eum qui possidet, facundiam loquendi, nisi ipse firmiter possideat », et « De possessione quam aliquis de publico habeat » (Liutpr. 77) in hoc quod dicit: « si per 60 annos quietus possedit, sine aliqua molestatione possideat et inantea », et « Si inter fratres per 40 annos » (Liutpr. 69) in hoc quod dicit, quod ille debet iurare qui possederit per 40 annos, quod habeat factam suam per comparationem, aut quomodo presumpserit dicere, et rumpit Astulphi legem, que est « Si quis Longobardus » (Ast. 9) in hoc quod dicit: si possiderit per 30 annos et ut claruerit, possideat et inantea. Sed hoc modo salvantur: quia, licet hec lex indeterminate precipiat, pugnam de investitura fieri, tamen intelligendum est, hanc debere fieri infra determinationes predictarum legum, et ut Romanorum possessiones valent, ita Longobardorum. Sed tamen antiqui has salvationes fieri nolunt, tum ideo quia hec lex indeterminate de investitura predii fieri precipit, tum ideo quia se vidisse pugnam factam esse dicebant rebus iam per 100 annos possessis, ante illum scilicet Leonem Vercellensem episcopum, qui hoc capitulum ante imperatorem composuit, et illos cecidisse qui possessiones habuissent. — § 2. Domne comes, hoc dicit Martinus, quod ipse est investitus de terra que est in tali loco. — Et Iohannes eodem modo dicit: domne comes, et ego sum investitus de eadem terra. — Et ita iurent, deinde pugnam faciant. — § 3. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de terra que est in tali loco, et tu eum malo ordine disvestisti. — Per usum in arbitrio iudicis indutie ponantur, in quantum ipse ire et redire et predictam terram consignare possit. Deinde hoc ordine ei respondeat: de terra illa, de qua tu dicis, ego ad proprium sum investitus et te malo ordine non disvestivi. — Tunc interrogetur appellator a comite vel a iudice: vis ei ardire per pugnam? — Volo. — Et tu, vis defendere per pugnam? — Volo. — Deinde wadientur pugnam usque ad terminum lege constitutum, et postquam ad constitutum terminum veniret, iuret ipse qui alium appellavit, quod ipse ad proprium fuit investitus de terra supradicta, et ille eum malo ordine disvestivit; appellatus vero iuret, quod ipse sit investitus ad proprium de terra et eum malo ordine non disvestivit. Deinde vadant ad pugnam. Et hoc ordine fiant sacramenta in subsequentibus appellationibus. — § 4. Petre, hoc dicit Iohannes, quod ipse ad proprium fuit investitus de terra, que est in tali loco et que huiusmodi coherencias habet, scilicet ex una parte et ex alia, vel de terra publica. — Per usum indutie dentur et terra consignetur, ut supra dictum est; quia evenire posset, quod appellatus

vestitus ad proprium de ipsa terra, non ipse. — Iurent, sicut dicunt, et faciant pugnam, et ut nullus alteri debeat ardire.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de sexta parte unius petiae de terra, quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Hoc dicit Petrus: vigesima pars de sexta parte de illa petia de terra, quam tu dicis, sua propria est, et ipse te malo ordine, nec de illa vicesima nec de aliis partibus illius sextae, non disvestivit. Vis ei adardire? — Volo. — Et tu vis te defendere? — Volo. — Vadiate pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de petia una de terra quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Hoc dicit Petrus, quod de ipsa terra ipse est investitus, et te malo ordine non disvestivit, vel: ipsa terra sua propria est, et te malo ordine non disvestivit.

Petre, te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Ru-

---

haberet aliam terram easdem habentem coherentias. Deinde appellatus respondeat: ego ad proprium de terra illa sum investitus et te malo ordine non disvestivi. — § 5. Petre, hoc te appellat Iohannes, quod ipse ad proprium fuit investitus de omni terra quam tu tenes in tali loco, et tu eum malo ordine disvestivisti. — Per usum indutie dentur, et terra consignetur de qua dicit, ut supra dictum est; quia evenire posset, quod ipse haberet ibi, quam per feudum tenet vel per precariam vel per libellum vel alio modo; et ideo oportet, ut ei consignetur terra de qua appellatur. Ea consignata respondeat: de illa terra, de qua dicis, ego ad proprium sum investitus et te malo ordine non disvestivi. — § 6. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse fuit investitus de omni terra, quia tu tenes in tali loco ad proprium, que pertinet ad curtem Alixii, et tu eum malo ordine disvestivisti. — Hic non est usus, quod terra consignetur, quia satis patet, quod ad eius curtem pertineat. — Appellatus respondeat: ego ad proprium de terra illa sum investitus et te malo ordine non disvestivi. — § 7. Martine, hoc te appellat Iohannes, quod ipse fuit investitus de terra illa que iacet in tali loco, et tu malo ordine disvestivisti. — Et per usum indutie dentur et terra consignetur, ut supra dictum est. Et appellatus respondeat: hec terra quam tu dicis propria est de tali ecclesia, et michi ab eadem ecclesia per libellum concessa est. — Dicebant antiqui, quod exinde pugna fieri non debeat, ideo scilicet, quia appellatus dicit, terram illam esse propriam ecclesie, et cum non dicat, se ad proprium esse investitum et eum malo ordine habere disvestitum. Sed male dicebant, quia in hoc quod ipse qui appellat dicit, quod ipse eum disvestivisset, oportet appellatum se defendere de disvestitura, licet ille dicat, terram non esse suam sed ecclesie; quia, si ideo dicetur, pugnam non debere fieri ideo quia dicat propriam esse ecclesie et non suam, numquam eveniret, quod pugna de investitura fieret. Nam si aliquis sciret, ei fieri debere appellationem de terra, et sua propria non esset, antequam inde appellatus esset, ab aliqua ecclesia eam libellario nomine acciperet et hoc modo bellum non fieret. Et ideo affirmatur, quod inde bellum fieri debet. — § 8. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse ad proprium fuit investitus de terra que est in tali loco, et tu eum malo ordine disvestivisti. — Respondet: hanc terram, quam tu dicis, ego non habeo, quia ego vendidi. — Deinde antiqui eum iurare faciebant, quod in illo die, in quo eam vendidit ipse ad proprium erat investitus et eum malo ordine non disvestivit. Sed male dicebant, quia evenire posset, quod numquam eam vendidisset; et si rei veritas esset, quod numquam ei vendidisset, bonum sacramentum faceret, cum illud sacramentum hoc ordine fiat; scilicet, quod in ea die, in qua eam vendiderit, ad proprium investitus erat et eum non disvestivit; quod est dicere: neque vendidit, neque in illa die ad proprium inde investitus fuit, neque in illa die disvestivit eum, cum numquam illa dies fuit, in quo eam vendidisset, quia eam numquam vendidit, sed adhuc eam habet. Sed ut hoc evitetur, iuret ita appellatus: scilicet quod eam vendidit, et illa die quo eam vendidit ad proprium erat inde investitus et eum malo ordine non disvestivit. Deinde vadat ad pugnam, ut de aliis supra diximus. — § 9. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse ad proprium fuit investitus de terra

phini, unde est advocatus, fuit investita ad proprium de una petia de terra quae iacet in tali loco, et pars monasterii sancti Petri, unde tu es advocatus, disvestivit eam malo ordine. — Ipsa petia de terra quam tu dicis propria est monasterii partis sancti Petri, unde ego sum advocatus, et ipsa malo ordine partem sancti Ruphini, unde tu es advocatus, non disvestivit.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de petia una de terra quae idcet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis. — Det vadium de consignare, et ipse reus in iudicium reverti.

Petre, te appellat Martinus, quod de terra quae iacet in tali loco fuit ipse investitus ad proprium, et tu malo ordine eum disvestisti. — Ipsa terra michi concessa est per usumfructum aut per libellum, et ego malo ordine te non disvestivi.

---

que est in tali loco, et tu malo ordine eum disvestivisti. — Respondet: terra, de qua tu dicis, ego ad proprium sum investitus de septima portione de tribus partibus de illa terra, neque de illa septima, neque de tribus, neque de reliqua te malo ordine disvestivi. — Et « reliquum » dicit pro quarta. — Et si ipse qui appellat dixerit: quare facis has divisiones? — Respondet: ideo scilicet, quia feci quartam uxori mee de rebus meis (Cf. Liutpr. 7), et michi remanserunt tres partes, et de his tribus partibus feci septem partes, et ad sex filios meos quos habeo dedi sex partes, et michi remansit septima de tribus supradictis partibus. — § 10. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de septima portione de tribus partibus terre que est in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Respondet: ego de illa septima ad proprium sum investitus et te malo ordine non disvestivi. — Et appellator ideo dixit: « de septima portione de tribus partibus », quia, quando accepit uxorem, ei fecit quartam de omnibus rebus suis, et unicuique sex filiorum quos postea habuit dedit suam partem de his tribus partibus que sibi remanserant, et de eisdem tribus septimam sibi tenuit; et ideo non potuit esse, quod ipse eam disvestisset, nisi de septima portione. — Deinde supradicto ordine vadant ad pugnam; et si appellatus fuit convictus, quemadmodum ammittat septimam portionem, unde appellatus fuerit, ita per usum reliquas partes ammittant, et ipse eas habeat cuius fuerant. — Quod, scilicet « per usum reliquas partes ammittant », intelligendum est in omnibus appellationibus que fient per diminutionem. — § 11. Si quis habuerit uxorem, cui quartam fecisset et filios sex, quibus supradicto modo partes dedisset, et appellavit alium, similiter uxorem et filios sex habentem, ita dicat: Petre, hoc te appellat Iohannes, quod ipse fuit investitus ad proprium de septima portione de tribus partibus terre que est in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Respondet: de illa terra de qua tu dicis ego ad proprium sum investitus de septima portione septime partis de tribus partibus illius terre, et te malo ordine de septima septime et reliquis aliis partibus non disvestivi. — § 12. Si decem homines investituras terre abstulerint 20, et unus ex 20 unum ex decem appellaverit, sic dicat: Petre, hoc dicit Iohannes, quod ipse fuit investitus ad proprium de decima porcione vicesime partis que est in tali loco, et eum malo ordine disvestisti. — Hec appellatio ita diminuitur, quia, licet iste qui appellat de tota vicesima parte ad proprium investitus fuisset, non potest eum appellare nisi de decima portione vicesime partis, cum decem eum disvestissent, et unusquisque illorum non habet inde, nisi decimam porcionem illius vicesime. — Respondet: de illa terra, de qua dicis, ego ad proprium sum investitus de decima porcione vicesime partis et te malo ordine non disvestivi. — § 13. E contrario, si 20 disvestiverunt 10, et unus ex 10 unum ex 20 appellaverit, sic dicat: Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse ad proprium fuit investitus de vicesima portione decime partis illius terre, que in tali loco iacet, et malo ordine eum disvestisti. — Respondet: de illa vicesima portione decime partis illius terre, de qua dicis, ego ad proprium sum investitus et te malo ordine non disvestivi. — Et si ad hunc modum cetere investiture ob gentium multitudinem diminutiones facere nequiverunt,

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de petia una de terra quae iacet in tali loco, quae est per mensuram iugera tanta, et habet coherentias tales. — Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis. — Ego dico tibi mensuras et coherentias, non oportet consignare. — Ego habeo duas petias de terra in ipso loco vel tres quae habent ipsas coherentias: nescio, de quali tu dicis. — Non potest evadere, quod non vadat consignare.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de quanta terra tu tenes in Regabus, et tu malo ordine eum disvestisti. — Terram habeo in isto loco, sed nescio de quali tu dicis, quia habeo in ipso loco terram per allodium et beneficium et per libellum. — Vadat consignare.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse vel filius suus, agendo causam eius sui filii vel suae uxoris, quod ipsa sua uxor fuit investita, vel filius suus fuit investitus ad proprium de petia una de

---

tunc homines de civitate illa vel illa, quae appellare voluerit, dent uni soli investituram ad proprium, et illi de civitate illa vel illa, que appellari debet, similiter faciant. Deinde inter illos duos sit placitum investiture, et sic diminutiones evitabunt et salva sacramenta facere possunt. — § 14. In hoc quod appellatio prior est talis quod unus dicebat: « ego sum investitus » et alius dicebat similiter: « Ego sum investitus », dicebat Sigefredus, inde pugnas fieri non debere, cum hec talis appellatio non sit intentio, quia esset intentio, si unus alteri aliquid imponeret, quod, scilicet quando aliquis alicui aliquid imponit, rhetorica intentionem appellat, veluti: fecisti furtum; — non feci. — Sed male dicebant; magis enim credere debemus Romane legis auctoritati quam rhetorice; legitur enim in quarto Institutionum libro, que in illa tali appellatione superdicta ingens et (in genus est?) intentio (Cf. Inst. de actionum generibus IV, 6); et ideo pugnas fieri inde asserunt. — § 15. Queritur, quali lege hoc vocabulum, scilicet: « proprium », in supradictis appellationibus ponatur? — Huic questioni antiqui hoc modo respondebant: non secundum legem, sed secundum usum « proprium » ponendum esse dicimus. — Sed male dicebant, quia hic usus contra legem, cum lex Romana prius facit de possessione agere, postea de proprietate (Instit. IV, 15, 4); sed usus qui contra legem est, non valere ideo debet iuxta Pipini capitulum quod est « Placuit nobis inserere » (Pipin. 33). Moderni vero questioni supradicte ex contrario respondent: affirmant enim, in supradictis appellationibus « ad proprium » fuisse adpositum non per usum, sed per hanc eandem legem, id est « De investitura predii », cum predium sit alodium, et alodium sine proprietate esse non potest. Petentibus exemplum, quod predium sit alodium, datur eis in Caroli capitulo quod est « De incestuosis hominibus » (Karol. M. 5) in hoc quod inferius dicit: « si predium id est alodium habuerit », predium quod iure dominii possidetur. — § 16. Sciendum quoque est, in qua appellatione « proprium » sit apponendum, in qua vero non. In hac appellatione « proprium » debet apponi, veluti si quis invaserit terram alienam et si alius, cui invasa fuerit, invasorem appellavit; sed in tali appellatione « proprium » non debet apponi, veluti si quis terram alienam possederit et ille, in cuius veritate est terra, invaserit et alii scienti esse invasam vendiderit, et se intromiserit, et ipse cui invasa fuerit eum appellavit. — § 17. Notandum est quoque, qualiter « malus ordo » in predictis appellationibus ponatur: nam sicut infra Lodoyci capitulum quod est « Legatio missorum nostrorum » (Lud. P. 35) apponitur in hoc quod inferius dicit: « iniuste ablatis », hoc est malo ordine. — § 18. Notandum est quoque, quod Bagelardus dicebat, pugnam evitari posse ab appellato in predictis appellationibus, si appellatus sic responderit: non denego, quin tu et alii quam plures de terra illa, de qua dicis, fuisses investitus, sed si vis michi imponere, quod ego te disvestissem, de hoc me per sacramentum defendam, quia hec lex non facit inde pugnas fieri, nisi quando litigium de investitura fuerit. Sed hic secundum Bagelardum de investitura non est litigium, cum appellatus non denegat, appellatorem fuisse investitum. Sed e contrario W. (Wilihelmus?) dicebat: cum appellator dicat, quod ipse eum disvestisset, de investitura est litigium, cum disvestire non sit nisi investituram tollere, et ideo dicit, per bellum determinari debere.

terra quae est in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti, vel uxor tua vel filius tuus vel servus tuus. — Ea terra quam tu dicis mea propria est, vel uxoris meae vel filii mei, et ego te malo ordine non disvestivi vel uxor mea vel filius meus vel servus meus.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de pecia una de terra quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Non tibi respondeo, quia ipsa terra non est mea sed est de meo barbano. — Fac michi inde finem. — Non faciam, quia, si ipse fuerit mortuus, ego debeo venire ad successionem. — Vel ita: ipsa terra non est mea, sed est Marcoardi, et ego te malo ordine non disvestivi.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de petiis tribus de terra quae iacent in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Non tibi respondeo, quia ecce carta quam tu michi fecisti aut pater tuus.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una petia de terra quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Ego habeo ipsam terram venditam ad Marcoardum. — Probet, quod habet venditam, et dicat, quod ipsa hora quando vendidit sua propria erat, et malo ordine eum non disvestivit.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una casa solariata cum area, ubi extat, cum scala petrea iuxta se habita, cum curte et puteo seu broilo, omnia in uno tenente, quae iacet in tali loco, et tu malo ordine eum disvestisti. — Non tibi respondeo, quia tu fuisti iudicatus ad mortem (Karol. M. 45), *aut fecisti raptum aut furtum aut incendium aut periurium* (Expos. ad Loth. 78, § 2) *aut es servus* (Loth. 78) *de Dominico aut fecisti homicidium aut michi inde finem fecisti. — Aut probet, aut emendet bannum et respondeat. De ceteris quidem exceptionibus similiter.*

Cuius placiti vadimonia per usum debent esse cum fideiussoribus, tacita poena. Sacramenta quidem ita; appellator iuret: « de hoc unde te appellavi, quod ego fui investitus ad proprium de una petia de terra quae iacet in tali loco, et tu malo ordine me disvestisti, me sciente de torto te non appellari, si Deus »; appellatus ita: « ea terra unde tu me appellasti mea propria est, et ego te malo ordine non disvestivi, si Deus »; vel ita: « de hoc unde Martinus appellavit Iohannem, quod ipse Martinus fuisset investitus ad proprium de petia una de terra quae iacet in tali loco, et Io-

hannes eum disvestisset malo ordine, se sciente eum de torto non appellavit, si Deus ». « Ea terra, unde Martinus appellavit Iohannem, propria est Iohannis, et ipse Iohannes eum Martinum malo ordine non disvestivit, si Deus ». — Poena quidem est talis: appellatori, si victus fuerit, ut terram refutet, widrigild solvat et secundum legem victoris saepe emendet; appellato, ut bannum persolvat, widrigild donet et secundum legem appellatoris emendet.

4. Si quis per se ipsum aut suum nuncium quicquam alicui deposuerit et depositum cupiditate victus denegaverit, si 20 solidorum pretium fuerit, ut per pugnam veritas decernatur, precipimus.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi tanta mobilia quae valebant solidos 160. — Viginti solidos tantum michi deposuisti, sed non plus. — Hoc sciatis, quia in hoc quod dixit: « tantum michi deposuisti, sed non plus », si illud quod negaverit fuerit pretii 20 solidorum aut eo amplius, tunc per bellum lis finiatur; si vero subtus 20 solidos fuerit, tunc per sacramenta res currat.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi per unum suum missum tanta sua mobilia, quae valebant solidos 20. — De torto. — Vis ei adardire? — Volo. — Vadiate pugnam.

Petre, te appellat Martinus, quod suus pater Albertus aut sua

4. Nuntium hic intelligere debemus, tam liberum quam servum. — § 2. Petre, hoc te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi per se aut per suum nuntium tantum de mobilibus quod valebat solidos 20. — Respondet: non est verum. — Deinde actor interrogetur, si illud voluerit per pugnam ardire. Si dixerit: « volo », tunc uterque wadietur pugnam, et illi detur spatium secundum legem, et postea pugnam faciant. — § 3. Et si appellatus fuerit convictus, dicebat Bonifilius, eum debere componere debitum, sicut ille qui res alienas malo ordine tulit iuxta Liuprandi legem que est « Si quis porcos » (Liutpr. 150), si ipse qui deposuit Longobardus fuerit; et si Romanus fuerit, debet depositum componere pro furto, per similitudinem cuiusdam legis que est in primo Institutionum libro. Nam ibi legitur: « Si anseres tui vel galline turbati turbateve evolaverint, et aliquis eos vel eas rapuerit lucrandi animo, furtum committit » (Inst. II, 1, 16). Quam similitudinem sapientes non laudant, ideo scilicet, quia lex illa loquitur de turbatis anseribus, sed hoc non loquitur de illis, scilicet de turbatis. — De Longobardis item male dicebat, in hoc scilicet, quia illa lex, scilicet « Si quis porcos », loquitur de rebus ablatis, hoc de depositis; et alia de causa, quia sunt quidam, qui dicunt: « sicut ille qui malo ordine tulit », non esse generalem regulam. Sed si affirmetur generalis esse, possemus dicere, depositi compositionem a Longobardo per illam legem fieri posse. Sed Ugo et pater eius (Vilihelmus) in hac permanent sententia, quod depositi compositio secundum legem Romanam fiat, sive sint Longobardi, sive Romani, cum omnium est generalis. Nam in Codice legitur in titulo depositi, quod, si aliquis alicui aliquid deposuerit et depositum negaverit et postea probatum fuerit, quod ei deposuisset et illud depositum consumpsisset, ut pro furto illud reddat (Cf. Cod. IV, 34, 3); et si non consumpserat, illud tantum reddat, si illud apud se habuerit; excepto si ille causa metus deposuit, vel causa ruine, vel causa incendii, vel causa naufragii: quia si pro his quattuor causis illico deposuerit, et dispensum habuerit, auctori sit licentia, depositum pro furto petere aut in duplum, et si dispensum non fuerit in duplum tantum (Cf. Inst. IV, 6, 17. Dig. XVI, 3, 1, 1 — 4. 18). — § 4. Bagelardus dicebat, quod si quis alicui deposuerit valens solidos 20 et eum cui deposuerit ex deposito appellavit et appellatus id depositum fuisse non negaverit, sed dixerit: « non denego, quin tu illud michi deposuisses, sed non debeo tibi respondere », per hanc

uxor Alberga aut Marcoardus suus servus aut Andreas suus filius deposuerunt tibi per se ipsos aut suos nuncios 20 solidos. — De torto me appellasti: aut: 10 michi deposuerunt, plus non. — Potes ei probare, ut totos 20 solidos ei deposuisses? — Si dixerit: « possum », approbet; si vero: « non », tunc appellatus det ei vadimonia, si se recordatus fuerit, quod emendabit ut rectum est; si non, ut se exdicat. Quae vadimonia debent esse cum fideiussoribus, tacita poena.

Cuius placiti sacramenta sint ita; appellator: « de hoc unde te appellavi, quod ego deposuissem tibi per me vel per meum nuntium 20 solidos, vel quod uxor mea vel filius meus vel servus meus tibi deposuissent per se ipsos aut suos nuntios 20 solidos me sciente, de torto te non appellavi, si Deus »; appellatus iuret: « de hoc unde appellasti me, quod tu vel uxor tua vel filius tuus vel servus tuus deposuissetis per vos vel per missos vestros 20 solidos michi, de torto me appellasti, si Deus ». Poena vero utrisque imminet; appellatori victo quidem, si Romanus est appellatus, ut mulctetur decima parte litis; ceteri quidem, et idem Romanus appellator, victi widrigild (per manus incisionem, causa extante periurio) poena feriantur. Appellatis quidem, si Romanus est victor, ut depositum duplicent, si inficiantur dolum ex quattuor casibus depo-

legem pugnam debere fieri. — Cui Bonifilius dixit: male dicis, quia hec lex in alio casu de deposito pugnam fieri non precipit, nisi quando depositum negant; sed hic nichil negatur, igitur inde pugna fieri non debet. Et hoc, scilicet quando depositum non negatur, quod pugna inde fieri non debet, a Wilihelmo affirmatur. Sed tantum, si ille qui suscepit depositum dixerit: « non debeo tibi emendare », rationes debet apponere, quare ei emendare non debeat. — § 5. Wilihelmus Bonifilio has questiones posuit sic dicens: si quis alii 20 solidos deposuerit et postea depositori 20 solidos negaverit et alios 20 manifestaverit deposuisse, debet inde pugna fieri? — Cui respondit Bonifilius. debet. — Item hanc aliam questionem eidem posuit: si quis ab alio 30 solidos mutuaverit et postea illi negaverit et 15 reddere voluerit, debet ipse defendere cum 12 sacramentalibus? — Cui Bonifilius respondit: debet, quia litigium non est 20 solidorum. Item, si quis alium plagaverit in capsum et denarios composuerit, nisi 5 solidos qui ad compositionem faciendam desunt, licet compositio est 20 solidorum (Roth. 59), ut ipse, qui predicto ordine negaverit debitum, non debeat se defendere cum 12 sacramentalibus (Roth. 359), similiter et ipse qui depositum supradicto ordine negaverit non defendat se per pugnam. Nam in hoc quod hec lex dicit: « depositum cupiditate victus negaverit » et postea dicit: « si 20 solidorum fuerit », debemus intelligere de negato deposito, scilicet quod illud depositum, quod negatur, sit valens viginti solidos: [nam si non sit valens viginti solidos]. non determinatur per pugnam, sed per sacramentum. — § 6. Notandum est quoque, quod « Si quis » debet intelligi de libero et servo, et « alicui » de libero et servo. Et si servus alicui deposuerit, dominus pro eo appellationem faciat per legem Rotharis que est « Si quis servo alieno vel ancille viam antesteterit » (Roth. 28); nam in hoc quod inferius dicit: « 20 solidos domino eius componat », dat intelligere, quod dominus pro servo appellationem faciat. Et si servus de deposito appellatus fuerit, dominus eum defendat per legem Liuprandi, que est « Si servus dum in fuga est furtum fecerit » (Liutpr. 11), in hoc quod inferius dicit: « si dominus eiusdem servi negaverit, quod servus eius non fecisset ipsum furtum, tunc per pugnam vel per sacramentum se defendat, si potuerit » et per capitulum Caroli quod est « Iubemus ut per districtionem » (Karol. M. 70); nam inferius dicit: « ut domini pro servis suis in omnibus causis rationem reddant, sicut lex iubet ».

siti (Inst. IV, 6, 17. 23); *ceteris, item et Romano, ut bannum persolvant, widrigild tribuant et depositum secundum legem victorum emendent.*

5. Si quis dixerit, quod per vim de praedio cartam alicui fecerit, ut per pugnam veritas decernatur, edicimus.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. — Ipsa terra mea propria est per cartam quam tu michi fecisti, et ecce carta. — Ego feci ipsam cartam, sed per virtutem. — Non fecisti. — Vis ei probare? — Volo. — Vadiate pugnam. — Quae vadimonia debent esse cum fideiussoribus, tacita poena.

Cuius placiti sacramenta sunt ita; appellator ita iuret, ponat cartam iuxta messale et tangens dicat: « ego hanc cartulam per virtutem feci, si Deus ». Appellatus ita: « hanc cartam tu per virtutem non fecisti, si Deus ». Interea donec ipsi bellaverunt, carta commendetur potestati ea conditione, ut, si appellator vicerit, carta incidatur; si vero appellatus, carta ei reddatur, et osten-

---

5. Petre, hoc te appellat Martinus, quod tu tenes ei terram in tali loco malo ordine. — Respondet: non est verum, quia ecce cartam, quam michi fecisti. — Respondet: illa carta nichil michi nocet, quia ego feci eam per vim. — Deinde qui per vim cartam fecisse dixerit interrogetur, si voluerit ardire per pugnam, et si dixerit: « volo », wadientur per pugnam, et detur illi spatium secundum legem, et postea vadant ad pugnam. Et si convictus fuerit qui cartam ostendit, si infra annum in quo carta per vim facta fuerit et per contumaciam restituere noluerit, terram in quadruplum debet emendare; et si appellatio fuerit facta post annum, illud debet emendare in simplum, id est illam tantum perdere, ut lex Romana precipit (Cf. Inst. IV, 2 pr. Cod. II, 20, 4). Videlicet si infra annum conventus visus restituere contumax extiterit, in quadruplum condempnandum est; si vero post annum convenietur et iussu iudicis restituere noluerit, in lite iurabitur (Cf. Dig. XII, 3, 2). — § 2. Queritur, si heres illius, qui per vim cartam fecerit, appellationem fecerit adversus eum, qui per vim cartam fieri fecit, si intra eos pugna fieri debeat? Non, quia hec lex non facit alium dein pugnare, nisi tantum illum, qui cartam per vim fecit. Sed, licet heredi illius qui per vim cartam fecit de vi pugnam facere ab hac lege non concedatur, inde, si voluerit cartam illam per vim factam appellare falsam, facere potest; quia, licet in rei veritate carta illa facta fuisset, tamen potest eam appellare falsam, quia in hoc quod ipse iurabit: « quod se sciente non exquirat, nisi veram et iustissimam rationem in omnibus » (Cf. Wid. 6) in hoc quod cartam falsam appellaverit, bene iurabit. Nam capitulum Lotharii quod est « De oppressione pauperum liberorum hominum » (Loth. 68) ostendit, cartam per vim factam non esse idoneam, in hoc quod dicit: « ut non fiant a potentioribus per aliquod ingenium contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant »; per hoc dat intelligere, ut, si coacti res suas vendiderint, quod non valet venditio nec carta facta. Inde potest igitur eam falsam appellare et pugnam inde facere per « Si de prediis » (Ott. I, 1). Et si ostensor carte victus fuerit, eodem modo componatur, ut supra diximus, infra annum in quadruplum, post annum in simplum, et insuper widrigild per « De cartis etiam » (Wid. 6). — § 3. Notandum quoque est, quod « per vim » secundum diversos diversis modis intelligitur. Sunt enim quidam, qui dicunt, vim talem esse potentiam, veluti, si quis res suas propter minas alicuius, potentioris alii vendiderit, sive sustineat cruciatum corporis sive non, hoc confirmando per capitulum Lotharii quod est « De oppressione pauperum » (Loth. 68), in hoc quod dicit: « et non fiant a potentioribus oppressi » et non ponit differentiam, sive sustineant corporis cruciatum sive non. Sed Ugo atque pater (Wilihelmus) hanc aliam sententiam magis confirmant, scilicet quod « per vim » magis intelligatur anime periculum corporisque cruciatus, ut lex Romana precipit in secundo libro Codicis (Cod. II, 20, 4, 7).

dens cartulam in iudicio per notitiam securitatem accipiat, vel per promissionem refutationis (Cf. Cartular. n. 17. 5). *Et si carta perdita apud potestatem fuerit, tamen uterque iustitiam suam consequatur. Si vero appellatus dixerit: « ecce carta quam pater tuus michi fecit », et appellator dixerit: « illa carta nichil michi impedit, quia pater meus fecit eam per virtutem », approbet appellator hoc ita esse. Si vero probare non potuerit, et appellatus iuraverit, illam cartam per virtutem non esse, vel probare appellator quidem incipiens et contraria probatione victus fuerit ipse appellator, sit ut superius diximus. At si appellator dixerit, cartam esse falsam, sit ut superius diximus. — Poena quidem utrisque immineat: appellatori quidem, ut emendet secundum obligationem cartae et widrigildi poena feriatur pro manus incisione: appellato vero, ut rem et pretium perdat, bannum persolvat et widrigild tribuat.*

6. De furto aut scacho, si ultra 6 solidos fuerit, similiter ut per pugnam veritas inveniatur, precipimus.

---

6. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu fuisti fur vel collega furis de tantis rebus suis que valebant ultra 6 solidos. — Respondet: « non est verum ». — Deinde actor interrogetur, si voluerit ardire per pugnam. Si dixerit: « volo », wadient pugnam et detur ei spatium secundum legem. Deinde ad pugnam tendant; et si ille de furto convictus fuerit, sive sit collega furis, pro periurio manum ammittat; et si illud fuerit primum furtum, oculum ammittat, et si fuerit secundum, nasus eius cappelletur, et si tertium fuerit, moriatur. — Et illius mors furta excludat, ut Caroli dicit capitulum quod est « Si quis latro de uno furto » (Karol. M. 84). Ex duobus furtis, unde oculum et nasum perdere debet, componat sicut lex est, id est, si ille qui appellaverit Longobardus est, sibi nonum componat iuxta Liuprandi legem que est « Si quis porcos » (Liutpr. 150), in hoc quod dicit: « sicut qui res alienas malo ordine tulit »; et si ille qui appellaverit Romanus fuerit, ipse latro componat ei, si furtum fuerit manifestum, in quadruplum, et si fuerit nec manifestum, in duplum extra rei persecutionem ut legitur in titulo « De obligationibus que ex delicto nascuntur » (Inst. IV, 1, 19). — § 2. Et quod collega debeat poni in superdicta appellatione, his rationibus a Wilihelmo confirmatur. Dicit enim, si ille qui appellaverit Longobardus fuerit, per legem Rotharis que est « Si quis caballum emerit » (Roth. 232), in hoc quod dicit, quod ille qui appellatur iurare debet, « quod nec fur sit nec collega furis »; et si ille qui appellatur Romanus fuerit, per legem quarti libri Institutionum in superscripto titulo « de obligationibus » (Inst. IV, 1, 11), in hoc quod dicit: « interdum furti tenetur ipse qui furtum non fecit, qualis est cuius ope et consilio furtum factum est »; et per hanc eandem legem, scilicet « De furto aut scacho »: quia in hoc quod dicit: « quod per pugnam veritas decernatur », et non ponit differentiam, sive ille qui appellatur sit fur, sive collega furis. Et si quis dixerit, ut Ugo dicit, quod collega non debeat apponi in superdicta appellatione, per hanc legem, scilicet « De furto aut scacho », cum hec lex de collega mentionem non facit, eadem ratione dicere possumus, quod « fur » vocabulum non sit apponendum in superdicta appellatione, cum exinde mentionem non faciat; quia, si quis appellaverit alium, quod fur sit vel collega furis, de furto litigium erit — § 3. Notandum est quoque, superdicta appellatio in hoc tantum viciatur a Wilihelmo, quod ibi dicitur: « tu fuisti fur de rebus suis », quia contingere potest, quod fur fuit non de rebus suis et tamen emendare debet ei, ut legitur in Liuprando in lege « Si quis commendaverit res suas » (Liutpr. 130), in hoc quod dicit: si res commendato furto fuerint ablate, quod ipse cui commendate fuerint, contra latronem habeat actionem, nec ille cuius res fuit: ideoque sic fiet appellatio: Petre, hoc te appellat Martinus, quod ipse habeat certam suspectionem, quod tu ei tulisti furtive valens ultra 6 solidos. — Cetera vero non

Petre, te appellat Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu fuisti fur de tanto suo mobili, quod valebat solidos 6 et unum denarium, aut collega furis.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tulisti sibi ad scachum tanta sua mobilia quae valebant solidos 6 et unum denarium. — De torto me appellas. — Vis ei ardire? — Volo. — Et tu vis te defendere? — Volo. — Vadiate pugnam. Quae vadimonia habent fideiussores, tacita poena.

Cuius placiti sacramenta ita sunt; appellator iuret ita: « de hoc quod te appellavi, non quaero te asto animo per pugnam fatigare, sed me sciente habeo certam suspectionem, quod tu tulisti michi furtive tantum, vel quod fuisti collega furis de tanto, si Deus »; appellatus: « de hoc unde tu me appellasti, ego tibi furtive non tuli vel non fui collega, si Deus ». Hoc, si Longobardus; ceteri vero omnes de furto et scacho, Longobardus de solo scacho, iurent: « De hoc unde te appellavi, quod tu fuisses fur aut collega furis de tanta mea substantia quae valebant 20 solidos, aut quod tulisses

---

mutantur. — § 4. Sciendum est quoque, quod per istam legem in superdicta appellatione positum est « quod ipse habet certam suspicionem »: nam per legem Liuprandi que est « Si quis alium astu appellaverit de pugna » (Liutpr. 70), in hoc quod dicit: « et dicat iuratus, quod non astu eum per pugnam fatigare querat, nisi quod certam habeat suspectionem ». — § 5. Petre, hoc dicit Martinus, quod ipse habet certam suspectionem, quod tu tulisti ei a scacho valens ultra 6 solidos. — Non est verum. — Interrogetur actor, si vult ardire per pugnam. — Si dixerit: « volo », wadietur pugnam et detur spatium secundum legem. Et si ille victus fuerit qui de scacho appellatus fuerit, propter periurium manum ammittat et componat ipsas res, sicut ille qui res alienas malo ordine tollit: si ille, cui res fuerunt scacho ablate, fuerit Longobardus, sibi nonum (Liutpr. 150), et si Romanus fuerit, in quadruplum. — § 6. Queritur, si quis presbyter fuerit appellatus de furto aut scacho, utrum pugna inde fieri debeat vel non? Dicebant antiqui, pugnam inde fieri non debere per capitulum Lotharii quod est « Ut episcopi universique sacerdotes habeant advocatos » (Loth. 101), in hoc quod dicit: « debet ergo unusquisque eorum tam pro ecclesiasticis quamque in propriis actionibus excepto publico videlicet crimine »... numquam datur ei advocatus... et dicebant, non esse laudabile, ut propter personas suas pugnam faciant. Sed male dicebant: quod videri potest per capitulum Caroli quod est « Volumus primo, ut neque abbates » (Karol. M. 98), in hoc quod dicit: « de personis suis et de actionibus in personis factis ad publica vel secularia iudicia ». Quod capitulum, istud quod est « Ut episcopi » per easdem litteras et eodem ordine factum fuit in canonibus (Concil. Roman. a. 826, c. 19: Mansi XIV, 1005): iuxta illud capitulum est aliud capitulum, quod specialiter dicit publica crimina, et dicit furtum publicum crimen esse. Igitur per capitulum istud quod est « Ut episcopi » de furto advocatum debet habere. Item per capitulum Octonis quod est « Laycorum vero » (Ott. I, 8) episcopi universique clerici advocatum habere debent, non quod specialiter dicat, sed per eius intellectum habemus. Bellum igitur per suum advocatum fiat. — § 7. Sed ante quem fieri debeat, sciendum est. Dicunt enim, quod tantum ante comitem fieri debeat; sed male dicunt, quod videri potest per Caroli capitulum, quod est « Volumus primo, ut neque abbates » (Karol. M. 98), in hoc quod dicit: « de personis suis et de actionibus in personis factis ad publica vel secularia iudicia trahantur vel distringantur, sed a suis episcopis iudicati iustitiam faciant ». Quod, scilicet quod ante episcopum tantum pugna fieri debeat, non est tenendum; sed est tenendum, ut ante utrumque fieri debeat per capitulum Widonis quod est « Placuit nobis, summopere statuere, ut episcopi et comites uniti sint in suis parrochiis et comitatibus pro pace et salvatione in omnibus honoribus suis habitantibus » (Wid. 1), indeque, quia sunt uniti, debet fieri

michi ad scachum tanta mea mobilia, quae valebant 10 solidos me sciente, de torto te non appellavi, si Deus »; appellatus ita: « de hoc unde tu me appellasti, quod ego fuissem fur tanta de substantia tua, quae valebant decem solidos, aut collega furis aut ego ad scachum tulissem tibi, de torto me appellasti, si Deus ». Poena vero talis est: actoris, si victus fuerit, widrigild porrigat et secundum legem appellati saepe emendet; appellato, si latro est, ut poenam corporalem sustineat, aut oculi aut nasi aut mortis (Cf. Karol. M. 44. 84). *Uterque, et latro et scachator, bannum solvat, widrigild tribuat, et saepe furtum et scachum secundum legem ipsius, cui neglegentiam commisit, emendet.*

7. Si quis equum suum vel cetera animalia sive rem suam super aliquem repererit et ipse warentem dare se dixerit, statim iuret ut ad certum warentem eum conducat, et super tertium warentem et tertium comitatum non procedat. Et si hoc facere noluerit, rem perdat et secundum legem componat.

Petre, te appellat Martinus, quod ipse interciavit tibi unum suum caballum aut aliam rem. — Non michi interciasti. — Si potest,

---

ante eos. — § 8. Et si advocatus presbyteri cadet de pugna, sciendum est, quis illorum presbyterum indicare debeat? Et si aliquis dixerit: comes eum indicabit per capitulum Caroli quod est « De vindicta et iudicio facto in latronibus testimonio episcoporum absque peccato comites facere possunt » (Karol. M. 83), male dicet: quia istud capitulum, quod est « De vindicta », non facit comites distringere alios latrones nisi laycos et qui erant districti in legibus, sed de presbyteris nichil dictum erat in legibus, et ideo episcopi non potuerunt dare testimonium comitibus, quod distringerent alios latrones, nisi qui continentur in lege. Licet in capitulo Caroli quod est « De vindicta et iudicio » non contineatur lege de presbyteris latronibus, tamen comes distringere debet per legem Romanam, que dicit: si presbyter fuerit periuratus, quod statim est degradandus (Cf. Iulian. Nov. 115, 33), et per capitulum Pipini quod est « Ut pontifex ordinet et disponat » (Pipin. 2), in hoc quod dicit: « et si quis pontifex suum clericum ordine canonico distringere noluerit, et ille ad secularem pertransierit habitum, quod canones clericum facere prohibent, comes qui in loco ordinatus fuerit distringat illum in omnibus ad suam partem sicut alium exercitalem ». — § 9. Notandum est quoque, quod hoc rumpit quamplures prediotas; sed qualiter rumpantur, qualiter salventur, superius dictum est.

7. Hec lex secundum diversos diversas habet materias, quarum prima hec est: si quis equum suum vel rem suam super aliquem repperit et ipse warentem dare dixerit, statim iuret, ut ad certum warentem eum conducat, et prestito sacramento ambo vadant ad auctorem et ipse auctor, si dixerit se vendidisse, per usum reddat pretium cui vendiderit equum et ab eo recipiat equum. Et si ipse auctorem dare dixerit, tunc ille qui intertiat et ille super quem prius intertiatus fuerit cum eo vadant ad auctorem; et si ipse secundus auctor dixerit, se ei vendidisse, per istum usum pretium reddat et equum recipiat et ipse prior auctor domum revertatur, si voluerit. Et si ipse secundus auctor auctorem dare dixerit, tunc ille super quem equus intertiatus fuerit et ille qui intertiaverit cum eo ad alium auctorem vadat; et si ille tertius auctor dixerit se ei vendidisse, per usum pretium reddat et equum recipiat: tunc ipse super quem equus repertus fuerit et secundus auctor domi revertatur, si voluerit. Et si ipse tertius auctor auctorem dare dixerit, tunc ipse qui equum intertiaverit vadat cum eo ad auctorem et ipse quartus auctor pretium reddat et equum recipiat et ipse tertius auctor domi revertatur, si voluerit. Et si ipse quartus dixerit dare auctorem, tunc ipse qui equum intertiavit vadat cum eo ad auctorem. Et hoc ordine qui equum intertiavit vadat usque ad illum, qui auctorem dare nequiverit. Et cum ad illum venerit, statim ille qui

approbet appellator, si non, iuret appellatus quod ipse sibi non interciavit. Si dixerit: « interciasti michi », statim iuret, quod ad certum warentem eum conducat. Interea vadat ad warentem et dicat sibi interciaturam rei, quam sibi tradiderat ille. Tunc warens det ei vadimonia de stando in auctoritate et reddendo pretio; hic vero det ei wadimonium de conducendo interciatorem ad eum ad placitum appellando et reddendam rem. Et hoc fit, si confessus fuerit warens se tradidisse. Si vero non fuerit, tamen hic vadat cum intertiatore ad eum cum re. Et cum venerit ad warentem, interroget: « tradidisti michi hanc rem? » Si dixerit: « non », campo contendat vel approbet cui res interciata est; et post vadat placitum, veluti si statim confessus fuerit, se esse warentem. Sed campo contendere vel probare si non potuerit, tunc ille qui warens dicebatur iuret se non tradidisse. Tunc ille cui res intertiata est componat ut latro, nisi alium warentem dederit. Si vero dixerit: « warens sum », tunc accipiat rem reddito pretio; tunc intertiator dicat ad warentem: « quid tibi pertinet? » — « Paulus michi vendidit ». Similiter paene per secundum sit usque ad tertium.

---

intertiavit per usum iuret, quod ipse suus proprius est, neque vendidit neque alienavit, ut per legem perdere debeat, et ipse qui auctorem dare nequiverit iuret similiter per usum, quod non fuit fur nec collega furis et per similitudinem legis Rotharis que est « Si quis caballum emerit » (Roth. 232), in hoc quod dicit: « prebeat sacramentum emptor, quod neque fur sit neque collega furis et postea sine pena furti equum restituat ». Et si ausus non fuerit se defendere, scilicet quod nec fur nec collega furis, pro furto eum reddat, sicut lex est; et idem intelligendum est de aliis animalibus et aliis rebus mobilibus. Et sciendum est, quod, si aliquis ex suprascriptis auctoribus dixerit, rem illam propter quam auctor datus fuerit, non dedisse, tunc per pugnam se defendat per Caroli capitulum quod est « Si res intertiata fuerit ablata » (Karol. M. 129) in hoc quod dicit: « si auctor venerit et rem intertiatam recipere noluerit, campo vel cruce contendat ». — § 2. Secunda est talis: si quis repperit equum suum vel cetera animalia sive rem suam super aliquem et ipse warentem se dare dixerit, statim iuret, ut ad certum warentem eum conducat, et prestito sacramento ambo vadant ad auctorem et, si dixerit se vendidisse, per usum reddat pretium et accipiat equum; et ipse apud quem intertiatus fuit revertatur domum, si voluerit. Et si ipse auctor warentem dare dixerit, tunc ipse qui intertiavit vadat cum eo ad ipsum auctorem, id est ad ipsum warentem, quem dare dixerit; et si ipse secundus auctor dixerit se ei vendidisse, per usum reddat pretium et accipiat equum; et ipse qui dedit eum auctorem revertatur domum, si voluerit. Et si ipse secundus warentes dixerit dare warentem, tunc ipse qui equum intertiavit similiter vadat cum eo ad warentem, et ipse tertius similiter reddat pretium et accipiat equum, et ille qui intertiavit ultra hunc tertium warentem non procedat. Sed si ipse tertius warentes non fuerit ausus iurare, quod nec fur sit nec collega furis, sicut supra dictum est, componat equum vel rem pro furto ut supra legitur, et si ausus fuerit iurare, reddat tantum caput. Et si aliquis ex ipsis auctoribus negaverit, equum vel rem se vendidisse, fiat pugna sicut superius dictum est. — § 3. Tertia materia talis est secundum Ugonem. Si quis super aliquem repperit equum suum vel rem suam et ipse warentem se dare dixerit, statim iuret, certum warentem suum esse Vercellis; ambo illuc vadant; et cum ipse venerit illuc et dixerit: « non est hic, sed Novare est », ambo illic iterum vadant; et item cum ipse venerit illuc et dixerit: « non est hic, sed Mediolani est », iterum Mediolanum vadant. Et postquam illuc veniunt, si iterum dixerit: « non est hic, sed Papie », tunc ipse qui eum intertiavit non ultra Mediolanum ire cogatur. Sed ipse, qui warentem dare dixerit, iuret per usum, quod non sit fur nec collega furis, et si ausus non fuerit iurare pro furto, componat sicut superius

Postea interroget tertium: « quid tibi pertinet? » — « Habeo warentem Marcoardum ». — Hoc dico: « non debeo ire supra tertium warentem et tertium comitatum ». Tunc appellator iuret, quod suus proprius est, nec vendidit nec donavit quod per legem perdere debeat, sed furtive et abstractus est. Tunc tertius warens iuret, quod nec latro fuit nec collega latronis, sed cum suo proprio pretio comparavit, et reddat rem. Si vero responderit, equum esse natum de suo iumento, approbet et retineat vel solus iuret et retineat; et hoc per usum. Si vero approbatione ceciderit vel iurare noluerit, teneatur ut latro nisi reversus fuerit ad warentem. Et tunc sit ut supra dixi. Hoc omne fit secundum quosdam vanos (Cf. form. ad Roth. 232 i. f.).

8. Laicorum vero nullum preter comites in solis aecclesiasticis rebus advocatorem habere ullum permittimus.

9 (10). Quacumque lege, sive etiam Romana, in omni regno Italico homo vixerit, haec omnia, sicut in his capitulis per pugnam decrevimus, servare precipimus: ita tamen, ut si eorum unum iuvenilis aut decrepita aetas seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem imponere et alteri similiter facere.

---

dictum est. — § 4. In hoc quod hoc capitulum dicit: « si quis equum suum », di. M. (?), quod ipse qui intertiavit prius debet probare suum, quam ipse apud quem repertus erit ei respondeat. Sed male di., quia hec lex non ideo dixit « suum », quod prius debeat suum probare, sed ideo dixit « suum », quia ipse qui intertiavit dicebat, suum esse. Et si aliquis quesierit, ubi tale dictum repperiatur, detur ei in Rotharis lege que est « Si quis caballum emerit », in hoc quod dicit: « et venerit certus homo, qui ipsum caballum suum esse dicat », non ideo « certus », quod in veritate certus esset, sed quia dicebat se certum esse; et quod ipse non esset certus, inferius declaratur in hoc quod dicit: « et alter proprius et certus auctor venerit, qui ipsum caballum suum faciat ». — § 5. In hoc quod hec lex dicit: « et ipse warentem se dare dixerit », dicebant antiqui, quod si ipse super quem res reperta fuerit non dixerit se dare warentem, licet dare possit, tamen dare non debet. Sed male dicebant, quia hec lex non ideo dixit: « et ipse dixerit, se dare warentem », quin dare debeat si dare potest, licet non dixerit se dare, sed ideo dixit secundum... ad differentiam illius, qui dare non potest; veluti ille qui equum illum et ab alio non habuit, sed ex equa sua natus fuerit, vel qui auctorem ignoraverit.

8. In hoc quod hec lex dicit: « nullum laycorum preter comitem in solis ecclesiasticis rebus advocatum habere permittimus » ostendit, quod clerici advocatum habere debent. — § 2. Hoc capitulum rumpit capitulum Liuprandi quod est « Recolimus hoc, quod statuimus cum nostris iudicibus » (Liutpr. 117) et legem Rachis « Si quis alterius causam agere » (Rach. 7) et capitulum Pipini « De universali quidem populo » (Pipin. 7) et capitulum Caroli « Et quia sunt nonnulli qui sine proprietatibus » (Karol. M. 127). Sed qualiter rumpantur, dictum est retro. Et rumpit legem Romanam in hoc quod dicit, quod layci possunt habere curatores et procuratores, et ipsi tutores procuratoresque seu curatores pro eis possunt agere ac conveniri. Sed lex Romana et alie leges ita salvantur ab Ugone, quod debemus intelligere advocatum pro camphione posuisse, quod est dicere « Nullus laycorum ».

9. In hoc quod hec lex dicit: « si infirmitas pugnare prohibuerit, liceat pro se pugnatorem ponere et alteri similiter », queritur, si dubium fuerit de infirmitate, quid debeat inde esse, cum hec lex nichil inde dicat. Dicitur igitur, quod per usum iurare debet, quod talem infirmitatem habeat, propter quam pugnare non valet. — § 2. In hoc quod hec lex dicit: « et alteri similiter facere », volebant antiqui dicere, quod illud « alteri » sic esse intelligendum, ut infirmus esset aut iuvenilem vel decrepitam etatem habuisset.

10 (11). Aecclesiae et comites seu viduae lites suas de his quae in suprascriptis capitulis continentur per consimiles advocatos pugna dirimant. Ceteri homines natura liberi secundum legem pristinam per semetipsos respondeant et determinent.

11 (13). Diaconorum presbyterorum episcoporum filios notarios sculdascios comites iudices fieri omnibus modis prohibemus.

[CAPITULUM OTTONIS III]

Cotidie contra leges agitur, cotidie mali malum facere non verentur. Ideo hac lege omne per evum divinitate propicia valitura edicimus, ut toto anni tempore liceat iudicibus causas agere, lites dirimere, tumultus quaestionum terminare et diffinire, ut qui cotidie legi offendunt cotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messium vel vindemiarum legis edictum debent effugere qui in nullo tempore peccare desierunt. Bene enim facere, verum dicere, iustitiam amare, recte iudicare omnibus omni tempore licet semperque licebit, quia a bonis nunquam, a malis operibus semper requiescendum esse catholice didicimus, et iugiter conservandum Deo auctore imperiali maiestate decrevimus. David autem rex et propheta dicit: « beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore » (*Psalm.* 106, 3). In natali vero Domini, in epiphania, in diebus quadragesimalibus, in pasca, in ascensione, in pentecostes, in diebus dominicis et in festis precipuis et in constitutis ieiuniorum diebus iudiciarios

---

10. In hoc quod hec lex dicit: « per consimiles advocatores pugnam dirimant », dicebant antiqui, si comes haberet litigium et cum vidua, et comes quendam capitaneum pro se camphionem poneret, quod vidua pro se camphionem poneret capitaneum. Sed male dicebant, quia similiter possumus dicere, si vidua pauperem camphionem pro se poneret, quod comes pro se pauperem camphionem debet componere. Quare non hoc cum causa dixit, sed ideo dixit, ut vidua similiter habeat advocatum, quemadmodum comes. — § 2. Item in hoc quod hec lex dicit: « ceteri homines natura liberi secundum legem pristinam per semet ipsos respondeant et determinent », dicebant antiqui, si essent libertini, quod possent pro se camphionem ponere. Sed male dicebant, quia, licet hec lex dicat de omnibus, qui sunt natura liberi, tamen illud idem intelligendum est de libertinis, cum lex superius posita que est « Laycorum vero » (Ott. I, 8) eis prohibuit pro se camphionem ponere, et cum maius privilegium tunc daretur libertino, quam libero nascendo.

CAP. OTT. III. In hoc quod dicit: « toto anni tempore liceat iudicibus causas agere, lites dirimere, tumultus questionum » et cetera, rumpit legem Romanam, que vetat iudicibus causam agere, lites dirimere tempore messium vel vindemiarum (Cf. Dig. II, 12, 1).

motus exequi, publicas questiones appeti, ut omni vigilantia solempnitates, quod christianorum est, celebrentur, penitus prohibemus (*Ottonis III edictum intra a.* 996 — 1001 *editum: Legg. II*, 36).

Explicit capitularius.

[CAPITULA HEINRICI I]

Henricus gratia Dei miserationis Romanorum imperator augustus. Omnibus nostris fidelibus praesentibus etiam et futuris notum fieri volumus, quod, semper rei publicae providentes, quae digna sunt probabilium personarum nostri imperii fidelium acceptione disponimus. Cum tempore autumni in parte Elisantiae nostri regni pro utilitate multimoda moraremur in civitate Argentina quae vulgari nomine Straburge vocatur, multorum perlatum est ad nos relacione, quod plurimi tunc erant qui sub occasione his periculis laborabant. Unde etiam digna provisione omnibus succurrentes attestatione laudis quam plurium nobis adstantium fidelium, archiepiscoporum Mediolanensis videlicet et Ravenensis, episcoporum quoque Tranburgensis Placentini Cumani Vercellensis Parmensis Aquensis Lunensis Vulterrensis, marchionum quoque et comitum Italiensium, nobilium vero multorum vassallorum sapientium et iudicum, inter multa quae rei publicae congruebant tria capitula inseruimus. Quae ut ab omnibus nostri imperii observentur stabilique observatione teneantur, amodo et deinceps statuimus, iubemus et firmiter praecipimus. Haec sunt, quae inviolabiliter observari iubemus (*Praef. C.* 1—3=*Heinrici I Imperat. capit. a.* 1019 *const.*: *Legg. II*, 38).

1. Quicumque ex quacumque natione legitimam uxorem accepit vel

1. In hoc quod hec lex dicit: « si contigerit eam mori sine filiis eorum amborum » ostendit, quod filii debuerint ei succedere, non pater, si filii fuerint, et in omni parte rumpit legem Liuprandi que est « Si sorores in casa patris » (Liutpr. 14), in hoc quod dicit: « tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit », et in parte affirmat, scilicet in eo casu quando filii non fuerint. Sed secundum quosdam lex predicta salvatur ita. Dicunt enim quidam: « Quicumque ex quacumque natione » non loquitur de illis viris nec de illis mulieribus, de quibus « Si sorores in casa patris » est locuta, cum hec lex, scilicet « Si sorores », loquitur de mundiatis mulieribus, illa vero, scilicet « Quicumque ex quacumque natione », loquitur de non mundiatis. Quod in prologo ibidem facto videri potest, in hoc quod ibi legitur: « prolatum est ad vos, quod plurimi tunc aderant, qui sub occasione his laborant periculis », scilicet quod eas non mundiaverint, et ob hanc occasionem eis non succedebant, pro quibus, scilicet subter hoc periculo laborantibus, rex hanc legem que est « Quicumque » illis taliter constituit. — Quod Wilihelmus non laudat, quia, quamvis prologus ostendat, hanc legem que est « Quicumque » factam esse sub predicto periculo laborantibus, tamen facta est tam aliis quam illis. Quod potest videri per hoc quod dicit universaliter: « Quicumque ex quacumque natione », sive Romana sive Longobarda seu alia qualibet natione, et non posuit diffe-

acceperit, si eam mori contigerit sine filiis eorum amborum, vir suae uxori succedat et omnia bona eius percipiat.

2. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem aut matrem aut fratrem aut sororem vel nepotem vel alium propinquum suum per se aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. Interfectoris vero hereditas in fiscum redigatur, ipse vero ordinante episcopo publicae poenitentiae subdetur. Quodsi ille qui crimine arguitur negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat ei camphionem pro se dare, nisi decrepitas aetas aut iuvenilis aut infirmitas pugnare prohibuerit.

Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu occidisti Marcoardum tuum patrem per cupiditatem aut interfici fecisti. — Non placeat Deo. — Vis ei adardire? — Volo. — Vadiate pugnam. — Quae vadimonia debent esse cum fideiussoribus, tacita poena.

Cuius placiti sacramenta ita esse debent; advocatus iuret: « De hoc unde te appellavi me sciente, de torto te non appellavi »; appellatus ita: « de hoc unde tu me appellasti, de torto me appellasti ». Et haec responsio debet esse tantum, dum advocatus adardit ei bellum; si vero advocatus non vult ei adardire, tunc appellatus iureiurando secundum suam legem se defendat, ita ut advocatus antea non iuret. Et hoc per usum. Et hoc debet esse in omnibus appellationibus ubi utraque esse possunt. Si vero tantum sacramenta esse debent, tunc appellatus iuret secundum legem absque sacramento advocati.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Marcoardum suum patrem et tuum per cupiditatem, aut interfici fecisti. — De torto me appellasti. — Vis ei adardire? — Volo. — Et tu vis te defendere? — Volo. — Vadiate pugnam. — Si autem appellator is noluerit

---

rentiam sive sit mundiata vel non. — § 2. Licet ex intellectu istius legis filii succedant et appellatione filiorum filie contineantur et equaliter parentibus succedant, lege Romana statuente (Cf. Iulian. nov. 109, 1), tamen, si Longobardus fuerit et filios masculini sexus reliquerit, ipsi succedant exclusis filiabus. Quod patet per legem Liuprandi que est « Si quis Longobardus » (Liutpr. 1). Et non tantum per legem Romanam filii pro filiabus dicuntur sed in hac; ut legitur in capitulo Widonis quod est « Volumus preterea » (Wid. 7), ubi dicit: « filii defuncti ». — § 3. Notandum est quoque, quod « filii » hic accipiuntur pro omnibus descendentibus; et inde detur exemplum in Liuprandi lege que est « Si quis Longobardus » (Liutpr. 3) in hoc quod dicit: « nam si ipse frater neque filios neque filias habuerit, aut si habuerit et ante eum mortui aut mortuae fuerint absque filiis filiabus » eodem modo intelligendum est de omnibus descendentibus. — § 4. In hoc quod hec lex dicit: « et omnia eius bona percipiat » debemus intelligere de quarta, de antifacto et contrafacto et hereditate si habuerit; et erant quidam, qui dicebant et de tertia, quia dicebant, tertias esse de bonis suis. Sed male dicebant; quia lex Romana precipit de tertia, quod mulier non debet inde proprietatem habere nisi usufructum tantum, quia et aliquibus precipit: mortuo usufructuario extinguitur usufructus.

adardire, tunc iuret ut supra dictum est, et appellatus similiter ut supra. Sacramentales vero iurent: « hoc quod M. appellatus iuravit, verum iuravit, si Deus ». Poena vero imminet utrisque talis: advocato victo, ut manum perdat aut redimat, et propinquo similiter; appellato, ut non habeat hereditatem interfecti, suam quidem perdat, bannum solvat, manum amittat aut redimat, id est ut widrigild tribuat, et ordinante episcopo publicae poenitentiae subdetur. Si vero lis per sacramenta ab utrisque finiatur, nulla poena eis immineat; si vero advocatus vel parens iuraverit, et reus se purificare ausus non fuerit, tunc supradictam poenam sustineat praeter widrigild.

3. Qui vero infra treuvam vel datum pacis osculum aliquem hominem interfecerit et negare voluerit, pugnam per se faciat, nec camphionem pro se dabit nisi ut dictum est superius. Si vero convictus fuerit, manum qua homicidium fecit amittat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu occidisti Dominicum suum patrem infra treuvam vel infra datum osculum pacis. — De torto me appellasti. — Vis ei adardire? — Volo. — Et tu, vis te defendere? — Volo. — Vadiate pugnam. — Cuius placiti sacramenta ita sunt, appellator iuret: « de hoc unde te appellavi, quod tu occidisti Dominicum meum patrem infra treuvam vel infra datum osculum pacis, me sciente de torto te non appellavi, si Deus »; appellatus ita: « de hoc unde tu me appellasti, quod ego occidissem patrem tuum infra treuvam, de torto me appellasti, si Deus »; Si vero appellator noluerit adardire, tunc lis finiatur per sacramenta, ut superius diximus (ad Heinr. I, 2). *Poena vero utrisque imminet, appellatori vero, si victus fuerit, ut manum perdat aut redimat; appellato, ut bannum solvat, manum perdat et homicidium secundum legem emendet.*

Expliciunt capitula domni Henrici imperatoris seu ceterorum.

[CAPITULUM CONRADI].

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Chonradus Dei gratia Romanorum imperator augustus.

Omnibus sanctae Dei aecclesiae nostrisque fidelibus tam praesentibus quam et futuris notum esse volumus, quod nos ad reconciliandos animos seniorum et militum, ut ad invicem semper inveniantur con-

cordes et ut fideliter et perseveranter nobis et suis senioribus serviant devote, praecipimus et firmiter statuimus, ut nullus miles episcoporum abbatum abbatissarum aut marchionum vel comitum vel omnium qui beneficium de nostris publicis bonis aut de aecclesiarum praediis nunc tenent aut tenuerint vel actenus iniuste perdiderint, tam de nostris maioribus vavassoribus quam eorum militibus, sine certa et convicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum et iudicium parium suorum. Et si contentio emerserit inter seniores et milites, quamvis pares adiudicaverint, illum suo beneficio carere debere, si ille dixerit, hoc iniuste vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior et ille quem culpat cum paribus suis ante nostram praesentiam veniant et ibi causa iuste terminetur. Si autem pares eius culpati in iudicio senioribus defecerint, ille qui culpatur suum beneficium teneat, donec ipse cum suo seniore et paribus ante nostram praesentiam veniant. Senior vero aut miles qui culpatur, qui ad nos venire decreverit, sex hebdomadas antequam iter incipiat ei cum quo litigavit innotescat. Hoc autem de maioribus vavassoribus observetur. De minoribus vero in regno aut ante seniores aut ante nostrum missum eorum causa finiatur. Praecipimus etiam, cum aliquis miles sive de maioribus sive de minoribus de hoc seculo migraverit, filios eius beneficium tenere. Si vero filios non habuerit et abiaticos ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeant, servato usu maiorum vavassorum in dandis equis et armis suis senioribus. Si forte abiaticum ex filio non reliquerit et fratrem legitimum ex parte patris habuerit, et seniorem offensum habuit et sibi vult satisfacere et miles eius effici, beneficium quod patris sui fuit habeat. Insuper etiam omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium aut precariam aut libellum sine eorum assensu facere presumat: illa vero, quae tenent proprietario iure aut per praecepta sive per rectum libellum sive per precariam, nemo iniuste disvestire eos audeat. Fodrum vero quod nostri antecessores habuerunt habere volumus, illud vero quod non habuerunt nullo modo exigimus. Si quis hanc nostram iussionem preterierit, auri libras centum componat, medietatem camerae nostrae et medietatem cui dannum illatum fuerit. At si quis aurum non habuerit, nostra sententia feriatur, ut nobis placuerit (*Conradi I Imper. edictum, a.* 1037: *Legg. II*, 39. 40).

[CAPITULA HEINRICI II].

1. Heinricus divina pietate secundus Romanorum imperator augustus omnibus.

In legibus cautum est, ut nemo clericorum iurare praesumat; alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personae in primo litis exordio subeant iusiurandum calumniae. Nonnullis legis peritis venit in dubium, utrum clerici iusiurandum praestare debeant, aut alii personae hoc officium liceat delegare. Quia enim illud constitutionis edictum, ubi clerici iurare probibentur, a Theodosio augusto Tauro prefecto pretorio (*Cod. I*, 3, 25. *cf.* 20) de Constantinopolitanis clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios clericos pertinere non creditur. Ut haec ergo dubietas omnibus penitus auferatur, illam divi Theodosii constitutionem ita interpretari decernimus, ut ad omnium aecclesiarum clericos generaliter pertinere iudicetur. Nam cum divus Iustinianus iure decreverat, ut canones patrum vim legum habere oporteat et nullis patrum canonibus reperitur, ut clerici iurare audeant, dignum est, ut totus clericalis ordo a praestando iureiurando immunis esse procul dubio censeatur. Quapropter nos utriusque, divinae videlicet et humanae, legis intentione decernimus et imperiali auctoritate inretractabiliter diffinimus, ut non episcopi non presbyteri non cuiuscumque ordinis clericus non abbas non aliquis monachus vel sanctimonialis in quacumque controversia sive criminali sive civili iusiurandum compellatur qualibet ratione subire, sed suis idoneis advocatis hoc officium debeant delegare (*Heinrici II edictum Arimini*, *a.* 1047 *dat.*: *Legg. II*, 41).

2. Heinricus divina pietate secundus Romanorum imperator augustus omnibus Longobardis.

Decet imperialem sollertiam ita rei publicae curam agere, ut sic sollicitetur erga praesentia, quatenus ea quoque diligenter provideat, quae posteris sint utilia ac profutura. Id autem tunc satis competenter agitur, cum bonis virtutum praemium, impiis autem digna ultio sibi ad vindictam, aliis ad exemplum recompensetur. Sed quoniam omnia quae mundus habet humanum genus excellit, de eius salute tanto praecipue curandum est quanto manifestius constat, quod omni-

potens quoque Deus pro eius redemptione unigenitum suum ab aeterna sede divinitatis suae in terras misit. Quapropter quoniam plerosque, pro dolor! veneficio ac diverso genere furtivae mortis perire audivimus, super hoc, dum Turegi universali conventu Longobardorum sederemus, huiusmodi legem episcoporum marchionum comitum aliorumque multorum nostrorum fidelium consensu et auctoritate probari sanctimus (*C.* 2. 3. = *Heinrici II edictum Turegi*, *a.* 1054 *dat. prim.: Legg. II*, 42).

3 (2). Quicumque veneficio seu quolibet modo furtivae mortis aliquem peremerit aut inde consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat omniumque suarum rerum mobilium seu immobilium facultatem amittat, ita tamen ut pretium decem librarum pro legitimo widrigildo propinquis perempti primum inde detur, reliqui rursus medietas eisdem propinquis veniat, altera autem medietas ad fiscum accedat. Si quis vero, praedicti criminis aut de facto aut de consensu accusatus, negare voluerit, aut per duellum — si liber est, si vero servus, per iudicium — se defendat aut similem sententiam incidat. Ad hoc autem volumus nostraque imperiali auctoritate sancimus, ut quicumque hominibus praedicti reatus noxiis refugium aut subsidium aliquod praebuerit, omnis eius possessio in publicum veniat: ipse vero nostram omniumque nostrorum indignationem incurrat, nisi se defenderit ut diximus.

4 (3). Heinricus divina pietate secundus Romanorum imperator augustus omnibus.

Quoniam nobis divinae pietatis providentia imperialis officii curam commissam credimus, nos quoque erga ea quae ad christianas religiones et ad cultum iustitiae pertinent iugiter sollicitari debemus. Quapropter cum Turegi universali conventu nostrorum fidelium Italicorum sederemus, orta quaestione de illicitis coniugiis, consilio nostrorum principum archiepiscoporum episcoporum marchionum comitum ac iudicio iudicum seu consensu omnium iudicantium huius modi sententiam diffinivimus, omnia scilicet quae sancti canones vel sacrae leges nostrorum praecessorum inde statuerunt summa auctoritate confirmavimus et inde etiam nostro imperiali iure addimus (*C.* 4. 5 = *Heinrici II edictum Turegi*, *a.* 1054 *dat. secund.: Legg. II*, 42).

5 (4). Ut quicumque seu in legitima aetate sive infra legitimam aetatem uxorem duxerit vel desponsaverit, si morte praeventus fuerit, nulli propinquorum suorum liceat viduam vel desponsatam illius uxorem ducere. Quodsi quis hoc fecerit, tam mulier quam vir ex

hac lege exheredati sint, omniumque bonorum eorum medietas ad fiscum deveniat, altera vero medietas propinquis parentibus legitimis hereditario iure deveniat; et quicumque ex huiusmodi coniugio natus fuerit, ipse quoque sicut et parentes sui, ex hac lege exheredatus sit.

6. Heinricus divina pietate secundus Romanorum imperator augustus omnibus. Decet imperialem solertiam, contentorem suae praesentiae capitali dampnare sententia (*Incertae originis*).

Explicit lex Longobarda. Deo gratias. Amen.

Appendices.

I.

QUAESTIONES AC MONITA [1]

§ 1. Quaestio de lege Romana. Homo qui ad placitum wadiam dederit et non habet fideiussores paratos, comprehendatur et mittatur in carcere, quia lex Romana precipit: si quis fideiussorem non habuerit (2).... — § 2.... sic (3) debet iurare: « secundum istum iudicatum post decessum lei genetricis meae meum proprium esse debet, et te malo ordine non devestivi ». Tunc vadat ad certamen. — Quodsi utile fuerit, quod ipsa femina advestita fuerit et altercatio evenerit, et sacramentum facere debet, tunc de femina dicat: « quamvis iuxta istum iudicatum investita fuisset, tamen non debes dicere proprium ». — § 3. Si (4) infans intra aetatem esset et habuerit avium de patre, tutor sit; si non habuerit et habuerit patruum, fratrem de patre, item sit; de matre non. — § 4. Successio lege Salica. Si homo decesserit et reliquerit filium et filiam, equaliter succedant; et si reliquerit filium et filiam et nepotem, filium de suo filio, equaliter succedant. Si vero isti non fuerint et reliquerit patrem vel matrem, ipsi succedant. Si autem non habuerit, et ille quidem moriens reliquerit fratrem vel sororem, sive sunt germani sive non, ipsi succedant. Si vero iste predictos non habuerit et habuerit amitam, sororem de suo patre, ipsa succedat, et si iste non habuerit et habuerit materteram, sororem de sua matre, ipsa succedat. Quodsi nullus de istis personis

(1) Cf. Muratori, Rer. Ital. SS. I, 2, pag. 163, sqq.; Savigny, Hist. iur. Rom. I, 423, sqq., edit. ital.; Boretius, praef. ad libr. Papiensem, § 75.

(2) Vide infra § 19.

(3) Vide infra § 11. 20.

(4) Cf. infra § 12.

fuerit, tunc quicumque propinquus fuerit masculus de paterna generacione, ipse succedat. Sed alias feminas non vocant ad successionem hominis Salici nisi illas quas supra dixi. — § 5. Successio lege Romana. Si homo decesserit et reliquerit filium vel filiam et nepotem, filium de suo filio vel filia, aequaliter succedant. Similiter omnes succedant illi qui de inferiori linea venerint, sive sint proneptes vel pronepotes vel in......?......, sive sint nati antequam parens fuerit mortuus, sive sint postumi, id est qui fuerint nati post decessum parentis. Quodsi nulli de subteriore linea fuerint et habuerit patrem et matrem et fratres germanos et sorores germanas omnes aequaliter succedant, et si habuerit tantum matrem vel patrem et fratrem germanum vel sororem germanam et filium vel filiam de alio fratre vel sorore germana, similiter aequaliter succedant. Si vero reliquerit fratrem vel sororem germanam et fratrem vel sororem qui non sunt germani, germani succedant. Si autem reliquerit fratrem vel sororem, qui non sunt germani et filium vel filiam de fratre aut de sorore qui fuerint germani, fratris vel sororis germani filii vel filiae succedant. Quod si reliquerit fratrem vel sororem germanam et filios vel filias de fratre vel de sorore qui fuerint similiter germani, aequaliter succedant. Et si istos non habuerit, et habuerit avum vel aviam et patrem vel matrem, pater vel mater succedat qui proximiores gradu sunt. Quodsi nullus de personis supradictis fuerit, tunc quicumque proximior fuerit, sive masculus sive femina, sive de paterna generatione sive de materna, ipse succedat. Si vero fuerint parentes aequali gradu de paterna et de materna generatione, aequaliter succedant. Si autem fuerint plures propinqui de paterna vel de materna generatione, is qui fuerit proximior gradu ipsi succedat. Quia sic praecipit lex Romana in libro qui vocatur Novella (1), quae egit Iustinianus imperator temporibus suis. — § 6. Intentiones, unde per legem potest haberi pugna. Prima est, si (2) alicui fuerit missum crimen, quod ipse infidelis regis. Secunda, si (3) homo clamaverit fornicariam mulierem, quae in alterius mundio est et perseveraverit in ipso malo. Tercia, si (4) homo miserit crimen suae uxori, quod tractasset in morte sua. IIII. Si (5) homo miserit crimen alii de sua uxore, quod fornicasset cum ea. V. Si (6) quis miserit crimen suae mulieri, quod fornicasset cum alio. VI. Si (7) quis alii miserit

(1) Iulian. nov. 109 § 1-3.
(2) Loth. 32.
(3) Roth. 198.
(4) Roth. 202.
(5) Roth. 213.
(6) Grim. 7.
(7) Liutp. 120.

crimen de sua uxore, quod conversasset cum ea turpiter. VII. Si (1) homo appellaverit alium argam et perseveraverit in ipso malo. VIII. Si (2) quis appellaverit filium, quod pater eius fuisset debitor suus. VIIII. Si (3) surrexerit intentio inter creditorem et debitorem atque fideiussorem. X. Si (4) quis mallaverit alium de incendio, quod ipse fecisset. XI. Si (5) homo mallaverit alium, quod ipse occidisset suum propinquum astu per venenum. XII. Si (6) homo noluerit recipere rem intertiatam. XIII. Si (7) duo testimonia de qualibet re dant testimonium et discordantur inter se. XIIII. De (8) cartula falsa appellata, si voluerit ipse qui appellavit falsam eam. XV. Si (9) quis appellaverit alium, quod deposuisset ei aut ipse aut per suum nuncium, valente 20 solidos aut amplius. XVI. Si (10) aliquis appellaverit alium, quod ipse devestisset eum de re immobili. XVII. Si (11) homo venerit in iudicium et dixerit: « habeo et teneo ad meam proprietatem peciam unam de terra in loco tali », et alius homo similiter dicat: « ipsa terra, quam tu dicis, ego habeo eam et teneo ad meam proprietatem ». XVIII. Si (12) quis dixerit de cartula facta de praedio, quod fecit eam per virtutem. XVIIII. Si (13) homo miserit crimen alii, quod tulisset ei furtim, valente plus aliquid de 6 solidis. XX. Si (13) homo appellaverit alium de scacho, quod sit ei, valente ultra 6 solidos. XXI. Si (13) homo mallaverit alium, quod ipse fuisset collega furis de aliqua re furtiva. XXII. Si (14) homo mallaverit, quod in in sua potestate venisset aliqua res furtiva se sciente, quae ei fuisset furata. XXIII. Si (15) quis mallaverit alium, quod suum servum fecisset ei furari, aut uxorem illius vel filium ipsius, qui in eius potestate est. — § 7. Questio (16) Romana: si homo fecerit furtum, reddat in quadruplum (17) ad hominem Romanum (18) et pro culpa nasum perdat (19) et bannum regi; si evenerit quod cum ipso comprehensus non fuerit et in post inventus fuerit (20), in duplum (21) componat. — § 8. Possessionum ex lege Langobarda aliae sunt per 30 annos, aliae sunt per 40, aliae sunt per 60. Per 30 sunt inter duos homines extraneos aut inter hominem et ecclesiam (22).

(1) Roth. 382.
(2) Roth. 366.
(3) Roth. 367.
(4) Liutp. 70.
(5) Liutp. 117.
(6) Karol. M. 130.
(7) Lud. P. 3.
(8) Otto I. 1
(9) Otto I. 5.
(10) Otto I. 3.
(11) Otto I. 1.
(12) Otto I. 5.
(13) Otto I. 6.
(14) Roth. 260.
(15) Roth. 259.
(16) Haec quaestio in margine codicis adscripta est.
(17) Inst. IV, 6, 25.
(18) Cf. Karol. M. 143: « quando componunt, iuxta legem cui malum fecerint componant ».
(19) Kar. M. 44. 84.
(20) supple: *furtus*, i. e. res furtim ablata.
(21) Inst. cit. 23.
(22) Grim. 4; Ast. 9.

Per 40 sunt inter duos fratres aut inter barbam et nepotem, vel inter consobrinos (1), vel inter duas ecclesias (2), vel si aliquis habuerit cartulam de uno ex istis parentibus aut de una ecclesia et intentionem habuerit cum alio de ipsis parentibus vel cum alia ecclesia et velit stare in loco warentis (3). Per 60 sunt illae, si homo aliquis habuerit intentionem de rebus immobilibus cum parte publica (4). — § 9. Si (5) homo commendaverit servo alieno aliquas res, et postea ipse servus fuerat dimissus liber, et veniens ille qui ipsas res commendavit requisierit eas, respondeat ille: « ab illo die, quando tu mihi commendasti, servus eram patris mei et ipse dominus meus michi tulit. Quomodo potes contradicere, quod dominus meus erat ille? » Respondeat: « nunc autem liber est servus, et mihi reddat ». Lex est ut postquam ipse manifestavit, quod commendasset, reddat ei quod dicit lex (6). — § 10. Si ille homo aliqua mala fecerit et res alienas commendatas si acceperit quando servus fuerit, dominus appellatur. — § 11... Quando (7) ad sacramentum venerit, sic debeat iurare: « iuxta istum iudicatum post decessum illa genitricis meae meum proprium esse debet, et malo ordine non devestivi te »... et sacramentum facere debet, tunc de femina dicat: « quamquam iuxta istum iudicatum investita fuerat, tamen non debes dicere proprium ». — § 12. Si (8) infans intra aetatem sit et habuerit avium de patre, tutor sit, de matre non. — § 13. Si homo invenerit scazo in terra aliena, medietatem habeat qui invenit ac medietatem cuius terra est, quia lex Romana dicit (9). — § 14. Recordare: si episcopus commutaverit terram et post appellaverit ipse eum cui commutaverit, et ipse monstraverit cartulam, et ipse episcopus dixerit: « nihil impediat, quia contra legem (10) facta est », et ipse dixerit: « non? » Iustum est ut, si aestimatores vivi fuissent, veniant et ipsorum testimonium firment. — Si ipsi noluerint firmare et dixerint: « quia nescimus, quando commutatio facta fuerit, nec si peioratam rem receperit (11) casa Dei? » Iustum est, ut unusquisque componat suum widrigild, et liceat ipsi alios testes contra eos opponere, si potuerit, et veracium testimonium dicere (12); et si non potuerit approbare, ipse homo perdat rem. Si

(1) Liutp. 69.
(2) Astulf. 9.
(3) Cf. placita ad Liutp. 69.
(4) Liutp. 77.
(5) Cf. infra § 24.
(6) Savigny, Hist. iuris Rom. II. § 86. not. g, ad hanc quaestionem allegat l. 1. § 18; l. 21. § 1. D. depositi (XVI, 3).
(7) Cf. supra § 2.
(8) Cf. supra § 3.
(9) Inst. II, 1, 39.
(10) Cf. Ast. 7; Loth. 52.
(11) Ast. 7: « et fuerint inter tales homines tres quorum fides ammittitur, et res meliorata eis apparuerit tunc, quando ipsa commutatio facta fuerit »
(12) Ludov. P. 15.

non potuerit episcopus probare, ipse homo iuret: tunc quando commutatio facta fuerit, quod secundum legem facta fuerit et melioratam rem receperit casa dei. — § 15. Si (1) quis commendaverit aliquam rem cuilibet, et ipse perdiderit per hostem aut per incendium? Iustum est, nihil reddat; — aut si fuerit tulta per ipsius forfactum qui commendavit? nihil reddat: — et si per ipsum qui recepit? Iustum est ut reddat caput tantum. — § 16. Recordare de damnoso debito? modo debitor debet dicere, a quali wifa (2) fuerit damnatum, et modo debitor non debet dicere, a quali wifa. — § 17. Recordare, quoniam si unus frater refutaverit ad duos suam portionem et manifestaverit in ipsa promissione, quod fuisset iure sui patris? iustum est ut ipsi fratres nihil molestent ipsum fratrem qui refutavit de sua portione; — et si manifestaverit ipsa promissio, quod iure suorum fratrum fuisset? iustum, ut de illa portione permaneat tacitus et de sua. Si ipsi sui fratres voluerint, dividant cum ipsis suis fratribus. — § 18. Recordare: si homo mallaverit alium, quod ipse tulisset ad furtum cartulam, qua continebatur de tantis rebus, quae valebant super 6 solidos? Iustum est, nihil respondeat, si non appellaverit, quod cartula ipsa valebat super 6 solidos (3); — et homo Romanus? Lex est ut, si perdiderit quidem aliter cartulam ipsam, reddere debet caput tantum rei (4). — § 19. Quaestio: si Romanus homo ad placitum wadiam dederit, et non habet fideiussores paratos, comes prendat et faciat mittere in carcere, quia lex Romana (5) precipit: si quis fideiussores non habuerit, non despicitur carcere. Tamen de Langobardo hoc non posuimus, quia lex praecipit (6), ut habeat « tres die sine culpa »: — § 20. Quando ad sacramentum venerit (7).... — § 21. Ille notarius, qui caput scripsit et exemplavit, sic debet firmare: « Ego ille notarius autenticum huius exemplaris manibus meis scripsi, et sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar, littera plus minusve, et hoc exemplar manibus meis exemplavi ». Ille notarius qui non scripsit caput et exemplavit: « Ego ille notarius autenticum huius exemplaris vidi, legi, et sic inibi continebatur sicut hic legitur, et exemplar manibus meis exemplavi ». — Testes sic debent firmare: « Ille autenticum huius exemplaris vidi, legi, et sic inibi continebatur, sicut

(1) Savigny in hist. iuris Rom. § 86. not. h. quaestionum auctorem l. l. § 4. De obl. et actt. (XLIV, 7), l. 5. § 4. D. commod. (XIII, 6) alludere dicit.

(2) Vid. Glossarium s. v.

(3) Otto I. 6.

(4) Savigny, hist. iur. Rom. § 86. not. i, l. 27. pr. 32 pr. D. furtis (XLVII, 2) in memoriam reducit.

(5) Cf. Savigny, l. l. not. l.

(6) Liut. 127.

(7) Haec verba ad monitum pertinere videntur supra §§ 11 et 2 positum.

hic legitur et exemplar, et me in ipso autentico rogatus subscripsi ». — Ille notarius qui scripsit caput et non exemplavit sed exemplar firmavit: « Ego ille notarius autenticum huius exemplaris manibus meis scripsi, et sic inibi continebatur, sicut hic legitur et exemplar, littera plus minusve ». — § 22. Incipit de aetate. Prima quidem infantia primum tempus est, id est pueritia; secunda adolescentia vel iuventus, quae auctoritate sacri Leonis (1) pro una sunt: « Laetare, iuvenis, adolescentia tua ». Tertia autem senectus accipitur: est ea aetas qua calor iuventutis deficit. Si vero homo est ea aetate, quae decrepita vel veterana dicitur et facit invalidos, non gerontas sed presbyteros appellant, ut plus quam senes esse insinuentur, quos profectiores vocant. Dicit homelia lectionis Bedae (2): « iuxta hominis naturam proficiebat aetate, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad iuventutem consueto hominibus crescendi ordine pervenit ». Secundum libros veteres prima aetas est infantia, quae est 7 annis; secunda pueritia, similiter 7 annis; tertia adolescentia, quae est 14 annis; quarta iuventus, quae est 29 annis; quinta senectus; sexta decrepita aetas. Sed secundum libros divinos infantia et pueritia pro una reputabitur iuxta quod dicitur de Christo in praefatione: « qui natus est infans et deus est », et evangelia (3) dicunt: « in octava die venerunt circumcidere puerum ». Similiter adolescentia vel iuventus iuxta auctoritatem sacri Leonis pro una sunt, dicentis: « Laetare, iuvenis, adolescentia tua ». Post evenit senectus, quae incipit a completis 58 annis. Et de aetate dicitur secundum quod hic declaratur et iuxta illud quod dicitur in lege Romana in libro qui vocatur Instituta: « De fideicommissariis » in lege quae inchoat sic: « Nunc transeamus ad fideicommissa » (4). Et in ipsa lege quae sic incipit ut supradictum est: « Omnia fideicommissa antiquis temporibus infirma esse ». Aestimo ut homo ipse, si pervenerit usque ad aetatem quae vocatur senectus, quae incipit 58 annis, ut per se pugnam facere non debeat, sed suum pugnatorem pro se mittere, ideo quia de tanta virtute deficit, ergo si virtus, id est firmitas corporis, deficit, infirmus est. — § 23. Recordare: si quis appellaverit alium ad servitium, et ipse dixerit, se non servum esse, quod libera matre natus sit (5)? Iustum est ut probet (6), quod dicit, et si ipse non potuerit probare,

---

(1) Cf. Eccle. XI, 9.

(2) Homel. XVII (Bedae opp. ed. Giles V, 123). Cf. Lucas II, 52.

(3) Luc. 1, 59.

(4) Inst. II, 23.

(5) Cf. Lud. P. 55 et exp. § 1. ad Grim. 2.

(6) De onere probandi cf. gloss. ad Grim. 2, expos. § 1. ad Ast. 13, placiti forma ad Loth. 80.

probet ipse qui appellat; et si non potuerit, relaxet ipsum et faciat finem. Et si ipse servus dederit wadiam de probare et non potuerit facere quod liber sit, comes debeat eum dare pro servo illius qui appellat. Et si produxerit testimonia probandi et inter se discordaverint (1), unusquisque componat suum widrigild, et ipse pro servo similiter fiat datus. Et si ipse, qui dicit esse suum, dominum se non potuerit probare, nihil componat. — § 24. Si (2) quis commendaverit aliquas res cuilibet servo, nesciente suo domino, et eum dominus libertaverit postea, et voluerit ipse cuius res fuerit appellare, dominus nihil ei respondeat, nam ipse cui res commendatae fuerint ipsi respondeat; et si per consensum domini sui commendaverit, dominus respondeat. — § 25. Recordare, quoniam si servus ambulaverit ad mansionem alterius et dixerit: « homo ille mandat vobis, domino meo praestare talem rem », et prestiterit, et ipse servus fugerit, et ipse cuius res fuerit pulsaverit dominum? Iustum est, dominus nihil ei respondeat, nisi praebeat sacramentum, quod nec suae voluntatis nec consentiens ei fuisset, quod servus suus hoc malum fecisset, et fiat solutus; et si voluerit, habeat spacium ad requirendum eum habere. — § 26. Recordare, si homo mundiaverit uxorem suam mundoaldam, et si evenerit ipsa moriens? Iustum est ita: maritus succedat in tantum quod lui pertinuerit per mundium ex ea parentela cui defensio debet esse (3). — § 27. Et Langobardus usque ad annos 12 (4), et si noluerit habere postea mundoaldum, habeat curatorem usque ad annos 18 (5). — § 28. Recordare, quoniam si homo appellaverit alium, quod ipse devestisset de rebus immobilibus et ipse dixerit: « quoniam de propinquo meo parente sunt », — si ipse decesserit absque filiis filiabus — « ego volo succedere? » Iustum est, nec refutet, nec pugnam faciat inde, nec intromittatur. Et si dixerit, quod devestisset, et ipse dixerit, quod pertineat ei per libellum, et ego malo ordine non devestivi? Iustum est, ut faciat pugnam (6). — § 29. Recordare: si homo vendiderit suas res ad presbyterum in eo tenore, ut ipse debeat usufructum habere, et post eius decessum ut ad alium proprietas debeat venire, et fuerit mortuus sine filiis filiabus, aut non fecerit aliquid de ipsis rebus? Iustum est ita: ad ipsum presbyterum veniat proprietas, quia non dedit aliis qui in se retinebat (7). — § 30. Iustum est, ut homo de adulterio natus vivat quali lege volue-

(1) Lud. P. 3. 15.
(2) Cf. supra § 9.
(3) Cf. Liutp. 14.
(4) Cf. Roth. 155.
(5) Cf. Liutp. 19.
(6) Otto I. 1.
(7) Scil. potestatem dandi. Cfr. Loth. 17.

rit; et si ipse mortuus fuerit sine filiis filiabus aut sine testamento, iustum est, ut ipse qui plus propinquus fuerit, sive parte patris sive parte matris, ipsi succedat; quodsi aequales parentes fuerint, similiter (1) succedant. — § 31. Successio ex lege Langobarda. Si homo decesserit et reliquerit filium et filias, filius tantum succedat; si autem ille, qui moriens reliquerit filium et nepotem, filium de suo filio, aequaliter barbas et nepos succedant; si vero ipse, qui moriens filios non reliquerit et habuerit filiam, ipsa succedat; si autem ipse, qui moriens reliquerit filiam et nepotem, filium de suo filio, aequaliter succedant. Si homo decesserit et non reliquerit filium neque filiam, et habuerit nepotem aut neptem, filium aut filiam de suo filio, ipsi succedant; si non fuerit abiaticus aut abiatica de filio et habuerit abiaticum aut abiaticam de sua filia, ipsi succedant; similiter omnes qui veniunt de inferiori linea; si autem ipse, qui moriens non reliquerit nullum de subteriore linea, si habuerit patrem, ipse succedat; si autem non habuerit patrem et reliquerit fratres et sororem de patre, soror succedat; si vero non habuerit sororem, fratres succedant; si ipse qui moriens sororem in capillo, filiam similiter in capillo, aequaliter succedant: si soror nuptui tradita fuerit, filia tantum succedat; si vero ipse, qui decidens reliquerit sororem tantum de matre et fratres, fratres succedant; si soror decesserit et habuerit maritum, qui ei sit mundoaldus, maritus succedat; si non habuerit maritum, vel si habuerit et non fuerit mundoaldus eius, et ipse quae moriens reliquerit fratrem et sororem, soror succedat et mundoaldus eius habeat mundium de ea, solidos 20; si autem ipsa quae decedens reliquerit amitam in capillo et sororem, aequaliter succedant; si femina moriens et reliquerit amitam de parte patris et barbam, barbas succedat, eo quod in eius mundio est. Quodsi nullus ex ipsis fuerit, ille quicumque plus propinquus fuerit, sive ex parte patris sive ex parte matris, succedat iuxta legem Rotharis inchoantem: « Omnis parentela » (2). Quodsi ipse qui decesserit reliquerit aequales parentes ex parte patris aut de parte matris, aequaliter succedant. — § 32. Recordare, in quantis modis successio e lege Romana se dividat. Primo, si homo decesserit et reliquerit filium et filias, ipsi succedant aequaliter; si non reliquerit filium neque filiam et habuerit abiaticum et abiaticam de filio vel de filia, ipsi succedant aequaliter et si isti non fuerint et reliquerit bisabiaticos (3) masculos sive feminas, ipsi in hereditate obtineant. Quodsi nec ullus ex istis, ut supra legitur.

(1) Aequaliter. (2) Roth. 153. (3) Pronepotes.

fuerit, et habuerit patrem et matrem, fratres et sorores germanos et germanas, aequaliter succedant, et si isti non fuerint et reliquerit fratres germanos unum aut plures et alios fratres qui germani non sunt, germani succedant; et si isti non fuerint et si sorores reliquerit germanas et fratrem similiter qui germanus non est, soror germana succedat; et si reliquerit fratrem qui germanus non est et nepotes qui sunt fratris germani et sororis germanae, nepotes succedant; et si reliquerit nepotes et neptes, filios de fratre germano aut de sorore germana et reliquerit fratrem germanum unum aut plures, aequaliter succedant, et si isti non fuerint et habuerit avium et matrem matris, succedant.

II.

CARTULARIUM[1]

INCIPIT LIBER CARTULARII.

1. Traditio donationis propter nuptias.

Martine, trade per hanc pergamenam cartam de morgincap ad Albergam de quarta portione omnium rerum quae nunc habes aut inantea aquistare potueris, tam rerum mobilium quamque immobilium seu familie, ut ipsa faciat heredesque vestri secundum legem quod facere velint. — Dicis ita, Martine? — Dico. — Ita trade ei et huic notario ad scribendum. Dic: omnes vos rogo. — Si est Romanus vel Salichus, dic: « cartam dotis », et « de tercia porcione ». Et dic in Salicha: « proheredes ». Et dic insuper: « mitte poenam stipulationis nomine, que est mulcta auri optimi uncias quattuor, argenti pondera octo, si hanc cartam volueris rumpere aut infrangere ». Et hec adde in fine traditionis Salichae, cetera enim omnia sunt similia superiori; et mitte atramentarium super cartam.

---

(1) Vid. Canciani, barbar. leg. ant. II, 472 sqq.; Boretius, praef. ad libr. Papiens. § 76.

2. Traditio venditionis cum defensione.

Martine, trade per hanc pergamenam cartam venditionis sub dupla defensione de petia una de terra quae est tui iuris, que est in tali loco, que est per mensuram tantum et habet coherentias tales ad Iohannem, quod dehinc inantea a presenti die proprietario nomine faciat ipse et sui heredes aut cui ipsi dederint quicquid voluerint sine omni contradictione tua et tuorum heredum. Et insuper esponde te, vos ab omni homine defensare; quodsi defendere non potueritis, aut si vos aliquid per quodvis ingenium subtrahere quaesieritis, tunc in duplum illis eandem venditionem restituatis, sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub aestimatione in consimili loco. — Dicis ita? — Dico. — Sic trade ei ad proprium et huic notario ad scribendum. — Habes precium iusta cartam? — Habeo. — Dic: « totos vos rogo tangere ». Si est Romanus, similiter dic; sed si est Salichus, si est Roboarius, si est Francus, si est Gothus vel Alamannus venditor: « pone cartulam in terram, et super cartam mitte cultellum, festucam notatam, wantonem et wasonem terrae et ramum arboris et atramentarium et in Alamanna wandilanc, et levet de terra; et eo cartam tenente dic traditionem ut supra diximus. Et adde in istorum cartulis et Baioariorum et Gundebadorum — nam in Baioaria et Gundebada non ponitur insuper cultellum: — « proheredes » et « repetitione », et tolle: « esponde te », et mitte: « obliga te ». Et in omnium fine traditionis adde: « et insuper mitte poenam stipulacionis nomine, que est multa auri optimi uncias quattuor, argenti pondera octo, quam inferatis ad illam partem contra quam exinde litem intulleritis et quod repetieritis vendicare non valeatis »; et adde: « warpi te », caetera sunt similia. Si vero fit per missum, dic tantum in fine: « et ita trade ei per hunc missum et huic notario ad scribendum ».

3. Traditio vendicionis sine defensione.

Martine, trade per hanc pergamenam cartam venditionis sine tua defensione atque restauratione de una petia de terra que est tui iuris, quae est in loco tali, quae est per mensuram tantum, que habet coherentias tales ad Iohannem, quod dehinc inantea a presenti die proprietario nomine faciat ipse et sui heredes aut cui ipsi dederint quicquid voluerint sine contradictione tua et tuorum heredum. Et si

paruerit ullum datum aut factum aut scriptum aut aliqua firmitas, quae in alia parte facta habeatis, et clarefactum fuerit, tunc de illa parte unde hoc apparuerit promittatis ab omni homine defensare. Quodsi defendere non potueritis aut si vos aliquid per quodvis ingenium subtrahere quaesieritis, tunc in duplum illis eandem venditionem restituatis, sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub estimatione in consimili loco. Et si non apparuerit ullum datum aut factum aut scriptum aut aliqua firmitas quae in alia parte facta habeatis, nec promittatis illi defendere nec restaurare, anteposito sicut supra diximus. — Dicis ita? — Dico. — Sic trade sibi cartam venditionis sine tua defensione atque restauratione ad proprium, et huic notario ad scribendum. — Dic: « habes pretium iuxta cartam? » — « Habeo ». — Dic: « totos vos rogo ». — De Romano vero similiter. De caeteris similiter sed cum addituris. Si vero fiunt ante parentes vel comitem, antequam dicat: « omnes vos rogo », interrogetur mulier, si facit suo velle (1).

4. De Donationibus.

De donationum cartulis omnimo similiter preter: « habes pretium? » nam in his dicitur: « habes launechild? » — Habeo.

5. De promissionibus refutationum.

Petre, promitte et esponde te et tuos heredes nominative de una petia de terra quae est sui iuris, quae est in tali loco, quae habet tales coherentias, si amodo unquam in tempore habeatis agere aut causare tu aut tui heredes contra illum aut suos heredes aut cui ipsi dederint, et si apparuerit ullum datum aut factum quod in alia parte factum habeatis, et clarefactum fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti et contempti, ut componatis duplam querimoniam et insuper poenam argenti libras decem. — Dicis ita? — Dico. — Sic trade tu huic cartam promissionis refutationis, et huic notario ad scribendum. — Habes launechild? — Habeo. — Dic: « totos vos rogo ». — Si Romanus est, similiter; si Salichus, et caeteri ut dixi (2): « pone atramentarium super cartam », et ita levet de terra; et adde « pro-

(1) Cf. Liutpr. 22. (2) Cf. forma 2.

heredes », et « poenam stipulationis nomine quae est mulcta auri optimi uncias 3, argenti pondera 6 », et dic: « promitte et sic te obliga ».

6. **Traditio venditionis infantuli pro fame vel debito.**

Dómne comes, hoc dicit Petrus infantulus cum Dominico suo tutore, quod patitur necessitatem famis, vel quod pater suus Albertus dimisit sibi debitum 10 librarum, et non habet de mobilibus rebus, unde istud tempus necessitatis famis evadere possit vel debitum sanare possit; pro qua causa requirit vobis, ut pro Deo et anima donni imperatoris ac vestra mercede tribuatis ei licentiam et auctoritatem publicam ad venundandum unam petiam de terra iuris sui quae est in tali loco. — Et cum iste talia dixisset, tunc comes ex subgestione legali iudicum mittat missum suum ad domum eius, qui prevideat rem ita esse, ut dixit, quamvis modo non sit nisi fictitie, vadit enim tantum foras. Qui cum reversus fuerit, tunc tres estimatores iussu presidis vadant super terram et estiment eam, quamvis modo sit fictitie. His reversis, tunc comes dicat: « habeas licentiam et auctoritatem publicam ad venundandum illam petiam de terra ». Et postea fit carta venditionis ut cetere, et comes firmet illam cartulam.

7. **Traditio libellorum** (1).

Domne abbas, trade per hanc pergamenam libellario nomine ad Iohannem unam petiam de terra quae est iuris monasterii sancti Petri, unde tu es abbas, quae est in tali loco, quae est per mensuram tantum, quae habet coherentias tales, ut habeat ipse Iohannes ad fictum sub censu reddendo libellario nomine usque ad annos viginti novem expletos ea ratione, ut faciat ipse et sui heredes usque ad prefatos annos de fruge et redditu ipsius terrae quicquid voluerint sine omni contradictione tua tuorumque successorum vel partis ipsius monasterii, ita ut per eum sit meliorata et non peiorata, et persolvere exinde debeat ipsi et sui heredes singulis annis per omnem missam sancti Martini aut tres dies antea aut tres postea 10 denarios, sicut ipsi denarii in predicto monasterio consignentur ipsi abbati aut suis successoribus vel illorum misso, aut super altare ipsius monasterii

(1) Cf. Ast. 7.

ponantur per se aut per suos heredes aut per suos missos, ita ut alia superimposita non faciatis. Et insuper poenam mittite inter vos, si vos ante prefatum tempus volueritis ei tollere, aut ipsi laxare voluerint, ut componat pars parti fidem servanti poenam argenti libras 10, et post poenam solutam libellus permaneat in suo vigore. — Dicis tu, abbas, ita? — Dico. — Et tu ita, Petre? — Dico. — Ita tradite pars alteri inter vos duos libellos in uno tenore et huic notario ad scribendum. Dicite vos ambo: « omnes vos rogo ».

8. Traditio cartulae libertatis.

Martine, trade per hanc pergamenam cartam libertatis et absolutionis ad Marcoardum qui est servus tui iuris, ut amodo a presenti die sit liber et absolutus ab omni vinculo servitutis iuxta legem pro animae tuae mercede, et habeat licentiam et potestatem de quattuor viis ambulare aut cohabitare ubi voluerit, et neque a te neque a tuis heredibus ullam habeat repetitionem nec conditionem servitutis sed in perpetuum permaneat in sua potestate et congrua libertate, et sicut illi qui in quadruvio in quarta manu traditi sunt et amont facti sunt (1) vel sicut illi qui per manus sacerdotis circa sacrum altare ad liberos dimittendos deducti sunt (2) pro animae tuae mercede; et insuper concede sibi ad gratiam suae libertatis omne suum conquistum quod nunc habet, aut inantea adquirere potuerit, ita ut faciat exinde a presenti die proprietario nomine quicquid voluerit pro animae tuae mercede. — Dicis ita? — Dico. — Ita trade huic cartam libertatis et absolutionis, et huic notario ad scribendum. — Dic: « omnes vos rogo ». — Si est Salichus et caeteri (3), elevent atramentarium tantum super pergamenam de terra, si non tribuunt eis terram; si vero tribuunt, tunc elevent cultellum et caetera exceptis Baioariis et Gundebadis; et adde: « proheredes », et pone « peculiare »; et adde: « insuper mitte poenam stipulationis nomine, quae est mulcta, auri optimi uncias quattuor, argenti vero pondera octo quam inferatis ad illam partem contra quam exinde litem intulleritis, et quod repetieritis vendicare non valeatis, si hanc cartam libertatis pro quolibet ingenio frangere volueritis ». Si est Romanus, adde illic ubi dicis « deducti sunt »: « cives Romani, portas apertas, eat ac pergat et, qua parte voluerit ambulare, discedat ». Similiter in Salicha et in omnibus aliis. Caetera vero sunt similia in omnibus.

(1) Roth. 224. (2) Liutp. 23. (3) Cf. forma 2.

9. Traditio promissionis pro debito.

Martine, modo promitte et sponde te et tuos heredes Petro et suis heredibus, quod si Petrus aut sui heredes tibi aut tuis heredibus dederint aut sanationem fecerint de 100 solidis ab hac die usque ad Kalendas tales in civitate Papia in domo habitationis tuae, reddatis ei cartam illam venditionis quam in vobis emisit de petia una de terra, que iacet in tali loco, quae habet coherentias tales, capsatam et taliatam, ut in se nullum obtineat robur. Quod si tu ipse aut tui heredes sibi aut suis heredibus distuleritis praedictam cartam venditionis capsatam et taliatam reddere in eodem constituto ut supra dictum est, tunc componatis poenae nomine eandem peciam de terra in duplum, sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub estimatione in consimili loco. Et si ipse Petrus aut sui heredes distulerint tibi aut tuis heredibus in predicto constituto predictum precium adimplere, ut diximus, tunc eadem carta venditionis in suo maneat robore et facias tu et tui heredes dehinc inantea de ipsa pecia de terra proprietario nomine quicquid volueritis. — Dicis ita? — Dico. — Ita trade huic cartam promissionis et huic notario ad scribendum. — Habes launechild? — Habeo. — Dic: «omnes vos rogo». Si est Romanus, similiter. Si est Salichus et caeteri (1), allevent cartam de terra cum atramentario, et adde «proheredes», et mitte «obliga te», et iunge illic ubi dicis «in consimili loco»: «et insuper mitte poenam stipulationis nomine, que est mulcta, auri optimi uncias 4, argenti pondera octo». Caetera sunt similia.

10. Traditio cartulae ordinationis.

Petre presbyter, trade per hanc pergamenam cartam ordinationis de una pecia de terra, quae modo venit in te per cartam venditionis et accepto pretio de una petia de terra, que fuit iuris Iohannis et esse videtur in loco tali per mensuram et coherentias designata, eo tenore ut ipse Iohannes faciat de fructu eiusdem peciae de terra usufructario nomine diebus vitae suae quicquid voluerit pro animae tuae mercede, et post eiusdem Iohannis decessum veniat ipsa pecia de terra Martino filio ipsius Iohannis, et faciat a presenti die post decessum eiusdem genitoris sui proprietario nomine quicquid voluerit

(1) Cf. forma 2.

pro animae tuae mercede. — Dicis ita? — Sic dico. — Ita trade cartam ordinationis et huic notario ad scribendum. Et ita faciat iudicatum ut est tenor.

11. Item traditio cartae ordinationis.

Dominice presbiter, trade per hanc pergamenam cartam ordinationis de omni conquisto Iohannis, filii Martini, et de tertia portione omnium rerum mobilium vel immobilium seu familie ipsius Martini, quod nunc habet vel vivente eodem filio suo Iohanne adquirere potuerit, quae tibi advenit per cartam venditionis et accepto pretio ex parte ipsius Martini eo tenore, ut ipse Iohannes habeat suum conquistum ad proprium, et faciat exinde quicquid voluerit; de predicta tertia portione habeat usufructum ipse Martinus simul cum Iohanne filio suo diebus vite illorum, eo tenore, ut, si Dei fuerit voluntas, quod ipse Iohannes accipiat Mariam filiam Petri ad legitimum coniugium, et casu evenerit, ut ipse Iohannes patre superstite antea de hoc seculo migraverit, habeat ipsa Maria quartam portionem de predicta tertia portione, et faciat proprietario nomine post decessum viri sui quicquid voluerit; de reliquis tribus portionibus, que remanserunt, habeat ipse Martinus usufructuario nomine, et post eius decessum veniant ipse tres portiones ad heredes Iohannis proprietario nomine. Et si ipse Iohannes super eundem patrem suum advixerit, faciat Iohannes de predicta portione proprietario nomine quicquid voluerit. — Dicis ita? — Dico. — Ita trade ei cartam ordinationis, et huic notario ad scribendum. — Dic: «omnes vos rogo».

12. Traditio cartae offersionis.

Itidem trade per hanc pergamenam cartam offersionis de una pecia de terra quae est tui iuris, quae est in tali loco, quae est per mensuram tantum et habet coherentias tales, ad aecclesiam sancti Pauli, ut a presenti die proprietario nomine faciat pars ipsius ecclesiae quicquit voluerit ad usum et sumtum presbyterorum, et clericorum qui ibi pro tempore fuerint, sine tua et tuorum heredum contradictione. — Dicis ita? — Dico. — Ita trade cartam offersionis ad ecclesiam sancti Pauli pro animae tuae mercede, et huic notario ad scribendum. — Similiter fit eciam ut vendicio cum defensione vel uti sine defensione (1), vel cum aliquo tenore prout offerens vult. Et ita Longobardus

(1) Cf. forma 2 et 3.

et Romanus; si vero Salichus et caeteri (1), mitte supra cartam illam omnia quae dixi superius in vendicione Salicha, et adde hic illud quod addidi de pena et de proherede et «warpi te», et omnia ut in illa venditione; caetera enim sunt similia.

13. Traditio brevis divisionis.

Tradite per hanc pergamenam brevem divisionis inter vos de una pecia de terra quae est vestri iuris, quae iacet in tali loco, ut in primis tollat Petrus in porcionem et divisionem ex parte occidentis tabulas quatuor, quae pars habet coherentias tales, et post tollat Martinus item in porcionem et divisionem item tabulas quatuor ex parte orientis que pars habet coherencias tales, ita ut faciat unusquisque vestrum de sua porcione a presenti die proprietario nomine vos et vestri heredes aut cui vos dederitis quicquid volueritis sine omni unius alterius contradictione vestrorumque heredum; ita tamen ut in ipsa pecia de terra semper sortes stent et adequatio percurrat (2): et insuper espondete vos ad invicem, ut, si vos aut vestri heredes non conpleveritis omnia qualiter supra diximus vel si ab unoquoque homine contradicente vos et vestri heredes non defensaveritis ad invicem, et ita firmum esse non permiseritis, qualiter supra diximus, ut tunc componat pars parti fidem servanti penam in duplum ipsam portionem de terra supradicta, qualiter pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub estimatione in consimili loco. — Dicitis ita? — Dicimus. — Ita tradite invicem duos breves divisionis in uno tenore, et huic notario ad scribendum. — Dicite: «omnes vos rogo». Similiter Romani faciunt. Salichus et caeteri levant cartulam de terra cum omnibus quae superius diximus in venditione Salicha (3); et adde: «proheredes», et pro «espondete» mitte: «obligate», et dic: «sine contradictione et repetitione», et adde illic ubi dicis «in consimili loco»: «et insuper poenam stipulationis nomine, quae est mulcta, auri optimi untias quattuor, argenti pondera octo, quam inferatis ad partem fidem servantem vel contra quam exinde litem intuleritis»; et adde: «warpite». Caetera sunt similia, sed in Romana et Salicha ne addas: «ut sortes stent et adaequatio percurrat».

(1) Cf. forma 2. (2) Cf. Liutp. 69. 73. (3) Cf. forma 2.

14. Traditio brevis receptorii.

Petre, trade per hanc pergamenam brevem receptorium de una pecia de terra, quae est in tali loco, quae habet coherentias tales, que fuit iuris Martini presbyteri, unde ipse Martinus presbiter te instituit suum erogatorem ad venundandum ipsam peciam de terra, cui melius potuisses, et precium quod inde tulisses pro anima ipsius ad egenos dedisses vel ad tuum opus retinuisses, ad Iohannem, ut faciat exinde a presenti die proprietario nomine ipse...; et caetera uti in venditione cum defensione vel sine defensione vadunt. Et omnes breves fiunt ita ut est conventio.

15. Traditio cartae commutationis.

Cum commutatio esse debet, vadat missus episcopi seu abbatis et abbatissae — si est pontificum, si vero abbatia regalis est, missus regis et abbatiae — et tres boni extimatores super terram quam debet accipere ecclesia. Et cum responderint, quod bene posset fieri cum lege commutatio, dic: «Tradite inter vos pars alteri cartam commutationis: domnus episcopus de una petia de terra, quae iacet in tali loco et habet coherentias tales que est iuris episcopatus sancti Syri, unde tu es episcopus, ad Iohannem, et tu, Iohannes, invicem unam petiam de vitibus iuris tui, que est in tali loco et habet coherentias tales, ad episcopum et ad partem ecclesiae, unde ipse est episcopus, ita ut Iohannes de ipsa petia de terra faciat dehinc a presenti die proprietario nomine quicquid voluerit sine contradicione, Iohannes et sui heredes. Et insuper espondete pars alteri ab omni homine defensare». —Dehinc vadit uti venditio cum defensione (1), excepto quod non dicis: «habes precium». Et si Salichus est, laicus vel presbiter filius Salichi, vadit ut Salicha etiam fit venditio sine defensione (2); et antequam dicas: «ita tradite duas cartulas commutationis in uno tenore et huic notario ad scribendum», dicat iudex: «Martine, fuisti supra illas res?» — «Fui», — «Potest esse haec cambio?» — «Potest». — Et ita omnes perquirantur, quia a quibusdam extimatores ante traditionem interrogantur, a quibusdam in fine. — Convenientiae fiunt et precariae ad libitum: et postquam scriptae sunt confirmantur. — Brevia multa fiunt de multis rebus, ut interroges: «precipitis inde fieri breve?».

---

(1) Cf. forma 2. (2) Cf. forma 3.

16. Qualiter (1) vidua Salicha desponsetur; nam de puella fit ut de ceteris (2).

Comite missove regis cum septem iudicibus in iudicio residentibus, tongino vel centenario placitum banniente, femina vidua Salicha tali tenore et tali conditione sponsetur. Et adsint novem homines, quorum tres sunt actores et tres rei, et tres ut testes huius omnis rei, et solidorum 3 et unius denarii eque pensancium; ita ut hi actores utantur tribus accionibus, quarum due semper quasi iureiurando indigeant terminari, veluti controversia de via antestetura (3) et de consilio mortis (4), tercia vero accio semper duello gaudet examinari, actore de clipeo et baculo preparato ut de furto supra sex solidos (5) et de deposito 20 solidorum et ultra (6). Et factis accionibus et iure pro his datis vadimoniis a reis, actores baculos vadimonii reis restituant. Hoc facto et a sponsuro precio supradicto (7) repario dato, debet mulier inquiri, an eligat eum virum de quo sit placitum sibi. Quod cum mulier affirmaverit, tunc debet pater sponsuri interrogari, si filio suo consentit; et post orator incipiat: « Notum sit vobis, Quirites, si a Deo factum ornatumque fuerit, quod Fabius venerat, ut sibi Sempronia, relicta quondam coniux Thersitis, et que est ex genere Francorum, filia Ciceronis, vobis presentibus Fabio spondeatur a Seneca suo repario ». Quo a Fabio confirmato, Seneca ab oratore interrogatus respondeat: « sponso sibi »; et post orator interroget Fabium, qua lege vivendo utatur. Si dixerit verbi gratia: « Salicha », tunc orator dicat: « o Fabi, da Senece vadimonium, ut facias Semproniae, que defensione Senece regitur, iure tuo securitatem scriptualem tercie portionis omnium rerum quas nunc habes vel adquisieris, tam mobilium quamque immobilium seu familie, et si hoc non feceris, ut componas decem libras auri ». Quo wadibus firmato, tunc gladius cum clamide et cirotheca tenebitur a Seneca et orator dicat: « per illum gladium et clamidem sponsa Fabio Semproniam tuam reparium, que est ex genere Francorum ». Quod cum Seneca firmaverit, tunc orator dicat ad Fabium accipientem eundem gladium cum clamide dicat et: « o Fabio, tu per eumdem gladium et clamidem conmenda

(1) Cf. Lex Sal. emend. 46.
(2) Cf. plac. formae ad Roth. 182.
(3) Roth. 27.
(4) Roth. 10. 11.
(5) Otto I. 6.
(6) Otto I. 4.
(7) Tres solidi scilicet et denarius.

eam sibi, donec fuit inter te et illum conventio». Quo facto, tunc Seneca det Fabio wadimonium, quod dederit Semproniam ei ad legitimum coniugium et mittet eam sub mundio cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus seu familiis que ei legibus pertinent, et Fabius det Senece wadimonium eam recipiendi; et si quis eorum se subtraxerit, componat decem libras auri. Quo facto, tunc Fabius eam subarret annulo, et post tradantur cartule donationis et dotis, vel scripte ibi legantur, et post Seneca det coniugem Semproniam Fabio, et Fabius Semproniae cartas. Hoc facto pro mundio det Fabius Senece crosnam unam valentem 20 solidos, et orator dicat: «o Seneca, tu per hanc crosnam mitte sub mundio hanc cum omnibus rebus mobilibus et immobilibus seu familiis, que ei legibus pertinent, et mundium et crosnam trade ad proprium Fabio». Quo facto tunc Fabius cum Sempronia iam sua uxore launechild Senece tribuat.

17. Qualiter carta ostendatur.

Domne comes, propter hoc ostendit Petrus hanc cartam venditionis, quod non sit silens et habeat et teneat res illas, quae leguntur in hac carta, ad suam proprietatem, et, si aliquis homo est, qui inde aliquid velit dicere, paratus est cum eo stare ad rationem et, quod plus est, quaerit, et hoc vult, ut dicat Iohannes, qui est hic ad presens, si carta illa venditionis bona est et vera, vel si ille rogavit eam fieri et firmari, vel si res quae leguntur in carta illa venditionis propriae sint suae Petri, aut si sibi Iohanni pertinent ad habendum et requirendum aut non, et si habet scriptum vel firmitatem aliquam, quod inde parabolare possit aut non? — Dicis ita, Petre? — Sic fatio. — Et tu, Iohannes, quid dicis? — Quid debeo dicere? — Nonne dicis, quod carta illa venditionis bona est et vera? — Sic est. — Et tu rogasti eam fieri et firmari? — Et sic feci. — Et illae res quae leguntur in illa carta venditionis suae proprie sunt? — Sic sunt. — Et sue esse debent cum lege? — Sic debent. — Nec tibi pertinent ad habendum et requirendum? — Non faciunt. — Nec scriptum nec firmitatem habes quod inde parabolare possis? — Non habeo. — Sed, sicut dictum habes, suae propriae sunt et esse debent cum lege? — Sic sunt. — Qua lege vivis? (1) — Longobarda. — Modo esponde te, si umquam in tempore tu aut tui filii vel filiae vel heredes contra Petrum aut suos heredes, aut cui ipsi dederint, habes agere aut causare, et si apparuerit ullum

(1) Cf. placiti formae ad Roth. 143.

datum aut factum aut scriptum aut firmitas, quae in alia parte facta habeatis, et clarefactum fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti et contempti: ut componatis duplam illam querimoniam, et insuper penam argenti 10 librarum. Spondes ita? — Spondeo. — Seniores iudices, mittite iuditium. — Iuxta illorum professionem et manifestationem Petrus habeat ad proprium res quae leguntur in illa carta, et Iohannes et sui heredes permaneant inde taciti et contempti. — Domne comes, precipite fieri noticiam. — Similiter est de Romana. In Salicha dic: «obliga te», et «warpi te» et «proheredes» et «insuper...»

18. Qualiter sit finis status.

Domne comes, hoc dicit Iohannes, quod est liber homo de sua persona et habet et tenet suum conquistum ad suam proprietatem, et si aliquis homo est, qui inde aliquid vult dicere, inde paratus est stare ad rationem et, quod plus est, quaerit; et hoc vult, ut dicat Petrus qui est hic ad presens, si est Iohannes liber homo de sua persona aut non? et si debet retinere ad suam proprietatem suum conquistum aut non, aut si pertinet sibi inde aliquid ad habendum et requirendum aut non? et si habet scriptum vel aliquem firmitatem quod inde parabolare possit aut non? — Dicis ita, Iohannes? — Dico. — Et tu, quid dicis, Petre? — Quid debeo dicere? — Hoc dicis, quod Iohannes liber homo est de sua persona? — Sic est. — Et suum conquistum debet retinere ad suam proprietatem? — Sic debet. — Nec tibi inde aliquid pertinet ad habendum aut requirendum? — Non facit. — Nec scriptum nec firmitatem habes, quod inde parabolare posses? — Non habeo. — Sed sicut habes dictum, est liber homo de sua persona? — Sic est. — Qua lege vivis? — Salicha. — Modo warpi te et modo obliga te, si umquam in tempore tu aut tui filii vel filiae vel heredes ac proheredes contra Petrum aut suos heredes, aut cui ipsi dederint suum conquistum, habes agere aut causare, aut si apparuerit datum aut factum aut scriptum aut firmitas, quae in alia parte facta habeatis et clarefactum fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti, ut componatis duplam illam querimoniam et insuper penam stipulationis nomine, quae est mulcta, auri optimi untias quattuor, argenti pondera octo. — Obligas te ita? — Obligo. — Seniores iudices, mittite iudicium. — Iuxta illorum professionem et manifestationem Iohannes liber homo est de sua persona, et habet et tenet ad proprium suum conquistum, et Petrus et sui heredes ac proheredes permaneant inde taciti et contempti. — Domne comes, precipite fieri noticiam.

19. Qualiter sit finis intentionis terrae.

Domne comes, hoc dicit Petrus, quod terra, quae in tali loco est, sua propria est, et caetera quae superius legitur (1).

20. Qualiter sit noticia salvae quaerelae.

Senior comes, hoc dicit Petrus, quod iam per plures vices lamentatus est ad vos de Iohanne qui sibi contendit malo ordine et contra legem unam peciam de terra quae iacet in tali loco, unde vos sibi pluribus vicibus mandastis vestros missos et epistolas, ut ad placitum vestrum veniret et de illa terra ei iusticiam faceret, et ille noluit venire. — Senior comes, recordamini vos ita? — Recordor. — Et vos, iudices? — Sic facimus. — Et propter hoc querit vobis mercedem, ut pro Deo et anima domni imperatoris investiatis eum de illa pecia de terra ad salvam querelam. — Requiris ita, Petre? — Sic facio. — Tunc comes investiat eum per fustem quem manu detinet, donec ille veniat et iusticiam faciat. — Et super hoc requirit, ut mittatis bannum supra eum et super eandem terram, ut non sit aliquis homo qui audeat eum devestire sine legali iudicio, et si quis ausus fuerit hoc facere, componat duo mille mancusios aureos, medietatem camere domni imperatoris et medietatem Petro vel suis heredibus. — Precipite fieri noticiam.

21. Qualiter sit contraria.

Senior comes, hoc dicit Iohannes, quod audivit dicere, quod vos investistis Petrum ad salvam querelam de una pecia de terra, propter quod ipse Petrus pluribus vicibus lamentatus est ad vos, quod ipse Iohannes sibi teneret ipsam terram, unde vos per plures vices mandastis sibi missos et epistolas, ut ad vestrum placitum veniret, et illi iusticiam faceret, et ille non venit; sed postea in iuditio ante vestram presentiam paratus fuit standi ad rationem cum eo, unde per vestros missos ei ammonitionem fecistis, ut ad vestrum placitum veniret et cum eo exinde ad rationem staret, sed minime venit. — Senior comes, et vos, iudices, recordamini ita? — Recordamur. — Modo similiter

---

(1) Forma 17, 18.

venit in vestram presentiam et vult facere ei iusticiam. — Vis ita? — Volo. — Modo da vadimonium comiti, ut facias ei iusticiam, id est de ipsa terra. — Et propter hoc requirit mercedem, ut investiatis eum de ipsa petia de terra, sicut eatenus investitus fuit. — Tunc per fustem comes investiat eum. — Et super hoc requirit vobis mercedem, ut mittatis bannum super eum et super res, ut non sit aliquis homo, qui audeat eum de ipsa petia de terra disvestire sine legali iuditio; et quicumque ausus fuerit facere hoc, componat duo mille mancusios aureos, medietatem camere donni imperatoris et medietatem Iohanni et suis heredibus. — Precipite fieri noticiam. — Nam postquam completum fuit unum annum, non potest fieri, ut legitur [in VIII libro Codicis] (1).

22. Qualiter filius emancipetur.

Domne comes, hoc dicit Petrus, quod vult emancipare Iohannem suum filium de se, ut de hac hora inantea habeat licentiam ire in placitum et stare et appellationem faciendi et recipiendi et cartas venditionis et donationis et omnes scriptiones et obligationes faciendi, et quod fecerit, sic sit firmum, tamquam si communiter aut consentiente eodem genitore suo fecisset. — Vis ita emancipare? — Volo. — Commendate fieri noticiam.

23. Noticia sufferentis (2).

Domne comes, hoc dicit Petrus, qui hic est, quod postquam sociavit Albergam, quae hic est ad praesens, sibi ad legitimum coniugium, quod ipsa consiliata est et tractavit de morte sua, et cum alio homine se adulteravit. — Dicis ita, Petre? — Dico. — Et tu, quid dicis, Alberga? — Quid debeo dicere? — Responde, si hoc est verum? — Vere, diabolo suadente, postquam ille me sibi in legitimo coniugio copulavit, consiliata sum, et tractavi de morte sua et cum alio homine me adulteravi. — Tunc iudices interrogent eam: «an dicis hoc timore alicuius hominis aut suasione?» — Non dico, sed verum est ut dixi. — Tunc comes interroget iudices, ut dicant legem, et cum dicta fuerit lex, tunc comes accipiat eam per manum dextram et tradat sufferenti

(1) Vid. Boretius in praef. ad lib. Papiens. § 76 i. f.
(2) Cf. Roth. 202 et placiti form. ibid.

viro suo ad faciendum et ad habendum eam, ut lex (1) est. — Senior comes, praecipite inde fieri noticiam.

Expliciunt.

24. Carta in terra posita, et super calamario, cultello, festuca nodata, watone, cleba, ramo arboris (2), donatio Saliha ita fit. Carta cum omnibus subrascriptis rebus sursum levata ad donatore teneatur, et orator dicat ita: « o P., trade per hanc pergameuam cartam donationis sub dupla defensione nominative de quodam fundo tui iuris quod est in Tusculano rure per mensuram et coherenciam designato, ut hic breviter scriptum est, ad Martinum, ut faciad a presenti die proprietario nomine ipse aut eredes eius ac proeredes aut cui ipsi dederint quidquid voluerint sine omni contradictione de te et de tuis heredibus ac proeredibus, equidem obligate vos atque promittite ab omni omine defensare; quodsi defendere non potueritis aut per aliquod ingenium subtrare volueritis, tunc componatis ipsum fundum duplo, sicut pro tempore fuerit melioratus aut valuerit sub estimacio in consimili loco, et insuper penam stipulationis nomine, que est mulcta, auri optimi uncias 4, argenti pondera octo, quam inferatis ad illam partem, contra quam exinde litem intuleritis et quod repecieritis vendicare non valeatis ». — Dicis ita? — Dico. — Ita trade uic ad proprium et uhic notario ad scripendum. — Da ei launechild. — Modo warpi te. — Dic: « omnes vos rogo tangere ». — Et hec omnia sint in donacione Longobarda et Romana preter « proeredes » et penam, « obligate » et « warpi te ».

25. **Noticia de bano** (3).

Qualiter fit noticia de banno misso super res. Donne comes, oc dicit Petro, quod habet et tenet ad suam proprietatem res que sunt in tali loco et habet coherentias tales. Et si aliquis omo est, qui inde vul aliquid dicere, paratus est cum eo exinde ad rationem standi et legitime finiendi, set, quod plus est, querit et vul ut vos, donne comes, mitatis bannum super se et super ipsas res propter Deum et anime donni imperatoris ac vestri mercedem, ut nullus quidlibet homo eum de predictis rebus disvestire presumat sine legali iudicio; qui vero fecerit, componat mille mancusios aureos, medietas camere donni imperatoris et medietas ipsi et suis heredes. — Mittis ita bannum? — Mitto. — Precipite fieri noticiam.

(1) Roth. 202. (2) Cf. forma 2 sub fine. (3) Cf. supra form. 20 et 21.

III.

PLACITI FORMA GLOSSATA (1).

Domne comes, ego queror vobis de Petro, qui tenet michi terram malo ordine in tali loco positam.

Qua lege queritur iste homo? — Kapitulo Pipini (7) «De universali quidem populo» (2). — Et comes, qua lege suscipit ipsam querelam? — Ipse eodem capitulo, in hoc quod dicit: «suscipiat tam a comitibus». Quomodo posset facere iusticiam nisi susciperet? nullo modo.

Domne comes, facite bannire ad placitum.

Qua lege debet banniri? — Usu et capitulo Lodoici (39) «De placitis quidem», in hoc quod dicitur subter: «ad caetera vero placita non alii venire iubeantur nisi qui litigant».

Domne comes, ecce Petrum. — Petre, te appellat Iohannes, quod tu ei malo ordine tenes terram in tali loco positam.

Iudex, qua lege facit istam appellationem? — Capitulo Ottonis (3) «Cotidie», cum dicit: «liceat iudicibus causas agere». — Et Iohannes, qua lege appellat Petrum? — Lege Rotharis (365) «Si pro quacumque causa».

Iohannes, appellas sic? — Appello.

Qua lege interrogat eum sic? — Lex non est, sed usus; et quomodo posset sapi, si eum non interrogaret sic?

Petre, quid dicis? — Terra, de qua eum appellat, sua propria est.

Iudex, qua lege facit istam responsionem? — Capitulo Ottonis (III) «Cotidie», cum dicens: «liceat iudicibus causas agere», posuit pro actionem facere et respondere.

Petre, dicis sic? — Dico. — Quid sibi pertinet? — Possessam habet per 30 annos. — Potest probare suam possessionem?

---

(1) Vid. Boretius in praef. ad lib. Papiens. § 77.
(2) Cf. gloss. ad Pip. c. 7.

Qua lege debet probare? — Capitulo Lodoici (15), «Si quis cum altero», cum dicit subter: «de statu vero vel de possessione».

Utique det vadiam probandi suam possessionem.

Qua lege debet dare vadiam? — Lege Rotharis (361) «Si quis alii vadiam et fideiussorem», quia, quando dat vadiam probandi, dat vadiam sacramenti, aut usu.

[Et actor Iohannes det vadiam placiti et contra].

Qua lege dat contra? — Capitulo Lodoici (15) «Si quis cum altero», cum dicit: «liceat ei alios testes contra eos opponere».

Et habeat spatium 12 noctibus.

Qua lege? — Rotharis (360) «Si quis alii vadiam de sacramento».

Quando venit ad terminum, memoret suum placitum. — Domne comes, hoc dicit Petrus, quod hodie sunt 12 noctes, quod Iohannes appellavit eum, ut sibi teneret unam peciam terrae, et ipse dixit, quod erat sua propria, et habebat possessam per 30 annos et dedit vadiam probandi suam possessionem, et ipse dedit vadiam placiti et contra; et modo paratus est probandi suam possessionem.

Iudex, qua lege memorat placitum? — Lege Rachisi (1) «Si quis amodo», cum dicit subter: «qualiter iudex qui iudicavit se memoraverit».

Petre, dedisti tu vadiam sic? — Feci. — Et tu, Iohannes, recepisti sic? — Recepi. — Petre, ubi habes tuos laudatores et tuos testes? — Ecce, Paulus et Iacobus et Martinus. — Et laudatores? — Ecce, Donatus et Bonifilius et Guilelmus. — Iohannes, vis imponere crimen ipsis testibus?

Qua lege debet imponere crimen? — Capitulo Lotharii (78) «Si quis aliquem», in hoc quod dicit subter «crimina vero».

Volo, quia Iacobus est periuratus. — Aprobet.

Qua lege debet probare? — Ipse eodem capitulo (*Loth.* 78) in hoc quod dicit: «probare cogatur».

Et si dicit: «nolo», laudentur.

Et postquam sunt laudati, non est usus, eis imponere crimen, quia similiter posset mittere, postquam pretium est iuratum. Lex non prohibet, sed absurdum esset. Qua lege debent laudari? — Capitulo Karoli (43) «Ut quandocumque testes».

Donate, quid scis de Paulo et Iacobo et Martino? — Hoc dico, quod liberi sunt, et widrigild et proprium habent, et testimonium bene possunt dare. — Et sic dicat unusquisque laudator.

Qua lege debent esse laudatores tres? — Usu. — Qua lege laudat unusquisque laudator totos tres testes? — Lege Romana, quae

dicit: vox unius testis non audiatur (1). — Et laudator vocatur testis ipse eadem lege, quae dicit, ut testis sit talis, quod vox aliorum testium consentiat de bona vita eius. In hoc quod dicit kapitulum Karoli (66) «Volumus»: ut debeant habere bonum nomen inter suos pagenses, unus non potest vocari «pagenses», et ideo laudat unusquisque totos tres. — Qua lege sunt liberi? — Capitulis incipientibus sic: «De liberis hominibus» «Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio» (*Loth.* 64. 78). — Widrigild, qua lege debent habere? — Hacmet (2), et capitulo Lotharii (27) «Ut in testimonium non recipiantur» et proprium. — Qua lege sunt tres? — Capitulo Lodoici (15) «Si quis cum altero», cum dicit subter: «caeteri vero manus suas redimant, ille perdat qui prelium faciebat»; alteros vero appellavit «caeteros», de uno non posset dicere «caeteros». — Similiter potes dicere, ut sint 20. — Verum est, sed usus est, ut sint tres.

Separentur ab invicem et inquirantur.

Qua lege debent separari? — Capitulis Karoli (21. 50. 66) incipientibus sic: «De periuriis ut caveantur», «Volumus», «Ut testes ad iuramentum».

Hoc scio, quia Petri propria est, et habet possessam per 30 annos. Et dicant alii similiter.

Qua lege dant testimonium? — Capitulo Karoli (50) «Ut testes ad testimonium».

Scribatur quidem testimonium illorum.

Qua lege debet scribi? — Usu et Novella (3), quae dicit: «scribatur testimonium illorum».

Si se discordantur, et clarefactum est, ut sint falsi testes, dent vadiam widrigild et ipse qui duxit similiter.

Qua lege, si se discordantur, est clarefactum, ut sint falsi testes? — Capitulo Karoli (66) «Volumus», cum dicit subter: «quia, si ita agunt, multi falsi testes possunt convinci». — Qua lege dat vadiam? — Usu. — Et widrigild? — Istamet.

Et si se concordantur, interrogetur alius, si sint ipsi testes boni, aut habeat meliores, quos contra eos possit opponere. Si dicit: «isti boni sunt, nec habeo meliores, quos contra ipsos possim opponere, set faciat michi hoc quod lex precipit». — «Quid inde lex precipit?» — «Ut iurent, verum iurent, de ipso testimonio».

Qua lege? — In hoc quod dicit capitulum Karoli (21) «De periuriis»:

---

(1) Cod. IV, 20, 9, 1. (2) Liutp. 62. (3) Iul. nov. 83.

« non admittantur testes ad iuramentum, antequam discutiantur », dat intelligendum, ut debeant iurare, postquam inquisiti sunt. — Usu et exemplo legis Liuprandi (8) « Si qualiscumque causa inter conlibertos » debet iurare appellator: illud testimonium quod sui testes dederunt verum iuraverunt.

Et si dicit: « ipsi testes non sunt boni nec receptibiles et ego habeo meliores quos contra ipsos possum opponere » — « Ubi sunt? » — « Ecce, Philippus et Iosephus et Albertus » — « Et laudatores? » — « Ecce, Bernardus et Albericus et Victor ».

Qua lege dat contra? — Capitulo Lodoici (15) « Si quis cum altero », cum dicit subter: « liceat ei alios testes opponere ». — Illas totas res, quas nos diximus supra de testibus aliis vel laudatoribus primis, dicimus, ut ita de istis sint, excepto quod testimonium non dabunt ita, set sic:

« Illud testimonium, quod Paulus et Iacobus et Martinus dederunt adversum Iohannem, falsum dederunt », aut ita: « de ipsa terra, unde Iohannes appellavit Petrum, Iohannes fuit investitus infra 30 annos ». — Et postquam hoc testimonium habent datum, eligat comes unum ex una parte et alterum ex alia parte et sic faciant pretium.

Qua lege eligat comes sic? — Capitulo Lodoici (3) « Si duo testimonia ».

Camphio amittet manum, et alteri redimant manus suas, id est widrigild, quia redemptio manus non erat nisi widrigild.

Et de hoc est fracta lex, et quia non dabunt widrigild, sicut hic dicitur set sicut ibi. Et si prelium non erit, bona est inde haec lex; ipse qui conducit, aut sit prelium aut non, ibit ista (1). Dabunt redemptiones manus propter periurium, aut quia erant falsi testes, et potes videre, cum dicit camphioni qui convictus fuerit propter periurium quod ante pugnam commisit, dedit intelligendum, ut, si alteri iurarent, ut similiter perderent manum, et ideo affirmandum est, ut unus tantum iuret, quando prelium fit et sacramentum prelii sic faciant: « Illud testimonium quod dedi cum Paulo et Iacobo verum dedimus », alter similiter, aut ita: « Illud testimonium quod dedisti cum Paulo et Iacobo, falsum dedistis ».

(1) Liutp. 62.

IV.

FORMA NOTITIAE PRO SECURITATE (1).

.... Ibi in eorum venerunt praesentiam ille et ille seu illi mansionarii episcopi sanctae talis ecclesiae, una cum illorum et ipsius episcopii advocato, et retulerunt: «Habemus et detinemus ad proprietatem ipsius episcopii et ad nostrum usum et sumptum peciam unam de terra per mensuram iustam iugerorum 100; coheret ei ex una parte. Et si quislibet homo adversus nos aut partem ipsius episcopii exinde aliqua dicere vult, parati sumus cum eo exinde ad rationem standi et legitime finiendi et, quod plus est, quaerimus, ut dicat ille negociator, filius quondam illius, qui est hic ad praesens, si praedicta petia de terra, sicut nos denominatam habemus, propria ipsius episcopii est, et esse debet cum lege, et si eam ad nostrum usum et sumptum habere debemus, vel si nobis ipsam peciam de terra contradicere aut subtrahere volunt, an non?» Cum ipsi mansionarii cum eodem illo et eorum et ipsius episcopii advocato talia retulissent, ad haec respondens ipse ille dixit et professus est: «vere eandem peciam de terra in praedicto loco tali, sicut vos qui supra mansionarii cum iam dicto illo advocato vestro denominatam habetis propria ipsius episcopii est et esse debet cum lege, et ad vestrum usum et sumptum eius habere debetis, et michi ad habendum vel relinquendum nichil exinde pertinet et pertinere debet cum lege, pro eo quod exinde nullum scriptum, nullam firmitatem nullamque rationem inde habeo nec habere possum, per quam vobis seu parti ipsius aepiscopii eandem peciam de terra contradicere aut subtrahere possim; sed, ut dixi, propria ipsius episcopii est et esse debet cum lege, et ad vestrum usum et sumptum habere debetis». Et spopondit se ipse ille, ut si unquam in tempore ipse sive filii vel filiae vel heredes adversus praedictos mansionarios seu parti ipsius episcopii de praedicta pecia de terra agere aut causare vel removere praesumpserit, per se ipsos aut suas summissas personas, et taciti exinde in aliam partem fecissent

(1) Cf. supra Cartularium, form. 17 et 19.

et claruerit, ut tunc componant eiusdem mansionariis suisque successoribus aut parti ipsius episcopii in duplum ipsam peciam de terra, sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco, et insuper penam argenti libras 20. Insuper quaesierunt ipsi mansionarii cum eodem illo et eorum et ipsius episcopii advocato, ut ipse domnus ille comes et missus mitteret bannum domni regis super ipsos et super ipsam peciam de terra, ut nullus quislibet homo sine legali iudicio eos disvestire audeat. Cum ipsi mansionarii cum eodem illo talia retulissent, tunc ipse domnus ille comes et missus pro amore Dei et animae domni regis ac suae mercede misit bannum domni regis super eosdem mansionarios et illum advocatum suorum, et super ipsam peciam de terra in mancuseos auri duo milia, ut nullus quislibet homo sine legali iudicio eos disvestire audeat. Qui vero fecerit, praedictos mancusios aureos se compositurum agnosceret, medietatem parti domni imperatoris, et medietatem parti ipsius episcopii et eisdem mansionariis suisque successoribus. His actis et manifestatione supra facta, rectum iisdem iudicibus et auditoribus aparuit esse, et iudicaverunt ut iuxta eorum altercationem et eiusdem illius professionem et manifestationem, ut ipsi mansionarii ad proprietatem ipsius episcopii, et ad eorum usum et sumptum praedictam peciam de terra habere et detinere deberent, et ipse ille maneret exinde tacitus et contentus. Et hanc noticiam pro securitate parti ipsius episcopii et eorum mansionariorum fieri admonuerunt. Et ego qui supra notarius sacri palatii ex iussione istius missi et iudicum ammonitione scripsi. Anno ab incarnatione Domini.....

V.

DE INFANTULO, QUI DAT SUAM MATREM AD MARITUM PER LARGITIONEM COMITIS.

...Ibi (1) in eorum venit presentia ille infantulus, filius quondam lui una cum illo tutore suo, et illa, filia quondam illius, genitrix et mundoalda ipsius infantuli, seu ille, filius quondam lui. Et ibi loci

(1) *Cf.* supra Cartularium forma 16.

interrogata fuit ipsa illa, si Dei esset voluntas, si eundem illum ad legitimum virum sibi copulare voluisset. Ipsa namque illa dixit, ut, si Dei esset voluntas, eundem illum ad legitimum virum copulare vellet. Deinde interrogatus fuit ipse ille, si eandem illam ad legitimam uxorem sibi copulare vellet. Ipse namque ille dixit, quod eandem illam ad legitimam uxorem sibi copulare volebat. Et ibi loci per largietatem eiusdem domni illius missi adprehendit ipse ille infantulus eandem illam genitricem et mundoaldam suam per manum dexteram et eidem illi ad legetimam uxorem habendam tradidit, qui et ipse de tali modo eam suscepit; et ipse ille dedit quondam eidem illi infantulo pro mundio eiusdem lei coniugis suae crausnam unam, valentem solidos 20, et ipse ille infantulus per largietatem predicti missi eandem illam genitricem et mundoaldam suam per eandem crausnam, quam pro mundio suscepit, eidem illi sub mundio misit cum omnibus rebus eidem legibus pertinentibus et ipsam crausnam simul cum predicto mundio eidem illi ad proprium habendam tradidit et suscepit ab eo exinde launechild crausnam unam, et hanc noticiam.....

VI.

TRACTATUS DE ORDINE SUCCESSIONIS AB INTESTATO SECUNDUM IUS LANGOBARDICUM (1).

Si quis Langobardus decesserit et reliquerit filium tantum, ipse succedat per primam legem Liuprandi.

§ 2. Si vero is qui moritur, reliquerit filium et nepotem ex filio, equaliter patruus et nepos succedant per legem Grimoaldi (5) «Si quis habuerit filios legitimos».

(1) Cf. tractatum Roth. capiti 153 subnexum, et alium inter «Quaestiones et monita» § 31. editum.

§ 3. Si vero moriens filium non reliquerit, et habuerit filiam, ipsa succedat per primam legem Liuprandi.

§ 4. Si autem decedens non reliquerit filium, neque filiam, et habuerit nepotem aut neptem, nepos ex filio vel filia ipse succedat, non neptis. Similiter et omnes succedant, qui veniunt ex inferiori linea, iuxta terciam legem Liuprandi « Si quis Longobardus sorores reliquerit ».

§ 5. Si quis decesserit absque liberis, si habuerit patrem, ipse succedat, iuxta (*Roth.* 153) « Omnis parentela ».

§ 6. Si decedens absque patre reliquerit fratrem et sororem ex patre, soror succedat (1): si aliquis sine sorore decesserit, frater succedat, iuxta (*Roth.* 153) « Omnis parentela ».

§ 7. Si decedens reliquerit sororem in capillo, et filiam sive in capillo, sive coniugatam, equaliter succedant, iuxta legem Liuprandi (4) « Si quis Longobardus sorores et filias in capillo » (2).

§ 8. Si soror nuptui tradita est, filia tantum succedat, iuxta primam legem Liuprandi.

§ 9. Si decedens reliquerit sororem tantum de matre, soror ea non ei succedat, iuxta (*Roth.* 153) « Omnis parentela ».

§ 10. Si soror decedens maritum reliquerit, ipse ei succedat, iuxta legem Liuprandi (14) « Si sorores in casa patris ».

§ 11. Si soror puella decedens reliquerit sorores tam in capillo, quam maritatas, ipse ei succedant, si tamen cum ea patri communi vel matri successerint. Nam mundoaldus eius habeat mundium, id est solidos 20 (3).

§ 12. Si femina moriens reliquerit amitam et patruum, patruus ipse succedat, eo quod in eius mundio fuerant iuxta legem Liuprandi (144) « Recolimus enim ut si quis decedens ». Si decedens reliquerit amitam in capillo et sororem, equaliter succedant (4).

§ 13. Si nullus ex predictis fuerit, tunc qui propinquior masculus fuerit, sive (5) ex parte patris sive matris, succedat iuxta legem (*Roth.* 153) « Omnis parentela », et legem (1) Astulfi.

§ 14. Si decedens reliquerit parentes equali gradu existentes, et in septimo (6) gradu, vel iuxta septimum permanentes, et ex parte patris et matris pervenientes, equaliter ipsi succedant: alioquin curtis regia ipsa succedat (7).

---

(1) Cf. expos. § 4 ad Liutp. 3.
(2) Cf. expos. § 1 ad Liutp. 4.
(3) Cf. expos. § 2. 4. 5 ad Liutp. 14.
(4) Cf. Ast. 1.
(5) Cf. expos. § 3. 12 ad Roth. 153.
(6) Cf. contra expos. § 7 ad Roth. 153.
(7) Roth. 153. 223.

§ 15. Non (1) alie femine hac lege Langobarda succedant, quam sole filie patri, cum filii desunt (2), vel sorores (3) fratri vel filio fratris (4).

VII.

CODICIS EPOREDIANI FORMULAE DUAE.

---

1. [**Mundium de femina Romana cum ipsa et fratribus eius factum**] (5).

Presencia bonorum ominum ex... parte francorum et langobardorum, quorum nomina supter leguntur, coniunserunt se illa filia quondam lui, qui profitetur se ex nacione sua vivere romana, et ille filius lui. Ipso namque ill'.ibi..... et eidem lui filio suo consenciente tt ibi cum presencia eorundem bonorum ominum coniunctos ipsa illa suis manibus et eiusdem lui a legitimum sibi ad uxorem abendum se tradit, quia ipse ille eadem illa adduxorem sibi abendam scepi, quidem et dedit ipse ille lui et lui germanis ipsius lei ibi aderant cronas una valente sol. argentum denarios bonos so.. aitos (6), tam pro mundiū eidem lei conius sua, quamque communia que e legibus pertinet ad abendum quietos et in tali modo easdem crona suscepit. eoque se ille et ille germanis per easdem crona quod pro mundum susceperunt eadem illa germana et mundoalda eorum eidem lui super mundium miserunt cum omnia que e legibus pertinet et easdem crosna simul cum praedictum mundium eidem lui ad proprium tradiderunt et susceperunt ab eo exinde lanachil. Taliter factum est oc.

2. [**Advocatoris electio pro monasterio facta anno 1018**].

De iudttio. In castro lomello et caminata maiore sale domni ottoni comiti palacii et comitis ipsius comitatu lomellensis, ubi ipse in

---

(1) Cf. expos. § 12 ad Roth. 153.
(2) Cf. Liutp. 1.
(3) Cf. Liutp. 3-5.
(4) Ast. 1.
(5) Haec formula saeculo decimo scripta est.
(6) Sexcentos?

iudicio adeset iusticiam faciendum ac delibrandam, addesent cum eo illi ac illi iudices sacri palacio et reliqui plures. ibique eorum veniens presencia domno illo aba monesterio sancti illi situm in loco, taliter decepit dicere: Volo eliere ille et ille iudex, et vocatus mihi ad pars......... in antea abead potestatem ex ipso monasterio.. in... placitas peragendum alii interpellandum, responsum dandum, finem faciendum et recipiendum ac per legem querendum et equiciendum tamquam...... fecisset. et taliter ibi presens omnium predictus dom.. abate et eudem illum iudicem suum et ipsius monesterii advocatorem elexit, qualiter supra declaratum est ex ac noticia qualiter acta est causa fieri amonuerunt. Quidem et ego ille notarius sacri palatii ex uxione ipsius ottoni comitis et iudicum amonusione scipsi anno imperii domnu Einricu et imperatoris deo propicio quinto, quarto die mensis decembris indictione secunda.

GLOSSARIUM

A

Abiscaro, abscario, vid. *Ovescario*.
Absa *curtis* (Expos. ad Ahist. 18): fundus incultus.
Abscentare, absentare: occultare, abscondere.
Acquistalium: acquisitio, peculium.
Actogild, actugild: octuplum.
Actus, actio, subactio usurpatur aliquando pro *territorio*, *gastaldatu* s. *iudicaria*.
Adardire, ardire alicui: pugnam cum aliquo experiri.
Adramire: confirmare, rite promittere.
Adsalire: adoriri, invadere, ital. *assalire*.
Aduniare, vid. *Eduniare*.
Aggagula: lenocinator, pantomimus (Duc.).
Ahamund, amund, haamund: liber a mundio, sui iuris.
Ahis, vid. *Hais*.
Ahist, aist, aistan, vid. *Haist*.
Aldi: consacramentales, coniuratores.
Aldiaricia: potestas in haldios: vid. h. v.
Aldio, aldius, vid. *Haldius*.
Alodium: fundus privatus, i. e. fundus qui familiae hereditate obvenit, non concessione beneficiaria.
Amones, vid. *Ahamund*.
Amund, vid. *Ahamund*.
Anagrif, anagrift, anagrip, anagriph: germ. *Eingriff?* in edicto pro *culpa, praesumptione*.
Ande-gawere: manufirmatio, germ. *Handfeste*.
In angar-gathungi: secundum qualitatem, genus, s. nationem personae.
Angaria: onera agris vel personis imposita.
Antefactum, antifactum, contrafactum: donatio propter nuptias.
Antestare *viam*: viam impedire.
Aratraibus, aratrahib: tripla compositio.
Ardire, vid. *Adardire*.
Arga: cucurbita, i. e. stultus homo.
Aribannitor: exactor heribanni.
Aribannus, eribannus, heribannus: imperium militare, edictum de expeditione militari, poena inobedientiae.
Ari-gawere: testimonii adfirmatio? (cf. lex Gundob. LX, 3, lex Baiuv. XVI, 2).
Arimannus: exercitalis.
Ariscada: damnum, germ. *Schaden*; poena.
Arischild, arschild: obsequium militare (Duc.); seditio ap. Roth. 19 (cf. Exposit. Liutpr. 134, § 3).
Aritraib: vid. *Aratraibus*.
Arramire: vid. *Adramire*.
Astalaria: silva, unde hastae seu hastaliae caedebantur.
Astalin, anstalin *facere*, vid. Roth. 7.
Asto, asto animo: voluntarie, dolose.
Ausare: ital. *osare*.
Austria: pars orientalis regni Langobardici.
Axegia: assis, s. axis, i. e. lignum dissectum.
Axegiatum: sepis axegiis contexta.
Azalatio: ital. *assalto?* cf. *Zala*.

B

Bannire, bandire: in iudicium vocare.
Bannus, bannus dominicus: imperium, potestas interdicendi; poena LX solidorum; proscriptio (*aliquem in bannum mittere*). Bonorum occupatio, per magistratum (*res in b. mittere*).
Barba, barbas, *gen.* **barbanis**: patruus.
Barbaricum: incursus barbaricus, expeditio bellica.
Baro: liber homo.

Battere: verberare, cudere (Lud. P. 25 in form.), ital. *battere*.
Bicharium: modus agri.
Biscario, vid. *Orescario*.
Blasphemare iudicium: a sententia appellare.
Bluttare: spoliare.
Borbitaria, vid. *Horbitaria*.
Broilus: campus arboribus consitus et muro aut sepe cinctus: ital. *brolo*, *broletto*.
Brunea: lorica.

C

Caballus, cavallus: equus.
Cadarfada, cadarfreda, vid. *Gawarfida*.
Cafagium, cagium, vid. *Gahagium*.
Calcaria: praestatio pro calcis coctione.
Calumniator: actor.
Cambium: permutatio.
Camfio, camphio, campio: pugnator, ital. *campione*.
Capellare, scapellare, idem ac *capulare*: caedere, incidere, frangere.
Capillo (feminae in): feminae innuptae.
Caricare: onerare.
Cartularius homo: per cartam manumissus.
Casa: domus, villa.
Cassina: ital. *Cascina*.
Causa: res, ital. *Cosa*.
Causator: qui causam agit.
Cawarfida, vid. *Gawarfida*.
Circinare: deformare, laedere.
Clasma a graec. Κλάσμα: fractura.
Clericare: clericum facere.
Clodus: claudus.
Cocurra: pharetra.
Cognata: uxor fratris.
Collata: vectigal, tributum.
Collecta: manus ad vim faciendam coacta et armata.
Collegantes: correi.
Comacinus, vid. *Commacinus*.
Comberemus in Paction. Gregor. duc. 7 (pag. 318) corr. *confirmemus?* Vid. Ducang. s. v. *combere*.
Comiatus: commeatus; permissio, consensus (Pippin. 34).
Commacinus magister: redemtor aedificiorum s. architectus: a *macinis* i. e. *machinis* (vid. Isid. Orig. s. v. *machiones*), non a Novo comensi oppido, ut vulgo creditur, vel a Comacina Romanulae insula (Comacchio), uti Ducangio videtur. Haec est Bluhmii sententia (Mon. Germ. IV Legg. pag. 176).
Commandare: commendare.
Commater, cummater: quae aliquem de sacro fonte suscepit; ital. *comare*.
Conciatura: adparatus militaris.
Concurbitare, concurbitari: adulterii iniuria maritum afficere vel ab alio affici: cf. *horbitaria*.
Confabulati, vid. *Fabula*, *Gamahalos*.
Coniectum: contributio, collecta.
Conliberti: vicini: homines eiusdem vici.
Conparare: emere, ital. *comprare*.
Conpletum: solutum.
Conquistum: bona ab ipso domino acquisita.
Consignare: probare per *signa* (s. per chartas Duc.).
Contrafactum, vid. *Antefactum*.
Conventare: consentire, promittere.
Convivare, ignem: facere, accendere.
Corbitaria, vid. *Horbitaria*.
Crapworfin, vid. *Grapworfin*.
Credentes: fide digni.
Credentia: fides data, interposita.
Crosna, crausna, crona, crosina, grosna: crusina, pellis.
Cursa: excursus militaris, incursio, praeda.
Curtis, cortis: domus, palatium vel villa.

D

Denarialis homo: per denarium manumissus.
Derisiculum (per): irridendi causa.
Dexterare: dextram dare, iurare? (Pipp. 8).
Diffacere cartam: lacerare.
Disfigurare: deformare.
Dispignerare: pignus luere.
Districtio, distringere: coercere, bannire.
Disvestire: possessione exuere, privare.

E

Edoniare, eduniare, idoneare se: iureiurando se purgare.
Edor, vid. *Idertzon*.
Emunitas: immunitas.
Eriliz: exercitus desertio, armorum depositio (Loth. 57).
Erimannus, vid. *Arimannus*.
Erogator, erogatarius: executor testamenti.
Escamara, vid. *Scamara*.
Esclum, vid. *Hisclo*.
Exactare: exigere.
Exenium: donum, praestatio (xenium).
Exfundare se: fundum deserere.

F

Fabola: sponsio, sponsalia (**F. firmata**: sponsalia rite contracta); contractus (Roth. 144); consuetudo loci (Roth. 346).
Facundia: facultas.
Faderfyo, faderfio, fadrin, germ. *Vatervieh*: bona quae mulieri a patre vel fratre donantur occasione nuptiarum.
Fagangi, vid. *Fegangi*.
Faida: inimicitia, compositio inimicitiae.
Faidosus: faidae reus.
Fand, phant, vid. *Gafand*.
Fara: genus, gens, familia.
Faticare, fatigatio: laborare, labor; provocare, in ius vocare.
Fatigium: molestiae, labores.
Fegangi, fagang, figang, etc.: in servitutem addictus delicti causa, reus manifestus (Roth. 253).
Ferea, fereva, feroha, ferrea: esclum.
Ferita: vulnus.
Ferquido, ferquidus: similis.
Festuca nodata: culmus geniculatus.
Fictum: locatio.
Filiastra: privigna.
Fodrum: annona militaris.
Fonsacri, fornachar: arvus campus.
Forbannitus: qui contra bannum regis egit; in bannum missus. Vid. s. h. v.
Forbannum: bannus. Vid. s. h. v.
Forcapium: Praemium ei concessum, qui hominem fugacem cepit.
Forcia: manus militaris.
Forestum: germ. *forst*, silva, saltus.
Forfacta res: caduca per delictum et in fiscum relata.
Forfactum: culpa, crimen
Fragiare: laedere.
Fraida: refugium.
Frea: pupilla.
Fredus, freda, germ. *Friedensgeld*: poena pro pacis publicae violatione.
Frustare: verberare.
Fulborn, germ. *Vollbürtig*: legitimus.
Fulcfree, germ. *volkfrei*: liber secundum populi legem.
Fundare: colere, immittere.
Fundora fundata, exfundata: fundi a colonis habitati vel deserti.

G

Gafan, gafand - Vera huius vocis significatio est germanica lingua: *compraes*, *constipulator* (Bluhme in Glossar. l. l.): sed vid. Roth. 247.
Gahagium, germ. *Gehäge*: silva clausa.
Gaida et gisil: Fideiussor et testis. *Gaida* a *ga* (*cum*) et *aida* (*auxiliator*) descendere videtur. — Glossarium Cavense interpretatur: *giseli, id est liberi homines*.
Gaium: gahagium.
Gairethinx, gairthinx, garethinx: donatio vel traditio solemniter peracta: vid. *Thinx*.
Gamahali, i. e. *confabulati*: affines, eiusdem malli participes.
Gasindio, gasindius: comes regis.
Gastaldius, gastaldeus, gastaldio: actor, procurator regis, praefectus loci.
Gastaldatus: territorium civitatis gastaldio subditae.
Gawarfida, guarfida, cawerfeda, cadarfada, cadarfreda, quawarfreda: *coniectura*, communis deliberatio iudicum, consuetudo.
Genium: dolus, collusio; cf. *Ingenium*.
Genitium in Loth. 91. gynaeceum vel *pisile* (vid. s. h. v.) significare videtur: cf. Roth. 221.
Gildonea: collegium, sodalitium: coniuratio?
Gisil, vid. *Gaida*.
Governare, ital. *governare*: alere (Liutpr. 109).
Grapworfin, crapworfin: sepulchri violatio (Roth. 15).
Grosna, vid. *Crosna*.
Growa: grus.
Guadia, vid. *Wadia*.
Guadimonium, vid. *Wadimonium*.
Guanto, vid. *Wanto*.
Guidrigild, vid. *Widrigild*.

H

Haamund, vid. *Ahamund*.
Haistan, haisthandi, haistandi: irato animo.
Haldius, haldia, aldius, aldio, aldiana, a voce germ. *halten* (cf. in Anglorum lingua *freeholder*, *copyholder*): cliens, colonus, cuius conditio media inter libertatem et servitutem est.
Heribannus, vid. *Aribannus*.
Heribergare: hospitio excipere, mansionaticum praebere.
Herogator, herogatrix, vid. *Erogator*.
Hiderzon, vid. *Idertzon*.
Hisclo: fagus.
Histriga, vid. *Striga*.

Hoberus: curtis violatio.
Hobescario, vid. *Hovescario*.
Horbitaria, huorbitaria: ad stuprum provocatio.
Hostis, hostilis: exercitus, exercitalis.
Hovescario: scario curtis; vid. *Scario*.

I

Idertzon, hiderzon: sepes cancellata.
Idoneare, vid. *Edoniare*.
Infiduciare: pignori dare.
Infraida, vid. *Fraida*.
Ingenium, ital. *inganno*: dolus, fraus.
Inpans: in manum regis.
Intentio: lis, actio; **per intentionem**: consulto.
Interciare: rem, quae a domino vindicatur, in tertiam manum mittere.
Intricare, intrigare, instrigare: laedere, vulnerare.
Investire, investitura: missio in possessionem fundi.
Isca: esca.
Iudicare: de suis rebus testari.
Iudicaria, iudiciaria: territorium iudici Langobardo i. e. duci vel gastaldio subiectum.
Iunior: alicui *seniori* subditus, ministerialis comitis, iudex inferioris ordinis.

L

Labores ap. Liutpr. 90: pretium laborum.
Lagi, vid. Roth. 384.
Launegild, launigild, launechild, lonechild, germ. *Lohngeld*: retributio pro donatione accepta.
Leburiae, liburiae: *Terra di lavoro*.
Leudis, leudum pro *wergeld* ap. Kar. 76. Pippin. 10.
Libellarius: servus per libellum, s. per chartam manumissus; emphyteuta qui libellario iure possidet.
Libertare: manumittere.
Lidi s. **liti** apud Francos, aliasque gentes germanicas iidem clientes et coloni semiliberi vocabantur, quos Langobardi *haldios* appellabant.
Lidinlaib, lidelaib, germ. *Letztleib?*: in diem mortis.
Liguria, vid. *Leburia*.
Loci servator: missus comitis, gastalditus.
Locopositus: vicem gerens, missus comitis.

M

Macina: machina.
Maga, vid. *Masca*.
Magarizati: apostatae facti, a graec. μαγαρίζειν.
Mallare, admallare: in mallum s. iudicium vocare.
Mallus: concio populi; iudicium s. placitum; locus ubi ius dicitur.
Mancusius aureus: solidus.
Manere: habitare.
Manifestare: confiteri.
Mannire: in iudicium vocare.
Mansio: habitatio, domus.
Mansionarius: *manens*, qui titulo mansionis censum persolvit.
Mansionaticus, um: munus regios missos hospitio excipiendi.
Marahworfin: liberum hominem de equo deiciere.
Marcha, marca: limes, terra limitanea, provincia cui marchio praeponitur.
Marchanus: marchiae s. provinciae limitaneae incola.
Marphais, marpais: strator.
Masca: larva, striga.
Massarius *servus:* servus rusticus, qui fundo et villae praeponitur, villicus.
Matrinia: noverca.
Menare, minare, ital. *menare:* abducere.
Meta: repromissio futurarum nuptiarum, sponsalia et solemnis promissio certae pecuniae sponsae aliquando solvendae; ipsa summa quae promittitur vel datur.
Metfyo, mithio, meffio: bona metae nomine uxori data.
Minare, vid. *Menare*.
Missaticum: legatio; districtio et iurisdictio missi regis.
Missus: legatus, nuncius vel principis vel iudicis vel comitis.
Mistium, mitium: ager, territorium.
Modola: quercus.
Morgingab, Morgincap: matutinale donum, i. e. pars bonorum, quam maritus uxori postridie nuptias donat.
Morioth, murioth: brachii pars superior.
Movitio: ad exercitum profectio.
Mundiare: in manum s. mundium accipere.
Mundius, mundium (a germ. *Mund, munt = manus*): potestas, quae ipso iure patri, fratri, filio, propinquo vel regi in femina libera Langobarda competit;

manus s. potestas mariti in femina libera vel haldia; pretium vel launegild pro mundio remisso solvendum vel solutum.
Mundoald, mundowald: qui mundium s. potestatem habet, tutor; qui in potestate est, pupillus (Formul. ad Roth. 193).
Munimen, monimen: publicum instrumentum.

N

Nam saepius pro *tamen*.
Natio: origo, status, ordo.
Naufragare: bona sua vel aliena disperdere.
Neclictum, neglectum: negligentia.
Neustria: pars occidentalis regni Langobardici.
Nisi saepius pro *sed, tantummodo*.
Nonum, vid. *Sibi nonum*.
Notitia: edictum principis, instrumentum.
Notrimen, nutrimen: partus, fructus.

O

Oberus, vid. *Hoberus*.
Obscario, vid. *Hovescario*.
Offersio: oblatio.
Onus, onuris, onores: onus foenebris pecuniae, usurarum.
Opinio: famae periculum.
Opus regis s. dominicum: fiscus.
Orbitaria, vid. *Horbitaria*.
Ordinatio: declaratio ultimae voluntatis.
Ori manifestatio: confessio.
Ovescario, vid. *Hovescario*.

P

Pagensis: pagi habitator, qui in pago domicilium legitimum habet.
Palatium: regia domus; iurisdictio; consistorium principis; fiscus.
Parabolare: sermocinari, verba facere.
Paratio: vid. Expos. 8. ad Roth. 361.
Paraveredi, parvaredi: equi in curso publico adhibiti.
Pastoria, ital. *pastoie*: funes, quibus equorum pedes constringuntur ne aberrent.
Patria: regio, provincia, pagus.
Peculius: pecus.
Pecus: partus.
Pegma, peuma: Gloss. Cav. habet: pleuma id est *palu de lugo* (palco de ligno?).
Penetrare: perpetrare, committere.
Pensile, vid. *Pisile*.
Perexcutere: excutere.
Permenare, vid. *Menare*.
Pertinens: in clientela alterius, alieni iuris.
Petia, pecia, francogall. *Pièce*: modus agri, exemplar, instrumentum, nummus, etc.
Pictatia, vid. *Pittacium*.
Pisile, pensile: gynaeceum, ubi ancillae lanificio et textrino occupantur.
Pittacium: scheda, epistola: vid. Cod. Th. VII, 4, 11. 13. 16.
Placitare: francogall. *Plaider*, ital. *piatire*: placito s. lite contendere; ad placitum vocare; convenire, pacisci.
Placitum: conventio, concio, iudicium.
Plagia, ital. *piaggia*: ora maris.
Plodraub: hominem occisum vestibus spoliare (Roth. 14).
Plovum: aratrum.
Pollenus: pullus equinus.
Ponderosus: qui hernia, s. aliquo gravi morbo laborat.
Ponere: componere.
Pontifex: episcopus.
Pontificium: facultas, auctoritas.
Portunarius: portitor.
Post: apud, penes.
Postponere, posponere: removere.
Posteus: postea.
Potestas: magistratus, ital. *podestà*.
Praesumere: audere.
Praesumptio: audacia, culpa.
Precaria: concessio usufructuaria rerum ecclesiasticarum ad certum tempus.
Presura: praemium apprehensionis.
Pristina: vectigal, tributum, quod a pristinis temporibus penditur.
Proditor: index.
Provincia: regio, territorium.
Publicus, puplicus: iudex, magistratus, actor, comes.
Publicum: fiscus.
Pugna: duellum iudiciarium.
Pugnare: duello certare.
Pulsare: adversus aliquem iudicio agere.
Pulslahi, germ. *Beulschlag*: percussio.

Q

Quaerere: iudicio agere.
Quaestor: actor, creditor.
Qualitas: *q. personae*, nobilitas.
Quarta: morgincap.
Querela: appellatio.
Queri: contendere.

R

Rahalraub, ralraub: cadaveris spoliatio (Roth. 16).
Reclamare: iudicio agere; ab sententia appellare.
Recolligere: recipere, dividere (Leb. 3).
Redditum: census, francogall. *rente*; ital. *rendita*.
Relaxare: remittere.
Reparius: is qui viduam secundo marito tradit, a franc. *reipus*, quod est pretium mundii viduae. Cf. lex Salica, 44. Cartul. 16.
Repignerare: iterum pignori dare, subpignus.
Requirere: inquirere, exigere; iudicio agere; rationes petere ab aliquo.
Responsaticum: annua praestatio.
Rewadiare: vadiare, vid. s. h. v.

S

Sacra, *in sacris patris esse*: in eius potestate esse.
Sacramentales: aidi, coniuratores.
Saiones: ap. Gothos apparitores, magistratus ministri.
Sala: atrium, triclinium palatii; habitatio rusticis vel pauperibus assignata.
Saltarius: decanus, minor magistratus.
Sanare debitum etc.: recte solvere.
Sapere: scire, ital. *sapere*.
Satisfacere: iureiurando confirmare.
Sauma, ital. *soma:* iumenti onus.
Scabinus, a germ. *Scephjan* (haurire) vel *scapan* (decernere): qui cum comite et collegis lites iudicat, iudex selectus.
Scachum, **sach**: furtum.
Scamarae, Escamarae, Scamaratores: fures, praedones.
Scandalum: rumor, turba, seditio.
Scandula: scindula.
Scapellare, vid. *Capellare*.
Scara, germ. *Schaar:* militum cohors.
Scario: scarae praefectus; vid. *Hovescario*.
Sclusa: francogall. *écluse:* locus in quo concluduntur aquae.
Scubiae, scuviae, scufia: excubiae.
Sculcae: exculcatores. i. e. excursatores aut proculcatores, qui hostium itinera explorant (cf. Notit. imp. occident.).
Sculdhais, sculdahis, sculdais, germ. *Schultheiss:* magistratus duci subiectus, centenarius.
Scuviae, vid. *Scubiae*.
Sematio: membri mutilatio.
Semus: mutilatus.
Senior: dominus vassi.
Sibi *nonum*, germ. *selbneunter*: in actogild, octuplum – *Sibi sextus*, *tertius iuret:* iuret cum quinque vel duobus coniuratoribus.
Sic pro *simpliciter*, *tantum*.
Siliqua (auri) tempore Langobardorum: octava pars tremissis, vigesima quarta solidi (aurei).
Silpmundia, germ. *selbmundig:* libera a mundio.
Similem: simplum, semel.
Sinaida, snaida: terminus silvarum in arbore incisus.
Soga: funis.
Solatium, solacium: auxilium, auxilium cum armis (Roth. 41), merces operarum (Roth. 145).
Solatiare: auxilium ferre.
Solidus: aureus ap. Langobardos, duodecim denariorum arg. apud Francos (cf. Capit. Kar. M. Mantuanum a. 781). *Solidorum onus*: usurae; *solidi dati* in Lebur. 2. 3. 9. 10: census? *solidus vestitus* in Memor. de merc. Commacin. mercedem cum annona significare videtur.
Somniare, francogall. *Soigner:* curare, operam dare.
Sonorpair: aper gregis.
Sors: pars.
Sovecto: subvectio.
Spata, ital. *spada:* spatha, gladius latior.
Spiae, spiones, ital. *spie, spioni*: exploratores, indices.
Sponsare: per sponsalia promittere.
Sponsario nomine: per sponsalia.
Stalaria, vid. *Astalaria*.
Stantaria *sepis:* viminibus contexta.
Stantia: conventio, contractus.
Status: status personae, pretium libertorum vel servorum (Roth. 376).
Stilio: tolleno.
Stimatio, ital. *stima*: aestimatio.
Stolesaz: locumtenens regis in iudiciis.
Stupla: stipula, ital. *stoppia?*

Subarrare: arrha obligare, *s. anulo*, annulo sponsalia contrahere.
Submanicata: manicis ligata.
Subquinare: quinta parte pro quocumque pede augere.
Suga, vid. *Soga*.
Sumnis, sunnis ap. Francos: impedimentum, legitima excusatio quo minus reus in ius veniat.
Supertentus: apprehensus.
Supraestis: superstes.

T

Tallata *carta*, ital. *tagliata*: dissecta.
Tallola, ital. *tagliola*.
Tantum est ut: dummodo.
Teclatura, ticlatura, vid. *Sinaida*.
Tectorae: tuguria.
Temptus: tentus, apprehensus.
Tertiata, vid. *Intertiare*.
Tertiator, trix: residens in terra aliena, qui tertiam partem frugum domino persolvit.
Testamentum: instrumentum.
Testimoniare: testimonium dicere.
Testimonium usurpatur quoque pro *teste* et pro *fama*.
Teudisca *lingua*: germanica, ital. *tedesca*.
Thingare: donare, manumittere.
Thingatio: donatio.
Thinx: comitium populi iudicandi causa institutum; id quod coram populo a privatis agitur; donatio inter vivos vel mortis causa. Cf. *Gairethinx*.
Thius: patruus s. avunculus, ital. *zio*.
Threno, treno; vid. Roth. 384.
Threus: nepos ex filio naturali (Roth. 157).
Tollere, tullere maritum, vel uxorem, ital. *tor moglie*: maritum vel uxorem ducere. **Tulit, tultum**: abstulit, ablatum, ital. *tolto*.
Toloneum, tholoneum, a gr. τελώνιον (publicanorum mensa): vectigal.
Tonginus: thunginus, centenarius.
Tornare *se*, francogall. *se tourner*, ital. *tornarsene*: reverti, regredi.
Toti, ital. *tutti*: omnes.
Tractoria *epistola*: epistola regis, qua mansionaticum (vid. s. h. v.) missorum regulatur.
Traditioli: transfugae.
Traditio: *traditionem facere* ap. Kar. 92 pro *adoptare*.
Tranquillum pro *quiete* in not. de actor. reg. 3.
Transactum, vid. *Trasactare*.
Translatare: transire (Roth. 275).
Transmegrare: rem, s. personam transferre.
Trasactare, trasactari, transactare: obnoxium fieri, committi.
Treblum: triplum.
Tremissis: tertia pars solidi.
Trewa, ital. *tregua*: pax a magistratu iussa et iureiurando firmata.
Troctingi: comites sponsae, paranymphi.
Trustis: comitatus, obsequium; coniuratio.
Turnare, vid. *Tornare*.

U

Unde: de quo, de qua.

V

Vacuus, vacuare: infirmare, derogare.
Vassalli: liberi homines alicui (domino, seniori) commendati et fidei obstringendae causa iureiurando coniuncti.
Vassi: vassalli.
Vavassores, valvassores: vassalli.
Vecorin, vid. *Wecverin*.
Vegarius: vicarius.
Vestitura, vid. *Investitura*.
Vetare: negare.
Vicarius ap. Francos: centenarius.
Vicedominus: vicecomes, locumtenens episcopi vel abbatis.
Vicinantes: vicini.
Vicinus: proximus, vici habitator, rusticus.
Vicinia: vicus, civitas.
Vicus usurpatur quoque pro *villa*.
Vigor: vis, auctoritas.
Vindicare: iudicio consequi vel retinere, poena persequi, ulcisci.
Vindicta, vindicio: ultio, poena, districtio, disciplina.
Virtus: vis, potentia, opes.
Vitium, *suum reputare*: sibi imputare.
Votum regis: sermo, verbum s. tuitio regis. **Vota**, votorum dies: dies nuptiarum.
Vurdibora, vid. *Widerbora*.

W

Wacta: excubiae.
Wadia: pignus conventionale, fideiussio.
Wadiare: fideiubere.
Wadimonium: wadia.

Walopauz: vid. Roth. 31.
Wanto, ital. *guanto*: manica.
Warda, ital. *guardia*: custodia viarum.
Waregang: peregrinus, advena.
Warens: auctor, unde ital. *Garante*, *guarentigia*.
Warfida, vid. *Gawarfida*.
Warpire *se*, *guerpire*: possessionem rei alicuius dimittere.
Waso *terrae*, francogall. *Gazon*: cespes.
Weowerin, wegworin: viam impedire, vid. Roth. 26.
Wergild, wirgild, wirigild, widrigild, guidrigild: pretium viri liberi occisi vel laesi; pretium auctoris iniuriae, quo se ipsum a morte redimit.
Widerbora, wirdibora, germ. *ebenbürtig*: ingenua, libera per gairthinx (Roth. 222).
Widerdo, wirardonum, ital. *guiderdone*: launigild.
Widrigild, vid. *Wergild*.
Wifa: signum a magistratu debitoris rebus impressum?; iusta vel iniusta occupatio; pigneratio.
Wifare: res alienas per wifam occupare; pignerare.

X

Xenium: vid. *Exenium*.

Z

Zala: incendium, depopulatio.
Zava: coniuratio, seditio? (Ratch. 10).





